



RERVM
IN SVPREMIS NEAPOLIS TRIBVNALIBVS
JVDICATARVM
ABSOLVTISSIMÆ COLLECTIONIS
Summa cura & studio nunc primum concinnatæ

TOMVS TERTIVS

COMPLECTENS
SACRI REGII CONSILII
SELECTIORES DECISIONES
AB ANNO 1777. AD 1784.





NEAPOLI
EX REGIA TYPOGRAPHIA
ANNO MDCCXCI.

SACRI REGII CONSILII

DECISIONES

Ab anno 1777. ad 1784.

TOM. II.

SACRI REGII CONSILII

DECISIONES

Ab anno 1777. ad 1784.

TOM. II.

SELECTIORES S. R. C. DECISIONES.

In causa Capituli terræ Castellanæ cum heredibus Sebastiani Russo. Die 6. Septembris 1775.

Longissimi temporis spatio transacto, omnia solemniter acta censentur; præsertimque cum Loco Pio gesta sint.

CApitulum terræ Castellanæ egit in S. C. ut irritum faceret emphyteusis contractum, ab anno usque 1707. gestum cum D. Sebastiano Russo, ad tertiam ejus generationem duraturum; quia solemnia quæcumque a jure præscripta defuerunt, ad robur firmitatemque contractus necessaria; neque enim in magno comitatu Capituli emphyteusis fuerat statuta; neque Apostolicus accesserat assensus; neque fundus æstimatus, atque dimensus.

S. C. autem conjecit, hujusmodi rationum involucris simulate tegi, atque obtendi Capituli consilium fraudandi Regales sanctiones nuper editas, post quarum promulgationem actio fuerat instituta.

Etenim quoad solemnitates prætermissas attinebat, ex longissimi temporis exacto spatio omnia solemniter acta erant censenda *L. 6. §. sed etsi*, & ibi *Glossa ff. de acquir. hered. L. 6. ff. de usuris*, *L. 15. ff. de Public. in rem act.* Verisimile namque prorsus non erat, tot, tantosque Capitulares tam magni momenti negotium præteriisse silentio plusquam sexaginta annorum, si contractus emphyteusis tot tantisque vitiis conspergeretur.

Præterquamquod in instrumento pactæ emphyteusis exemplum decreti Curiæ Episcopalis legebatur exscriptum; atque in eo mentio facta erat facultatis eidem Curiæ tributæ a Sacra Congregatione. Idem quoque Tabellio commemoraverat fuisse confectam nedum descriptionem planæ formæ ruris in emphyteusim concessi; verum etiam fundum æstimatum a perito Joanne Paulo Longo: cujus quidem assertioni fides erat habenda, potissimum in tanta rerum vetustate, *tit. 1. quare in læsæ Majest. crimin.* Hinc

Referente Regio Consiliario D. Josepho Criscenio,

S.R.C. pronunciavit : *Rei conventi absolvantur ab impetitis pro parte Rev. Capituli S. Leonis Terræ Castellanæ. Neutram partem in expensis.*

U.J.D. Joannes Rubinus Act. Mag.

In causa appellationis a decreto M.C.V. in criminalibus, propositæ a Michaele de Berardino Conte, & Antonio Ceglia. Die 23. Novembris 1775.

Fuga, delinquendi consuetudo, aliaque hujusmodi, indicia criminis sunt; quibus inspectis, extraordinaria pœna plectendus est reus.

MAria Fiorino Civitatis Altamuræ, annos nata duos de viginti, virgo honestissima, licet opum egena, die 9. Octobris 1770., ut sibi victum labore suo quæriraret, domo bene mane egressa, ad vineas fratrum de Scarano proficiscebatur, ad uvas ad vindemiam colligendas; postquam scilicet Anna Tancredi mater ipsius enixe commendaverat Palmæ Cerrottola, quæ ad id secum acciverat, ut eam custodiret. Ubi vero ad locum quemdam insidiis aptum ventum est, viri tres armis instructi, & veste quadam circumtecti, ne cognoscerentur, adversus eas irruerunt. Horum unus sibi arripuit Palmam, cum qua, licet reluctante, rem habuit: duo ceteri majori impetu in Mariam irrumpentes humi straverunt, & cum neque precibus, atque obsecrationibus, neque minis flecterentur, per vim ea stuprata est. Ad Lunæ lucem agniti fuerunt nempe Michael Conti, qui stuprum intulit, a Maria, quum inter concertationes a vultu pallium amotum esset; alii vero a Palma, quippe qui cives erant ejusdem urbis. Sed omnes quum ad ingentes Mariæ clamores atque ululatus accurrissent noctis Jurati, sive ii qui a custodia nocturna erant, fugæ se dederunt. Jam vero pater ejus videns potissimum eundem Michaelem Conti sæpe ante domum suam stantem, ad Regiam Curiam Altamuræ accessit, questus de stupro per vim filiæ illato. Sed quum a prima Regali Secretaria Allodialium delegatum esset Regiæ Audientiæ Materæ, ut postulanti justitiam impertiretur, per hanc circumscriptis omnibus actis illius Curiæ, nova informatio capta est,

est, & secundum eam pronunciatum, ut rei, qui in carcere detinebantur, *consignarentur*. Hinc appellatum fuit ad M. C. V., ubi servatis servandis, Michael Conti ad triremes per septennium damnatus est, & Antonius Ceglia ad præsidium per quinquennium. Sed illi deinde ad S.R.C. provocarunt; a quo, inspectis actis, terminoque ad defensionem dato, audito etiam Advocato Fiscali, reorumque, confirmatum est M. C. decretum, sed quod ad dictum Ceglia præsidii pœna ad triennium contracta. Siquidem de Puellæ honestate non ambigitur, neque dubium est quin stuprum fuerit per vim illatum; Rei autem comperti videntur, tum quia cogniti sunt a Maria, & Palma, tum quia constat de pravo eorum ingenio, & consuetudine, talia non sine comitatu admittendi; tum demum ex eorundem fuga, quum alter ad Ecclesiam confugisset, alter vero a patria discesserit, & licet argumentationes istæ sint, & indicia; quum tamen agatur de crimine atrociori, & nocturno præsertim, rurique patrato, ubi difficilis est plena probatio; ex juris regulis, ne criminosis hominibus spes occultandi noctis, & solitudinis beneficio flagitia præbeat ansam, ex his indiciis profecto damnandi rei sunt, non quidem pœna ordinaria stupri violenti, quæ mors naturalis esset ex *L.* 1. *§.* 2. *ff. de extraord. crimin.*; sed extraordinaria saltem, & cum aliquo temperamento. Quare

Referente Regio Consiliario D. Hectore Capycielatro,

S. R. C. sic placuit decernendum: *Bene fuisse judicatum per nostram M. C. V., & male appellatum per rubricatos, Michaelem de Berardino Conti, & Antonium Ceglia: ac proinde decretum Præsidii contra dictum de Ceglia executioni mandetur per triennium, attenta etiam diutina carceratione.*

Januarius Pellegrinus Scriba.

In causa hereditatis Joannis Mariæ Carosio. Die 20. mensis Maji 1776.

Ex novissimis legibus, quæ *amortizationem* respiciunt, irrita facta dispositione in beneficium Loci Pii, ad hereditatem vocantur proximiores testatoris ab intestato; qui tamen adimplere tenentur onera in testamento injuncta.

JOhannes Maria Carosius institutis heredibus duabus filiis suis, quæ ad Monasticam vitam demigraverant, cavit, ut ipsis decedentibus, ejus hereditas ad Monasterium divo Johanni Baptistæ dicatum, perveniret; cui demandavit, ut sacrum ex hereditatis suæ redditibus singulis diebus fieret, & anniversarium singulis quibusque mensibus perageretur. Rupta mox, atque irrita substitutione propter Regales Sanctiones, nuper editas, factum est, ut quamplurimi competitores exurgerent, quorum alii eodem jure, alii proximioritate Testatoris, ceteri tandem propinquitate heredis nitebantur. Qui defuncti proximitatem præseferebant, nullam se de ea hereditate affirmabant controversiam esse habituros, atque nihil de propinquis heredum quæri posse, cum Testatoris filiæ, propter sollemnia vota emissa, bonorum proprietatem acquirere nullo pacto potuissent, neque ad earum heredes transmittere; eo vel magis, quia a patre institutæ tantummodo in usufructu fuerant, proprietate velut ipso ejus mortis momento ad Monasterium delata: Cum etenim usufructuarius dominium bonorum acquirere nullimode diei possit, *L.* 10. *ff. de acquir. rerum domin. L.* 9. *&* 10. *ff. de habitat. legat.*, sequebatur, si quid juris Monialibus ipsis forsan competiisset, ipsis potissimum ignorantibus nequaquam acquisitum, ad legitimos earum heredes transmittere impotes fuisse, *L. si quis alicui ff. de acquirenda hereditate L.* 7. *ff. rem ratam habere*. His addebatur, quia si proximitas Monialium locum sibi vindicaret, maximum sequebatur absurdum, ut rejectis proximioribus Testatoris, hereditatem obirent, qui nullo cognationis vinculo ei erant obstricti contra *text. in L. si viva matre Cod. de bonis maternis*, & ex ratione *textus in L. cum acutissimi Cod. de fideicommissis*, ne videatur Testator alienas successiones propriis anteferre; quæ porro sententia S. C. probata est; Licet autem jus capiendi heredi-

reditates a Monasteriis ceterisque Religiosis locis fuisset per Regias Sanctiones abdicatum, nullimode tamen heredes legitimi dici poterant merito soluti onere adimplendi pia legata a Testatore præscripta, *§. si quis priore Instit. quibus modis testam. infirm.*, *L. 92. ff. de heredibus instituendis*; quapropter censuit S. C. ab heredibus legitimis Testatoris: quibus erat successio deferenda, Monasterio Sancti Johannis Baptistæ præstanda esse honoraria quotidiani Sacri, & ejus quod intererat pro sacris utensilibus. Hinc Senatus

Referente Regio Consiliario D. Josepho Crisconio,

sequentem sententiam protulit: *Bona hereditaria qu. D. Johannis Mariæ Carosio competere venientibus ab intestato ejusdem D. Johannis Mariæ; pro quo effectu M. C. procedat ad expeditionem præambuli ejusdem, auditis omnibus interesse habentibus: verum heredes prædicti teneantur adimplere onera injuncta in testamento prædicti D. Johannis Mariæ; ac proinde ex fructibus bonorum hereditariorum correspondeant menstruos ducatos quinque in beneficium Capellani, nominandi a Ven. Monasterio S. Johannis Baptistæ ad ejus libitum, pro celebratione missæ quotidianæ in Altare in eodem testamento designato. Necnon heredes prædicti correspondeant in beneficium ejusdem Ven. Monasterii annuos ducatos decemocto, scilicet ducatos sex pro jure sacristiæ, & ducatos duodecim pro anniversariis. Et expedito prædicto præambulo, providebitur super petitis, & prætensis pro parte magn. de Calamita, & Troncone.*

Nicolaus Barletta Scriba.

In causa inter D. Annam Grimaldi, & D. Alexium Crescenzi. Die 20. mensis Maji 1776.

D. Petrus Grimaldi universa bona sua Martiæ Crescenzi, ex filia fratris sui pronepti (nulla ejus tamen acceptatione sequuta) ea sub conditione donavit, ut nuberet D. Nicolao Romaldi. Paucos ab inde dies donator gestæ rei

Donatio, quæ inconsulto facta ostenditur, revocari potest; præsertim cum onerosa fuerit, in

absentem collata, & acceptatione destituta.

rei pœnitentia motus veniam ab Episcopali Curia impetravit, ut a juris jurandi nexu, quo per donationem fuerat obstrictus, exsolveretur. Post autem tres circiter menses idem donator, qui causatus instigationibus D. Francisci Romaldi, adductum se dixit, ut bona sua pronepti Martiæ donaret, per se gesta revocavit; ac donationem eorumdemet bonorum contulit D. Annæ Grimaldi, ex defuncti fratris filio pariter pronepti, quam sibi pro filia educaverat. Orta est quæstio, quænam ex hisce donationibus robur, firmitatemque præseferret. S. C. rationabiles, verisimilesque agnovit causas primam revocandi donationem. Illa enim temere, atque inconsulto facta arguebatur, paulo post, quam sponsalia inita inter proneptem Annam Grimaldi cum Barone Marciano donator sensit, qui inclinatione suæ voluntatis perpendebat in nuptias Nicolai Romaldi. Hic siquidem subitus animi motus in donatore per imprudentiam, & iræ potius calore succenso primæ donationis causam fuisse, satis superque portendebat: itaut inconsulto potius, quam ad liberalitatem, munificentiamque exercendam erga Martiam Crescenzi hujusmodi explevisse actum, censendum esset: quod clarius dignoscebatur eo, quod paucorum dierum interjecto spatio ad meliorem donator redeundo mentem, jusjurandum dissolvendi potestatem sponte sua fuit assecutus; subindeque eademmet bona propria donatione transtulit ad Annam alteram proneptem. Accedit, quod in prima donatione, ne mentionem quidem fecerat Annæ ejus pronepris, quam summopere diligebat; quin imo conditione nuptiarum per Martiam non impleta, ad bona donata Franciscum Romaldi extraneum vocaverat: quæ omnia probabiles præbebant causas hujusmodi revocandi donationem, ex ratione prodita a textu in *L.* 33. *§. pœnitentiam ff. de donat. inter vir. & uxor.* S. C. vero argumentum hoc penitus pernoscendo, animadvertit revocationem primæ donationis aliunde substineri valide posse. Ipse siquidem D.Petrus certam induxit

duxit pronepti Martiæ legem nubendi D.Nicolao Romaldi; Martia autem, neque stipulationi adfuit, neque paratam se præbuit conditionem implere. Cum autem aliquid datur, ut tum demum accipientis fiat, cum aliquid secutum fuerit, donatio in jure proprie non appellatur, sed sub conditione, ut Ulpianus in *L.* 1. *de donationib.* definit: Donatio enim illa dicitur, cum aliquid ea mente datur, ut statim accipientis fiat, neque propter ullam aliam causam, quam ut liberalitatem, & munificentiam aliquis exerceat. Si enim mixtum sit negotium cum donatione obligatio non contrahitur. *L.* 18. *ff. de donat.* Potius itaque conditionalis dispositio bonorum suorum a D.Petro Grimaldi facta, contractus innominatus erat censendus, cujus peculiare erat, ut re integra, liceret promissori resilire, atque pœnitere. *L. arist.* 18. *ff. de donat. L.* 9. *§.* 1. *ff. de jur. dot. L.* 5. *ff. de condit. dat. L.* 39. *ff. de jurejur.*, unde emanavit DD. sententia, communi pæne calculo probata, quam in subselliis obtinuisse, satis constat, donationem scilicet onerosam re integra, & ante absentis acceptionem pœnitentiam admittere, atque revocationi esse obnoxiam. Hinc

Referente Regio Consiliario D. Josepho Criscenio,

S. C. hanc protulit sententiam: *Nulla habita ratione donationis factæ per Rev. D. Petrum Grimaldi in beneficium magn. D. Martiæ Crescenzi sub die 2. Maji 1773. manu Notarii Jordani Rega, S. C. declarat, esse exequendum instrumentum donationis per eundem Rev. D. Petrum sub die 24. Julii ejusdem anni factum manu Notarii Nicolai Angeli Sagg se, in beneficium magn. D. Annæ Grimaldi.*

Dominicus Antonius de Francisco Scriba.

In causa D. Angelæ Galante cum heredibus D. Michaelis Angeli Portio. Die 21. Maji 1776.

Nequit interesse in sortem converti. Qui sciens prudens indebitum persolvit, repetere prohibetur. Factum proprium impugnare non licet ad sui commodum ex persona alterius.

DOnatus Antonius Cosentino, fabrorum cæmentariorum præfectus, ædes D. Angelæ Galante instaurandas, reficiendasque suscepit, convenitque se, velut operis redemptorem, mense Novembris anni 1761. ædificium perficere, ut jam in usu esse, atque locari sequenti anno posset, quod ni intra præstitutum tempus redemptor Cosentino promissa implevisset, pecuniæ, quam erat erogaturus, usuras petere nullimode posse. Hujusmodi opus biennio post dictam diem absolutum est a Cosentino, cum quo, supputatis anno 1764. rationibus expensi ad ædes instaurandas, creditor ipse Cosentino emersit in ducatis quinquemille centum nonaginta tribus; atque in harum expensarum numerum fuerunt, nec invita D. Angela Galante, recensiti ducati tercentum quatraginta octo usuræ pecuniæ in opus insumptæ; ex quibus sors est conflata, alteras usuras producens, quæ sollemni instrumento quincunces constitutæ sunt. Ubi primum autem D. Angela Galante cognitum habuit, Michaelem Angelum Porzio, mutuato nomine Donati Cosentino, omnia gessisse; illumque revera, velut Architectum, operi præfuisse, adversus eum actionem intendit, nedum ad condicendam summam ducatorum tercentum quinquaginta, quæ fuerant usuræ in sortem versæ, verum etiam interesse illius; repetitionemque quoque sibi dandam aliarum quantitatum, per eam indebite solutarum pro honorario Architecti Vetromile; omneque id aliud per eum præstandum, in quo vel falsi modi, mensuræve causa, vel æstimationis pretii eam fefellerat. Inter tot autem, tantasque petitoris actiones illam tantummodo censuit S.R.C. rationi esse conformem, qua Michaelem Angelum Porzio condictitia teneri posse ad fœnus quincunce restituendum super sorte ducatorum tercentum quatraginta octo, quæ ex usuris pecuniæ creditæ

ditæ fuerant conflata, per *text. in L.* 28. *C. de usur. L. si non sort. ff. de condict. indeb. L.* 20. *ff. de usur.* De sorte tamen ducatorum tercentum quadraginta octo nihil quæri posse idem censuit S. C., ea potissimum de causa, quod D. Angela sciens prudensque instrumento inito anno 1764. acceptam non modo habuerat, quinimmo probaverat summam hujusmodi interesse, utpote minorem illa, quæ, supputatis ejusdem interesse rationibus, colligebatur; unde etiamsi sors ducatorum tercentum quadraginta octo fuisset indebita, pro scientia tamen solventis condictio erat deneganda, per *text. in L.*1. *&* 50. *ff. de condict. indeb.* Quoad vero honorarium architecto Vetromile solutum, repetitionem non competere adversus heredes Michaelis Angeli Porzio, idem censuit S. C. per *text. in L.* 49. *ff. de condict. indeb.* Quin imo, ne erroris quidem prætextu indebite solutum dicto Vetromile repeti ab heredibus Michaelis Angeli Porzio jure merito poterat ex altera juris regula, quod non potest quis factum suum impugnare ad sui commodum ex persona alterius, *L.* 26. *§. si familias filio, eod. tit.*; potissimum cum merces omni jure architecto esset debita propter navatam operam, nihil referebat, utrum a Vetromile, an a Porzio fuisset accepta, ut petitor a condictione repelleretur: Ceteras denique petitoris actiones adversus heredes D. Michaelis Angeli Porzio experiundi jus non esse S. C. animadvertit, cum spectarent potius personas vel Donati Cosentino, vel architecti Vetromile, in quos erant instituendæ. Inspectis itaque omnibus actis,

Referente Regio Consiliario D. Joseph Crisconio

S. C. pronunciavit: *Condemnandos esse heredes qu. D. Michaelis Angeli Porzio ad restituendum in beneficium D. Angelæ Galante, ejusque filiorum interesse sortis ducatorum tercentum quadraginta octo a die instrumenti initi anno* 1764. *manu Notarii Johannis Merolla, usque ad diem executionis præsentis sententiæ, calculandum per Scribam causæ, partibus requisitis; & pro reliquis per præfatam*

D. Angelam prætensis, heredes prædictos qu. D. Michaelis Angeli esse absolvendos.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag. — *Cyrus Maria Basile Scriba.*

In causa magn. Doctoris Physici D. Augustini Cafiero, cum magn. Curatore Antonini Ruffo filii & heredis qu. Januarii, ut ex actis. Die 21. mensis Augusti 1776.

Qui in re communi dolose se gesserunt, ut soli lucrarentur, nullam communicando partem condomino; soli etiam sentiant necesse est interitus rei damnum, etsi fortuito casu successerit.

Ad ea, quæ a mandato aliena gerit Procurator, nulla actione mandans tenetur.

ANno 1755. Augustinus Cafiero duas onerariæ navis partes vendidit Jacobo, Januario, & Gaspari fratribus de Rossi, tertiam vero partem in sua potestate retinuit; cavitque, ipsos de Rossi commercium ubique locorum libere exercere posse, verum certiorem se facturos de quocumque conductionis negotiationisque contractu. Vela itaque eodem tempore iidem de Rossi solverunt, nec unquam reversi sunt; itaut rumore tandem post annorum quatuor spatium perlato, ipsos naviculariam in Cretico exercere, Augustinus illuc dimisit Ascanium Cafiero, quem Procuratorem pariter constituit ad habendas rationes mercedum portorii navis anteacti temporis. Ascanius navim in Euboico assecutus, subductis cum fratribus de Rossi rationibus, pro rata parte Augustini ad summam ducatorum sexcentum portoria convenit, quorum solutionem cum diu substinuisset, expectatione tandem deceptus, infecta re rediit; & paulo post navis naufragio periit. Cum ambigeretur, cujus damno navis interitus cederet, S. C. censuit, fratrum de Rossi periculo fuisse; quos propterea ad solutionem tertiæ partis pretii illius condemnavit; & sententia hujusmodi fuit pariter in revisione remedii restitutionis in integrum confirmata, his potissimum rationibus: Cum enim fratres de Rossi spatio annorum quatuor in longinquas abiissent regiones, navem ad transferendas merces locando, ut soli lucrarentur, neque partem condomino Cafiero communicassent, damnum ex naufragio passum, ad ipsos respicere oportere, per *text. in L. 6. §. sive autem, ff. communi divid.* Periculi enim nomine casus quoque for-

fortuiti comprehenduntur, *L. 61. §. res ff. de contrab. emt.* potissimum quia ipsi de Rossi dolose se gesserunt, fidem fallendo, & pacta non servando, imo lucrum in eorum usum vertendo, *L. electio §. si absente ff. de noxali act.* Quod quidem socium fallendi propositum, ex fortuito naufragio purgatum, nullo pacto dici poterat, *L. 16. ff. de nox. act.* Neque obicem afferebant, quæ gesta fuerant per Ascanium Procuratorem, qui ablegatus ad exigenda portoria a fratribus de Rossi, & sequestro ponendam navim, postridie quam eos adduxit promittere per syngrapham se soluturos ducatos sexcentum, alteram cum Januario Rossi iniit conventionem, qua ab eodem Procurator est constitutus ad locandam navem, & portoria exigenda; ex quo iidem de Rossi affirmabant, Ascanium in exequendo mandato, sibimet solvisse ducatos sexcentum: etenim compertum est, Ascanium in suscipiendo hujusmodi mandato, personam Augustini haud gessisse; nec ipse professus est mercedes conductitiæ navis penes se retinere ad compensandum, quæ fratres de Rossi Augustino Cafiero debebant; sed Januarius Rossi ministerium Ascanii ex industria adhibuit, velut idoneum ad Procuratoris munus, per eum sigillatim in hoc constituti, obeundum; & propterea de gestis ab Ascanio sejunctis a mandato, quod acceperat ab Augustino, ipse Augustinus exercitoria quasi actione nullo prorsus pacto tenebatur, per *text. in L. 1. §. cum autem & seq. ff. de exercit. act.*: eo vel magis quia non solum non liquebat, Ascanium suscepisse mandatum Januarii Rossi; verum etiam ipse Ascanius solemni obtestatione adversus fratres de Rossi professus est, illos scilicet, quæ polliciti erant non præstitisse.

Referente itaque Regio Consiliario D. Josepho Crisconio

S. C. pronunciavit: *Non esse deferendum restitutioni in integrum petitæ pro parte Curatoris Antonini Russo filii & heredis qu. Jannarii in ejus supplicatione.*

Gerace Act. Mag. -- Bascioni Scriba.

B 2 *In*

D. Angelam prætensis, heredes prædictos qu. D. Michaelis Angeli esse absolvendos.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag. -- *Cyrus Maria Basile Scriba.*

In causa magn. Doctoris Physici D. Augustini Cafiero, cum magn. Curatore Antonini Russo filii & heredis qu. Januarii, ut ex actis. Die 21. mensis Augusti 1776.

Qui in re communi dolose se gesserunt, ut soli lucrarentur, nullam communicando partem condomino; soli etiam sentiant necesse est interitus rei damnum, etsi fortuito casu successerit.

Ad ea, quæ a mandato aliena gerit Procurator, nulla actione mandans tenetur.

ANno 1755. Augustinus Cafiero duas onerariæ navis partes vendidit Jacobo, Januario, & Gaspari fratribus de Rossi, tertiam vero partem in sua potestate retinuit; cavitque, ipsos de Rossi commercium ubique locorum libere exercere posse, verum certiorem se facturos de quocumque conductionis negotiationisque contractu. Vela itaque eodem tempore iidem de Rossi solverunt, nec unquam reversi sunt; itaut rumore tandem post annorum quatuor spatium perlato, ipsos naviculariam in Cretico exercere, Augustinus illuc dimisit Ascanium Cafiero, quem Procuratorem pariter constituit ad habendas rationes mercedum portorii navis anteacti temporis. Ascanius navim in Euboico assecutus, subductis cum fratribus de Rossi rationibus, pro rata parte Augustini ad summam ducatorum sexcentum portoria convenit, quorum solutionem cum diu substinuisset, expectatione tandem deceptus, infecta re rediit; & paulo post navis naufragio periit. Cum ambigeretur, cujus damno navis interitus cederet, S. C. censuit, fratrum de Rossi periculo fuisse; quos propterea ad solutionem tertiæ partis pretii illius condemnavit; & sententia hujusmodi fuit pariter in revisione remedii restitutionis in integrum confirmata, his potissimum rationibus: Cum enim fratres de Rossi spatio annorum quatuor in longinquas abiissent regiones, navem ad transferendas merces locando, ut soli lucrarentur, neque partem condomino Cafiero communicassent, damnum ex naufragio passum, ad ipsos respicere oportere, per *text. in L. 6. §. sive autem, ff. communi divid.* Periculi enim nomine casus quoque

for-

fortuiti comprehenduntur, *L. 61. §. res ff. de contrab. emt.* potissimum quia ipsi de Rossi dolose se gesserunt, fidem fallendo, & pacta non servando, imo lucrum in eorum usum vertendo, *L. electio §. si absente ff. de noxali act.* Quod quidem socium fallendi propositum, ex fortuito naufragio purgatum, nullo pacto dici poterat, *L. 16. ff. de nox. act.* Neque obicem afferebant, quæ gesta fuerant per Ascanium Procuratorem, qui ablegatus ad exigenda portoria a fratribus de Rossi, & sequestro ponendam navim, postridie quam eos adduxit promittere per syngrapham se soluturos ducatos sexcentum, alteram cum Januario Rossi iniit conventionem, qua ab eodem Procurator est constitutus ad locandam navem, & portoria exigenda; ex quo iidem de Rossi affirmabant, Ascanium in exequendo mandato, sibimet solvisse ducatos sexcentum: etenim compertum est, Ascanium in suscipiendo hujusmodi mandato, personam Augustini haud gessisse; nec ipse professus est mercedes conductitiæ navis penes se retinere ad compensandum, quæ fratres de Rossi Augustino Cafiero debebant; sed Januarius Rossi ministerium Ascanii ex industria adhibuit, velut idoneum ad Procuratoris munus, per eum sigillatim in hoc constituti, obeundum; & propterea de gestis ab Ascanio sejunctis a mandato, quod acceperat ab Augustino, ipse Augustinus exercitoria quasi actione nullo prorsus pacto tenebatur, per *text. in L. 1. §. cum autem & seq. ff. de exercit. act.*: eo vel magis quia non solum non liquebat, Ascanium suscepisse mandatum Januarii Rossi; verum etiam ipse Ascanius solemni obtestatione adversus fratres de Rossi professus est, illos scilicet, quæ polliciti erant non præstitisse.

Referente itaque Regio Consiliario D. Josepho Cristenio

S. C. pronunciavit: *Non esse deferendum restitutioni in integrum petitæ pro parte Curatoris Antonini Russo filii & heredis qu. Januarii in ejus supplicatione.*

Cerate Act. Mag. -- Bisciani Scriba.

In causa inter magn. Gaudentium Villani, & Universitatem terræ Taureni. Die 9. mensis Septembris 1776.

Cum & prædia, & census, ac jura unitim in emphyteusim concedantur, prælationi ex Constitutione *Sancimus* non est locus.

Jus prothomiseos Universitati non datur; præsertim cum nulla subsit publicæ utilitatis ratio.

CUm Gaudentius Villani anno 1773. emphyteusim susceepisset & rerum, & bonorum, quæ in agro Taurinensi Collegium Canonicorum Lateranensium possidebat, Universitas Taurini prælationis actionem adversus emptorem instituit; a qua, censuit S. C., Universitatem esse repellendam, his potissimum ex causis. Primo quia universum pene Patrimonium Ecclesiæ fuerat in emphyteusim concessum, in qua aedum bona stabilia, verum etiam census, & actiones comprehendebantur. Cumque Constitutio *Sancimus* de venditione rei stabilis loquatur, nullo pacto ad bona diversæ qualitatis in emphyteusim unitim concessa porrigi poterat, per *text. in L.* 1. *Cod. de eviction. & Glos. in L.* 2. *verbo unicus ff. de usucapione pro dote*. Secundo quia inter personas, quas enumerat Constitutio *Sancimus*, nuspiam legitur recensita Universitas, ut Prothomiseos compos esse possit: quod, inspectis ejusdem verbis, Interpretes animadvertunt. Neque Constitutio, libertatem adimens pro libitu rem suam cuilibet vendendi, in ampliores, quam quibus conscribitur, limites dilatari nullimode potest, ut per *text. in L. dudum Cod. de contrab. empt.* Cujacius *lib. V. de Feudis*, & alii Interpretes passim docent. Tertio quia nulla publica utilitas perpendebatur, ut hujusmodi prælationi locus esse posset, quinimmo, ut paucorum civium commodo prospiceretur, Universitas annui census solutione prægravabatur. Denique quia agebatur de emphyteusi bonorum allodialium, omni quacumque jurisdictione, atque prærogativa expertibus, in quibus nulla prorsus æquitatis ratio poterat concurrere ad prælationem tribuendam, juxta *text. in L.* 2. *C. de patribus, qui filios*.

Referente igitur Regio Consiliario D. Josepho Crisonio,

S. C. sic decernendum censuit: *Gaudentium Villani absolvendum esse ab impetitis pro parte Universitatis Taureni*.

Franciscus d'Amora Act. Mag. — Ignatius Spadetta Scriba.

In causa Rev. Sacerdotis D. Michaelis Didelli cum heredibus D. Josephi Didelli. Die 25. mensis Septembris 1776.

Transactio, quæ neque dolo, neque ulla circumventionis causa rescindi potest, cum super alimentis versetur, aliquo æquitatis temperamento lenienda est.

D. Joseph, & D. Michael Didelli fratres de hereditate parentum anno 1758. inter se convenerunt; & recensione proventus fundorum amicabiliter habita, compertum est de parentum redditibus ipsorum cuilibet obvenire annuos ducatos pene octogintaquatuor, de qua summa idem D. Michael concessit fratri suo D. Josepho annuos ducatos sexaginta ad alimenta sibi paranda, ceteros vero ducatos vigintiquatuor sibi ipsi præstari pactus est. Diu post hæc D. Michael, ut æs alienum, quo erat prægravatus, dissolveret, alteram in anno 1761. cum ipsomet fratre suo D. Joseph iniit conventionem, scilicet ab hoc solutis ducatis sexcentum creditoribus illius, illisque a summa eorum, quæ alimentorum causa penes se retinebat, subductis, quod reliquum erat in annuis ducatis quadragintaocto supputatum est. Hujusmodi conventionem post breve tempus rescindere per enormissimæ læsionis querelam idem D. Michael petiit. Quamvis enim S. C. agnovisset petitoris intentionem summo non esse jure subnixam, cum nec dolus intercesserit, neve alia circumventionis causa suberat, propter quam ad transigendum primo super hereditate parentum, & deinde super annuis præstationibus fuerat fortasse adductus (quinimmo illarum diminutioni ipsemet causam præbuit, ut se ære alieno liberaret), quæ porro potissimum causæ sunt transactiones rescindendi, per *text. in L. 39. & seq. C. de transaction.*; nihilo tamen secius idem S. C. censuit, transactionem super alimentis interpositam aliquo æquitatis temperamento esse leniendam, itaut, qui proprietatem hereditatis parentum fratri suo renunciaverat D. Michael, iniquum esset eo miseriarum redactum videre, & usque adeo evilescere, ut passim ac palam contemtui esset; qua quidem ratione Jura super futu-

futuris alimentis transigere, sine Prætoris auctoritate, vetant, *L.* 8. *C. de transaction.* Visis itaque actis omnibus, ac consideratis considerandis,

Ad relationem Regii Consiliarii D. Josephi Crisconio,

S. C. pronunciavit: *Heredes D. Josephi Didelli absolvendos esse ab impetitis pro parte Rev. D. Michaelis Didelli. Verum in causam alimentorum assignetur præfato Rev. D. Michaeli commoda habitatio in aliqua ex domibus hereditariis ejus genitorum, destinanda per Curiam Localem, & summa annuorum ducatorum quadraginta octo, reservata per eundem D. Michaelem in instrumento conventionis initæ in anno 1761. cum præfato D. Joseph ejus fratre, augeatur usque ad annuos ducatos sexaginta, solvendos tertiatim, cum tertia semper anticipata, per prædictos heredes in beneficium ejusdem Rev. D. Michaelis, cum iisdem tamen oneribus contentis in citato instrumento anni 1761. Neutram partem in expensis.*

U.J.D. Thomas Rubinus Act. Mag. -- *Franciscus Sanseverino Scriba.*

In causa D. Claræ Porcinari cum filiis & heredibus D. Joannis Antonii Pica. Die 28. Septemb. 1776.

Referente Regio Consiliario D. Nicolao Vespoli,

Debetur antefatum, etsi non constitutum.

S. C. decrevit: *Deberi magn. D. Claræ Porcinari viduæ qu. D. Joannis Antonii Pica antefatum taxandum respective ad dotes ducatorum bismille quingentum, servata forma Regiæ Pragmaticæ: ac proinde filii, & heredes qd. D. Joannis Antonii condemnentur ad correspondendum fructus antefati prædicti, ad rationem ducatorum quinque pro singulis centum a die obitus dicti eorum patris, in beneficium præcitatæ D. Claræ, ejus vita durante: Neutram partem in expensis.*

Antefatum, quod successit in locum donationis propter nuptias, de jure debetur, attenta dispositione legis in

in *Auth. Sed quia nihil, Cod. de pact. conv.*, & *Pragm.* 114. *de donat. propter nuptias*; & quamvis in casu præsenti non fuerit expresse constitutum, attamen tempore promissionis dotium, fuit inter partes ipsas conventum, fieri cautelas ad consilium sapientis.

Michael Prisitas Act. Mag. -- Joseph Caccia Scriba.

In causa Illustris Ducis Roscinei cum fratribus de Marino. Die 18. Novembris 1776.

Feudi excadentia restæ alienantur, etiam absque Principis assensu.

ILlustris Dux Roscinei D. Scipio Villani petiit, condemnari fratres Michaelem Angelum, & Rev. Sacerdotem D. Constantinum Marino ad restituenda duo parva prædia, quæ ex territoriis feudalibus terræ Sacci occupata fuisse adfirmavit, & possideri a dictis de Marino absque ulla concessione roborata Regio assensu. Duo hæc prædia propriis nominibus *delli Prati*, & *Serra di Ducato* indicantur. Eorum autem feudalem qualitatem ostendere conatus est actor tam æstimationibus feudi, una scilicet anni 1631., altera anni 1707.; quam relevio anni 1634., quo denunciantur redditus herbagii territorii nuncupati *Serra del Ducato*, ac testium depositionibus; ac proinde cum sine concessione, ac Regio assensu feudalia nequeant a privatis possideri, condemnandos esse allatos Fratres ad petitam restitutionem credidit. Contra exceperunt Rei, ipsos, eorumque ascendentes emisse ea territoria, alterum scilicet anno 1681. ducatis octo vigore instrumenti; alterum anno 1773. carolenis octo, mediante istrumento, a Vito Politi; consequenter ipsos justo emtionis titulo possidere: quod firmatur fidibus publici census, sive *Catasti* tam anni 1634., quam anni 1741., ex quibus liquet loca nuncupata *li Prati*, & *Serra del Ducato* regionem quamdam constituere, in qua plurimi cives possident clausuras, vineas, hortos, & oliveta; imo ex *Catasto*

tasto anni 1741. patet, Felicem, & Petrum Marino possidere territorium *alli Prati* cum onere census. His omnibus accedunt apochæ annui canonis carolenorum sex, subscriptis quandoque ab eodem Ill. Duce, quandoque ab ipsius Ærario, ab anno 1714. usque ad annum 1773., quibus probatur, Ducem ut ejus emphyteutas recognovisse Reos conventos. His igitur inspectis, & omnibus actis

Referente Regio Consiliario D. Antonio Carpentiero.

S. C. pronunciavit: *Rev. D. Constantinum, & Michaelem Angelum, fratres de Marino, absolvendos esse ab impetitis per Ill. Ducem Roscinei in ejus supplicatione; & præcitatum Ducem condemnandum ad litis expensas.* Constat quippe ex publicis instrumentis, eosdem fratres justo titulo possidere, nec actorem probavisse specifice antecedens dominium prædiorum, quod in judicio revindicationis omnino probandum erat, *L. 1. ff. de probat.* Constat pariter, dictum Ducem exegisse canones quiete absque ulla contradictione, aut conquestu annis ferme sexaginta. Nec necessaria erat concessio, sive Regius Assensus, cum ageretur de excadentiis feudi, quæ a Barone, absque assensu Regis, concedi possunt; cumque feudales redditus augeantur potius per concessionem bonorum sterilium, qualia apparent fuisse territoria dicta *li Prati*, & *la Serra di Ducato* ex appretio anni 1631. Consequenter hujusmodi concessiones in deminutionem feudi non cedunt, ac proinde non comprehenduntur sub Constitutione Regni *Constitutionem divæ memoriæ*, ut disponunt Usus feudales, & communiter docent Feudistæ super titulis *de prohibita feudi alienatione*.

Antonius Basile Act. Mag. -- Christophorus de Mase Scriba.

In

In causa D. Vincentii Cammarota cum D. Antonio, & D. Francisco Xaverio de Leon. Die 17. Decembris 1776.

QUum moreretur Vincentius Ametrano sine liberis, ex ejus cognatione erant in humanis Rev. D. Petrus Irace Annæ Ametrano sororis præmortuæ filius, ac D. Joseph Cammarota ejusdem Annæ ex filia nepos, & ex dicto D. Josepho progenitus D. Vincentius: itidemque Rev. D. Laurentius, & D. Nicolaus Campitelli filii Isabellæ Ametrano alterius sororis pariter præmortuæ, & ex dicto D. Nicolao prognata D. Elisabeth Campitelli. Itaque cum is suprema sua ordinaret, heredem scripsit in semisse D. Petrum Irace, in alio vero semisse D. Laurentium, & D. Nicolaum Campitelli, atque hos etiam in casu mortis invicem substituit. Mortuo D. Petro Irace, in ejus semisse substituit D. Josephi Cammarota filium masculum primogenitum, eoque defuncto ceteros primogenitos masculos ex ejus linea descendentes in infinitum: & pari modo mortuis D. Laurentio, & D. Nicolao Campitelli, substituit in eorum semisse filium masculum primogenitum prædicti D. Nicolai, & deinceps ceteros primogenitos masculos descendentes ex ejus linea in infinitum. Quum vero in alterutra linea deficerent masculi, unius lineæ semis accresceret alteri, in qua masculi superessent; fœminis earumque filiis masculis perpetuo exclusis. Insuper jussit, quod scripti heredes potirentur tantum bonorum usufructu, & quod successive ususfructus idem perveniret ad ulteriores vocatos, vetita in perpetuum alienatione bonorum, & reservata facultate disponendi masculo postremo, qui in alterutra linea fuisset superfuturus.

Cum minor certas nuptias, sub quarum condicione fideicommissum relictum est, recusaverit; mutato inde personarum statu, adversus renunciationem in integrum restitui non potest.

Fœmina unius lineæ eo tantum casu ad fideicommissum vocata, si scilicet masculo alterius lineæ nuberet; quum per eam non steterit, quominus nuptiæ contraherentur, fideicommissum merito consequitur; neque, ea defuncta, fideicommissi bonis privantur filii.

Inter eas vero substitutiones ita etiam cavit: *E morendo tanto detto D. Lorenzo, quanto detto D. Nicola Campitelli, e questo senza figli mascoli, ma con femine, voglio, che la loro porzione di usufrutto, lasciata a detti*

ti D. Lorenzo, e D. Nicola Campitelli, vada in beneficio della figlia femina primogenita, o che terrà luogo di primogenita, che si trovarà maritata, o si mariterà col figlio primogenito, o che terrà luogo di primogenito di detto D. Giuseppe, e sarà succeduto, o avrà speranza di succedere nell' infrascritta primogenitura da me istituita: e con questa condizione la chiamo, ed invito, e voglio, che s' intenda per condizione sospensiva, e non modale, nè risolutiva, e nè tampoco pena; e non trovandosi casata con detto primogenito di D. Giuseppe Cammarota, e non volendosi, o non potendosi casare, o perchè si trovasse già maritata, o per altro impedimento, l'esclude dalla successione di detta porzione di usufrutto, e quella si accresca all' altra porzione lasciata a detto D. Pietro Irace, e successivamente al detto Cammarota, cioè vada al detto D. Pietro, trovandosi vivente, e non esistendovi, vada al primogenito maschio figlio di detto D. Giuseppe Cammarota, e successivamente agli altri primogeniti, ed altri ut infra chiamandi, ed onorandi nell' infrascritto fedecommesso, e primogenitura, ed in detto caso a detta primogenita di D. Nicola Campitelli da me esclusa, come sopra, lascio per l' amore, che porto verso detto D. Nicola suo padre, ducati mille per una sola volta tantum.

Mortuo testatore in anno 1740, adiit S. C. in mense Novembris 1743. D. Elisabeth Campitelli D. Nicolai filia unigenita, seque paratam exhibens nubere cum D. Vincentio Cammarota filio primogenito D. Josephi, petiit eumdem adigi ad declarandum, num eam vellet uxorem ducere. Is pluries interpellatus, pluribus etiam interjectis temporum spatiis, firmissime declaravit, se nolle cum ea matrimonio jungi. Itaque muliere instante S. C. die 24. Augusti 1744. referente Regio Consiliario Porcinari Commissario, declaravit; conditionem nubendi impositam D. Elisabeth Campitelli ex parte sua fuisse & esse adimpletam, quum per eam non stetisset, quominus adimpleretur,

tur, & quod proinde uteretur jure suo. Exinde vero decreto ejusdem causæ Commissarii D. Elisabeth Campitelli immissa fuit in possessionem ususfructus medietatis bonorum hereditariorum Vincentii Ametrano, cum clausula: *pro nunc, & salva provisione facienda respectu proprietatis medietatis prædictæ.*

Post triennium D. Elisabeth Campitelli alii viro nupsit. His peractis, D. Vincentius Cammarota anno 1747. asserens se adhuc agere quatriennium post minorem ætatem, petiit in integrum restitui, eo quod explorata fuerat ejus voluntas, quum adhuc fuisset in ætate minori constitutus. Postmodum vero supplicavit, quod decretum latum per causæ Commissarium, quoad immissionem D. Elisabeth Campitelli in possessionem ususfructus, referretur in S.C.; eademque supplicatione petiit adversus ejusdem S. C. decretum de die 24. Augusti 1744. in integrum restitui. Regia autem decretatio tantum indulsit, ut referretur in S.C. decretum domi latum, nisi fuisset pro exequutione decreti ejusdem S. C.

Quum vero de re diu non fuisset actum, postremo defuncta anno 1772. D. Elisabeth Campitelli, superstite filio D. Francisco Xaverio de Leon, petiit D. Vincentius Cammarota tam ab eo, quam a D Antonio de Leon ejus patre & administratore, sibi restitui nedum proprietatem medietatis bonorum Vincentii Ametrano, sed & fructus a matre, dum viveret, perceptos. Sed renuentibus reis conventis, & complura excipientibus, terminoque super actionibus, & exceptionibus rite compilato: tandem quum ageretur de ferenda sententia, ejusmodi quæstiones illatæ fuerunt per S.C. exagitandæ.

Siquidem ajebat D. Vincentius Cammarota vix sibi objiciendum, quod nuptias a testatore designatas respuisset, quum ea omnia gesta fuissent in ejus minori ætate, adversus quæ jamdudum petierat in integrum restitui. Sed eo etiam argumento neglecto, frustra ex ejus dissensu

su a nuptiis, deductum fuisse conditionis adimplementum ex parte D. Elisabeth Campitelli: Testatorem enim in ea conditione respexisse purum factum, scilicet si nuptiæ fuissent sequutæ, nullimode perspecto, nuptiis non sequutis, quanam ex causa fuissent impeditæ. Id quidem argui ex illis verbis, *e voglio, che s' intenda per condizione sospensiva, e non modale, nè risolutiva, nè tampoco pena*: Idemque fortius evinci ex aliis testamenti verbis; *e non volendosi, o non potendosi casare, o perchè si trovasse maritata, o per altro impedimento, la escludo dalla successione*: ea enim verba quodcumque impedimentum comprehendere, fortius vero si ipse D. Vincentius a nuptiis dissentisset: nuptiæ enim nequeunt expediri sine mutuo partium consensu.

Hinc decretum S.C. de anno 1744. a testatoris voluntate deflectens nullimode substineri; perperam enim dictum, quod fuerit impleta conditio, cui neutiquam in facto fuisset paritum: ac proinde rescisso decreto, etiam ope restitutionis in integrum, fructus a D. Elisabeth Campitelli, dum viveret, perceptos restitui oportere.

Sed quoad petitam restitutionem, ex eo quod voluntas pro contrahendis nuptiis expetita fuisset a D. Vincentio Cammarota in minori ætate, merito excipiebatur de re non integra, ipse enim jamdiu aliam duxerat uxorem, & D. Elisabeth Campitelli anno 1747. alii nupserat viro, eaque jam e vivis discesserat, relicta sobole: mutato igitur personarum statu, restitutioni locum non fieri; quum nec res capiat restitutionem ex *L.* 9. *§.* 3. *ff. de minor.* Adjiciebatur, nuptias valide contrahi, vel distrahi tempore pubertatis; ipsumque D. Vincentium nec etiam majorem factum, priusquam D. Elisabeth alii desponsaretur viro, voluntatem immutasse: denique explorationem peractam fuisse solemniter, patre interveniente, coram causæ Commissario, prolatis ad deliberandum temporis induciis, & pluries repetita deliberatione: minores autem non passim

sim restitui, sed causa cognita, si capti esse proponantur, *L. 11. §. 3. ff. eod.*

His itaque postpositis, actum fuit de conditione nuptiarum, num scilicet a testatore in arbitrium D. Vincentii Cammarota fuisset collata. Quum enim asseritur, conditionem adimpleri nequivisse, eo quod ipse nuptias respuisset, consequenter asseritur conditionis implementum in ejus positum fuisse voluntate. Conditionem vero taliter sumptam apparuit frustratoriam habitum iri, & pene derisoriam. Nam cum testator jussisset, quod Elisabeth Campitelli, si nuberet filio primogenito D. Josephi Cammarota, succederet in semisse, sin secus, idem semis ad eumdem primogenitum pertineret, procul dubio ejusdem D. Josephi primogenito unice interfuisset conditionem non impleri, quo successionem in semisse, exclusa D. Elisabeth, sibimet pararet. Proinde dicendum foret, testatorem, adscripta conditione nuptiarum, id unice studuisse, ne conditio impleretur, proposita scilicet eidem primogenito spe successionis, si a nuptiis dissentiret; quod quidem a ratione, & jurisprudentia abhorret. Conditiones enim, quæ testamento præscribuntur, testatoris voluntatem designant, ex *Papiniano in L. 101. §. 2. ff. de condit.*, nec sic interpretanda scriptura testamenti, ut fideicommissum inutile fiat, ex *Modestino in L. 34. §. 1. ff. de legat. 2.*

Quod autem innuit testator: *E voglio, che s' intenda per condizione sospensiva, e non modale, nè risolutiva, e nè tampoco pena*, id eam habet significationem, quod scilicet institutionis effectus suspenderentur, donec heres institutus conditioni paruisset, non vero quod effectu sequuto ex causa non impletæ conditionis resolveretur. Modum etiam ab adscripta conditione sejunxit, eo quod quæ sub modo relinquuntur, peti possunt cautione præstita de modo implendo, ex *L. 40. §. 5. ff. de condit.* Denique quum fideicommissum ademisset, nisi conditioni paritum fuisset, id noluit pœnæ nomine præscriptum videri; jure enim vete-

veteri, quæ pœnæ causa præcipiebantur, nullius erant momenti *§. ult. instit. de legat.* Ea vero omnia nihil habent commune cum ea specie, si mulier scilicet paruerit conditioni nuptiarum, vir autem parere recusaverit, neque ad viri personam sunt referenda.

Illa etiam verba: *e non volendosi, o non potendosi casare, o perchè si trovasse maritata, o per altro impedimento, la escludo dalla successione*, ad alia potius impedimenta referenda sunt, quibus mulier ipsa fuisset obstricta, sive quod fuisset jam nupta, sive quod religione, vel votis irretita, sive quod vitio corporis matrimonio fuisset impar. Impedimentum vero promanans a viro matrimonium recusante, cujus interest, ob speratam successionem, nuptiarum conditionem non impleri, certam ac perpetuam habet a jure definitionem, ut scilicet conditionis implemento non obstet, & perinde habeatur, ac si fuisset impleta. Id a Juliano luculenter expressum in *L.24. de condit.* *Jure civili receptum est, quoties per eum, cujus interest, conditionem non impleri, fit quominus impleatur: ut perinde habeatur, ac si impleta conditio fuisset*. Id etiam iisdem pene verbis repetitum ab Ulpiano *in L.161. ff. de regul. jur.* Idem habetur ex Paulo *in L. 81. §. ult. ff. de condit. Tunc demum pro impleta habetur conditio, cum per eum stat, qui si impleta esset, debiturus erat*. Et ex Papiniano *in L. 78. ff. eod. Cum pupillus, aut tutor ejus conditionem in personam pupilli collatam impedit, tam legati, quam libertatis jure communi conditio impleta esse videtur*. Similesque juris sanctiones habentur in *L.32. & 45. ff. de condit., & in L. 34. §. 4. ff. de legat. 2. & in L. 3. & 11. ff. de condit. institut.*

Quinimo de conditione nuptiarum specialiter jure statutum est, hereditatem vel legatum ei deberi, quæ parata sit nuptias inire, viro adhuc recusante, cujus forte nec interest conditionem impleri, vel non impleri. Cavetur id in *L. 1. Cod. de his quæ sub mod.* illis verbis: *In legatis*

gatis quidem & fideicommissis etiam modus adscriptus pro conditione observatur. Sed si per te non stat, quominus voluntati testatoris pareas, sed per eum, cui nubere jussa es, quominus id, quod tibi relictum est, obtineas; non oberit. Cavetur insuper *in L. 1. Cod. de instit. & substit. sub condit. Cum avum maternum ea conditione filiam tuam instituisse proponas, si Anthylli filio nupserit, non prius eam heredem existere, quam conditioni paruerit, aut Anthylli filio recusante matrimonium impeditum fuerit, manifestum est.* Ejusmodi sunt etiam jura in *L. 5. §. 5. ff. quando dies legat. vel fideic. ced., & in L. 23. ff. de condit. instit.*

Frustra vero objicitur, quod jusserit testator, non impleta conditione nuptiarum, solvi pro una vice D. Elisabeth Campitelli ducatos mille: quod enim ex testatoris præscripto pertinet ad casum conditionis non impletæ, nequicquam porrigitur ad diversam facti speciem, in qua legibus cavetur conditionem haberi pro impleta.

Quum igitur decreto S. C. de anno 1744. judicatum jam fuerit pro conditionis implemento, neque adversus illud restitutionis remedium fuerit indultum, idemque decretum clarissimis juribus fuerit innixum: censuit S. C. a re tunc judicata recedi non oportere, ac proinde a D. Vincentio Cammarota frustra peti restitutionem fructuum vi rei judicatæ perceptorum.

His consequenter tractatum fuit de proprietate semissis hereditarii Vincentii Ametrano, pro qua in anno 1744. decreto causæ Commissarii reservata fuit provisio. Hanc asserebat D. Vincentius Cammarota ad se pertinere cum fructibus saltem a die mortis D. Elisabeth Campitelli; testatorem enim in casu nuptiarum secutarum usumfructum tantum in eam contulisse, reservata proprietate vocatis in fideicommisso: ad fideicommissum autem non alios fuisse vocatos, nisi filios primogenitos masculos descendentes ex D. Joseph Cammarota, & ex D. Nicolao Campitelli, fœminis, earumque filiis masculis in utraque linea

nea perpetuo exclusis ; cum ea etiam lege , quod deficientibus in alterutra linea masculis, portio vacans deferretur masculis alterius lineæ . Vocatam quidem fuisse D. Elisabeth Campitelli ad patris semissem , sed ejus filios non aliter fuisse vocatos , quam si progeniti fuissent ex D. Vincentio Cammarota masculo alterius lineæ , nuptiis inter eos initis ; noverat enim testator eo modo successionem masculorum ex lineis vocatis semper integram servatum iri : ceterum filios ejusdem D. Elisabeth ex extraneo viro progenitos nusquam fuisse vocatos , nec expressa vocatione, nec tacita . Adjiciebatur , testatorem , deficientibus masculis D. Nicolai Campitelli ; non ea mente substituisse ejus filiam , ut huic , ejusve filiis bona deferrentur , sed ut recta via transirent in lineam D. Vincentii Cammarota , illa in matrimonium recepta ; non enim quæri oportere cum quo de supremis quis loquitur , sed in quem intentio testatoris dirigatur , ex *Papin. in L. cum pater §. donatis ff. de legat. 2.* : ac proinde hujus fœminæ substitutionem nullo pacto id posse efficere , ut bona in extraneam transferantur familiam , nisi enixa testatoris voluntas convelli velit .

Asseruit contra D. Franciscus Xaverius de Leon , matrem substitutam fuisse in usufructu , non jam formali , ut ajunt , sed causali , qui scilicet proprietatem habet conjunctam , quamvis alienari vetitam : id satis intelligi ex institutione universali primorum heredum in integra hereditate , addita postmodum mentione , *che siano semplici eredi usufruttuarj della mia eredità* , quodque in eodem usufructu succederent substituti in secundo , tertio , & ulterioribus gradibus , ac etiam ipsa D. Elisabeth Campitelli in casu expresso , nullis aliis institutis coheredibus in proprietate : cuicumque vero innotescere , quod hujusmodi institutiones eam habeant significationem , quod alienatio proprietatis intelligatur prohibita : alioquin nullo dato coherede , hi omnes detracta usufructus mentione , tamquam rei

rei certæ, fucceffiffent adhuc in integro affe, ex *L.* 1. *§. fi ex fundo*, *L.* 9. *§. fi duo*, *L.* 10. 11. 35. *ff. de hered. inft.*

Hinc fruftra objici perpetuam vocationem mafculorum, & exclufionem fœminarum, etiam in linea D. Nicolai Campitelli, quum conftet ipfam D. Elifabeth, fœminam quamvis, fpeciali dilectione fuiffe vocatam, in locum deficientis filii mafculi ejufdem D. Nicolai, ad integrum hereditatis femiffem, five ad ufumfructum, cum admixta proprietate, fub præfcripta tantum conditione nuptiarum. Quumque ipfa conditioni paruiffet, atque exinde a S. C. fit declaratum, quod conditionem jam impleviffet, dubitari non oportere de ejus fucceffione in integro hereditatis femiffe, ea fcilicet ratione, quod integrum femiffem comprehenderet inftitutio.

Quæ jura vero ex mente teftatoris per perfonam D. Elifabeth Campitelli translata fuiffent in D. Vincentium Cammarota, nuptiis fequutis, illa nequaquam eumdem D. Vincentium vindicare poffe, nuptiis non fequutis, quum ipfe conditioni nuptiarum parere detrectaviffet. Legibus enim cautum fuiffe, quod fi legetur viro, & mulieri, fi in matrimonium coierint, nolente viro illam uxorem ducere, ejus legatum deficiat, & inutile fiat: ei vero, quæ parata fit nubere, legatum debeatur. Id luculenter expreffum ab *Africano in L. in teftamento ff. de condit.* illis verbis: *In teftamento ita erat fcriptum, Stichus, & Pamphila liberi funto, & fi in matrimonium coierint, heres meus bis centum dare damnas efto. Stichus ante apertas tabulas deceffit. Refpondi partem Stichi defectam effe. Sed & Pamphilam defectam conditione videri, ideoque partem ejus apud heredem remanfuram. Sed & fi uterque viveret, & Stichus nollet eam uxorem ducere, quum mulier parata effet nubere, illi quidem legatum deberetur, Stichi autem portio inutilis fieret*. Proinde nihili effe quæ objecta funt de teftatoris intentione directa in D. Vincentium Cammarota, cui voluerat profpectum: quæ enim exfequenda fuiffent,

conditione nuptiarum per eum impleta, exequenda non sunt conditione ab eo posthabita, & nuptiis spretis: idque nedum vi legis, sed & ex præsumpta testatoris voluntate; eos enim ad fideicommissum videtur invitasse, qui judicio paruerunt, ex *Papin. in Leg. cum pater §. 27. ff. de legat. 2.*, neque enim quis lucrum captare debet ex spreta voluntate testatoris, neque debet circumveniri testantium voluntas, ex *L. 29. ff. de condit.*

Quod vero oppositum erat, filios D. Elisabeth Campitelli ex extraneo viro progenitos nusquam in testamento fuisse vocatos, id ex eo elidebatur, quod nec etiam eorum mater in ulla testamenti parte ad successionem fuerat invitata, nisi matrimonio juncta fuisset cum filio primogenito D. Josephi Cammarota. Id ex eo profectum, quod testator extrema judicia ordinaverat ex credulitate, quod scilicet is primogenitus præscriptas nuptias contracturus fuisset. Casum vero nuptiarum non exequutarum ex facto ejusdem primogeniti, quum D. Elisabeth parata esset nubere, nullimode fuisse provisum, ac proinde in testamento omissum. Deficiente igitur vocatione testatoris in casu omisso, fieri locum vocationi legis ex enarratis juribus, ad quæ testatorem ipsum conformare se voluisse præsumendum est; passim enim lex moderatur defunctorum voluntates, quum præter illorum mentem rerum contingat eventus.

Quum igitur ex iis, quæ sequuta sunt in facto præter testatoris voluntatem, D. Vincentius Cammarota non videretur invitatus; contra vero D. Elisabeth Campitelli, quæ conditioni obtemperavit, ad hereditatis semissem ex vocatione legis fuerit admissa: ex consequenti videbatur filios in casu omisso a bonis a matre acquisitis non esse repellendos. Quo enim loco testator exclusit masculos ex fœminis, ea protulit verba: *esclusi sempre li mascoli nati da femmine, benchè agnate, siccome da me è stata esclusa la loro madre con tutte le altre femmine.* Ex quibus verbis

bis contrarium desumebatur argumentum, quod si scilicet in casu quopiam per testatorem non proviso fœmina fuisset admissa, illius filii non fuissent excludendi. Quippe voluntas testatoris eo potissimum collineaverat, ut ex utraque linea una fieret, & utriusque lineæ bona in unum redirent; quæ tamen enixa testatoris voluntas effectu caruit, non mulieris, sed viri culpa. Quum igitur ex hujus facto, filii defuerint, quos testator putabat ex præscripto matrimonio nascituros, filii inquam, quibus pater restitueret semissem paternum, mater vero maternum; iniquum videbatur, filium D. Elisabeth Campitelli, qui etiam uti ejus filius contemplationem testatoris meruerat, ad nullam partem successionis admitti, eo quod fuisset ex alio viro progenitus; eique integram successionem addici, qui matrimonium, prolisque unionem contra testatoris mentem recusavit: eo etiam inspecto, quod idem filius æquali cognationis gradu testatori sit conjunctus; quod quidem in casu omisso videbatur insuper spectatu dignum.

Omnibus his discussis, S. C. proclivius fuit, ut judicaret pro reis conventis, tam ob leges plurimas, quæ alteri per alterum iniquam conditionem inferri vetant, quam ob renunciationem factam a D. Nicolao Campitelli in anno 1740. successioni bonorum antiquorum pro exequutione testamenti Vincentii Ametrano. Nimirum tota pene hereditas constabat ex bonis antiquis, quorum quarta saltem pars eidem D. Nicolao debita erat ex præscripto Neapolitanæ Consuetudinis, æque ad omnes suos heredes transitoria. Is autem filiis masculis destitutus, & unicam habens filiam D. Elisabeth, pro testamenti exequutione memoratæ successioni renunciavit: quod quidem non aliter ab eo factum fuisse præsumendum est, nisi quia nubens filia cum D. Vincentio Cammarota, rerum omnium condominium cum viro habitura erat. Quum igitur saltem tacite id spectatum a patre in renunciatione fuerit, in ipsius descendentes pro lucro damnum rediret, si recusa-

tis a masculo nuptiis, mulieri ejusque filio, sequuta jam renunciatione bonorum antiquorum, semis hereditatis denegandus esset.

Referente igitur R. Cons. D. Dominico Potenza, cum interventu Spect. Praesidis S. C. ita pronunciavit: *D. Antonium, & D. Franciscum Xaverium de Leon absolvendos esse, & absolvi debere ab impetitis ex parte D. Vincentii Cammarota; ac proinde manutenendos esse, & manuteneri debere in possessione bonorum in actis deductorum. Neutram partem in expensis &c.*

In causa D. Catharinae cum fratribus de Reale. Die 20. Decembris 1776.

Qui restitutionis onere gravatur, necessario institutus intelligitur.

PEr fratres D. Carolum Antonium, D. Josephum, & D. Petrum Reale Civitatis Fasani fuit in S. C. anno 1762. primum instituta contra D. Catharinam Reale actio reivindicationis bonorum, quae eidem post mortem patris D. Francisci Orontii, fratrisque ante pubertatem defuncti D. Francisci Pauli junioris pervenerant. Ortum ducebat hujusmodi actio ex ultimo praefati D. Francisci Orontii elogio, quo actores ipsos filio suo impuberi substituerat, si sine filiis decederet, dote ducatorum quatuormille filiae tantum relicta, qua omnia materna jura etiam comprehendi jussit. Quamplures fuere, nomine pupillae, a D. Anna Maria Pepe ejus matre, tutelamque habente, oppositae exceptiones, quibus sequentia facta fundamentum praebent. Franciscus Paulus Reale senior in suo ultimo elogio anno 1732. condito tres, quos habebat, filios aequis partibus heredes instituit, Carolum Antonium nempe, Franciscum Orontium, Clericumque Josephum Reale; filiae Agneti dotem, institutionis titulo, relinquens, bonorum alienationem vetuit; filios suos invicem substituit, substitutionemque ad filiorum filios protraxit verbis sequentibus, quae prae oculis habenda sunt: *Item vuole, ordina, e comanda, che ciascuna porzione di detti suoi figli resti sotto il vincolo di*

di non potere quella alienare, etiam pro causa urgentissima, ma che solamente ciascheduno ne possa disponere ad pias causas, o per altro suo bisogno di ducati 300., e la porzione dell' uno si accresca agli altri fratelli superstiti; e detto vincolo, e condizione s' intende, se detti suoi figli maschi morissero senza figli legitimi, e naturali, o pure con quelli, e non pervenuti all' età di anni diciotto. Decessui filiorum sine filiis, vel cum illis, & ante decimumoctavum ætatis annum defunctis consuluit testator, fratrem D. Josephum Reale seniorem ad usumfructum, alium fratrem consanguineum D. Ferdinandum, Actorum patrem; cum suis heredibus, & successoribus in infinitum, & mundo durante, natu majori prælato, ad proprietatis successionem vocando: Hinc pro D. Catharina Reale potior oriebatur exceptio. Præterea D. Catharina Reale patris sui testamentum, in quo totam vim faciebant Actores, inutile esse, ob defectum voluntatis, externarumque sollemnitatum, dixit; & tandem in avi, patrisque bonis quamplures peculiares rationes proprio repræsentandas nomine excitare non destitit. Fuit super deductis per ambas partes ordinarius terminus impartitus usque ab anno 1765. Hoc enim anno cum S. C. definitivam pronuntiasset sententiam in causa D. Catharinæ, mota per D. Agnetem Reale ejus amitam, quæ post obitum Francisci Pauli Reale junioris sua jura in hereditate patris Francisci Pauli Reale senioris promovit, & tertiam bonorum partem obtinuit, deductis quantitatibus dotis alimentorumque causa receptis, super D. Caroli Antonii, aliorumque fratrum de Reale instantiis, in illo judicio ad excludendam D. Agnetis actionem præsentatis, fuit terminus impartitus: hujus renovatio fuit per Actores anno 1771. impetrata, cum directe adversus D. Catharinam Reale institerunt, ultimum præseferendo Francisci Orontii Reale elogium. In probationibus unice fuerunt Actores solliciti pro testamenti prædicti subsistentia, etsi quamplura ad ejusmet validitatem exclu-

excludendam concurrerent, ut ex adversæ partis probationibus. Quidam ex testamentariis testibus de testatoris sana, & firma mente deponunt, etsi paullo studiosius. Pro D. Catharina Reale duo testamentarii testes, præter ad contractus judicem, patris sui debilitatem adfirmant testamenti tempore, itaut neque palam heredum nomina proferre valuerit. Judex multa enarrat, e quibus dolus a fratribus de Reale adhibitus constat; accedit pro nullitate, testamento sex interfuisse testes; etsi enim quemdam Sacerdotem D. Joannem Baptistam Greco septimi loco tabellio scripsisset, hic nunquam illi adfuisse testamento adfirmat; testes testamentarii eum excludunt, vocantque Nicolaum Antonium Fanizza, qui, etsi a tabellione non scriptus, adfuisse deponit, & testatorem haud mentis suæ compotem esse adfirmat. Fuit tandem in termino per D. Catharinam Reale deductum, ejus propatruum D. Josephum Reale seniorem, patruumque D. Josephum Reale juniorem bona omnia, de quibus unicuique erat disponendi facultas, contemplatione certi matrimonii inter D. Franciscum Orontium, & D. Annam Mariam Pepe ejus parentes initi donasse, ad quæ proprio vocatam esse jure adfirmabat. Tandem & injustitia notabat patris sui dispositionem, qui cum ducatos quatuormille tantum sibi reliquisset, in quibus & dos, & cetera materna jura comprehendi voluit, hisce solvendis vix quantitatem illam satis esse autumabat, & sic nihil de suo patrimonio dedisse jure saltem legitimæ. En quæ S. C. examini subjiciebantur. Ast cum ante omnia Francisci Pauli Reale senioris dispositio consideranda esset, huic unice stetit S. C., cujus tenor ad omnium pene deductorum decisionem viam facit. Cum Franciscus Paulus Reale filios suos instituisset, invicemque substituisset, omnem alienationem ipsis pro quacumque causa interdicens, dummodo sine filiis obirent, vel cum illis, & ante decimumoctavum ætatis annum defectis, ita disposuit, ut daretur locus substitutioni, quæ fuit hisce verbis concepta: *E caso*

che

che detti suoi figli maschi morissero tutti tre, ed anche detta sua figlia, in tal caso vuole, ordina, e comanda, che a detti figli, e figlia quatenus morissero senza figli legittimi, e naturali, o con quelli, e non pervenuti all' età di anni diciotto, in tal caso vuole, che in detta sua eredità debba succedere D. Giuseppe Reale suo fratello amatissimo, con essere usufruttuario tantum. Illo autem præmortuo, vel quandocumque moreretur, substitutio sequenti porrigitur modo: *In tal caso vuole, ordina, e comanda, che debba succedere a detta sua eredità il detto Sig. Ferdinando Reale suo amatissimo fratello consanguineo, ed anco dopo la morte di suo fratello D. Giuseppe debba succedere detto suo fratello D. Ferdinando, suoi eredi, e successori in infinitum, & Mundo durante, provvenientino dalla linea di detto suo fratello Ferdinando, sempre però detta eredità al maggiore*; Hinc videndum erat, an ex tali dispositione filiorum filii essent ad avi bona vocati, ac proinde nexus non alienandi vigeret, dum unus ex testatoris filiis, Franciscus Orontius nempe, disposuit: & nepotes in allegata facti specie vocatos, & conditionibus minime solutum Franciscum Orontium, quis est, qui non videat? Quidquid enim sit de illa quamplurimum inter Doctores acta, discussaque quæstione, an filii in conditione positi intelligantur dispositive vocati, in qua pro affirmativa sententia plura allegantur, potissimum cum, ut in prænarrata dispositione, potiores adessent pro affirmativa conjecturæ, quas præ oculis in similibus semper habuit S. C., ab illius quæstionis fluctibus recedendum satius esse putavimus; Hinc testatoris voluntati penitus inhærendo, quæ sola servatur in fideicommissis, & substitutionibus, *L. heredi* 130. *de legatis* 1. *L.* 1. *in conditionibus* 19. *& L. Pater Severianam §. conditionum verba, D. de condit. & demonstrat.*; nonne evidenter innotescit, nepotibus suis avum onus imposuisse bona conservandi, ut si ante decimumoctavum ætatis annum decederent, substitutis restituerent? & si servandi,

vandi; restituendique onus illis injunctum erat; vocatos esse non ambigitur, *L. denique* 8. *§. interdum ff. de peculio legato*, *L.* 16. *ff. de auro, & argento legatis*. Ut hujus argumenti vis clarius innotescat, ponamus, Franciscum Orontium Reale, postremum ex fideicommittentis filiis, intestatum decessisse, indeque pariter intestatos filios superstites, antequam decemocto annorum compleverint ætatem, nonne substituti ab eorum avo ipsorum heredes excluderent? Ergo si per ipsos substitutis transmittenda erat hereditas, ipsi erant vocati, proprioque jure ad bona succedebant, *L. ab eoque* 6. *de fideicommissis*, *L. sed & sic de legatis* 3. Hinc clare patet, Franciscum Orontium Reale facultate bona Francisci Pauli ejus patris disponendi caruisse, duobus filiis impuberibus superstitibus, D. Francisco Paulo nempe juniore, & D. Catharina Reale; conditio enim, *si liberi deficiant*, valde distat ab illa *si filios non habuerit*, vel *si sine filiis decesserit*. Quidquid sit de istis, illa ultra heredis instituti mortem porrigitur, penderque, donec filii deficiant, vel saltem ad ætatem perveniant, quam testator attendendam esse præscripsit. Non enim satis est superstites tempore mortis fuisse liberos; sed quandiu liberi erunt, tandiu erit incertum, existat conditio, necne. Hæc ergo conditio, cum onus contineat in personam liberorum deficientium, indubitatam debet includere fideicommissariam dispositionem favore eorumdem, non meram conditionem; neque est in jure novum, verba enunciativa dispositionem includere, ut *L. avia §. fin. ff. de condit. L. si ita stipulatio ff. de op. libertor.*; videturque hoc pacto parens rogatus filiis restituere, ut & hi si moriantur, fideicommisso gravati intelligi debeant, *cit. L. ab eoque* 6. *de fideicommissis*. Rem tandem extra omnem dubitationis aleam ponit clara, & manifesta alienandi, ac disponendi prohibitio heredibus imposita, si filios legitimam ætatem non attingentes reliquissent. Ob decessum aliorum fratrum D. Caroli Antonii, & D. Josephi Reale junio-

junioris sine sobole integrum patris patrimonium erat sane ad D. Franciscum Orontium devolutum, sed in anno 1760., quo dispofuit in fratrum de Reale beneficium, filios impuberes habebat; lex ergo non alienandi, a patre dicta, vigebat, ac proinde facultate Franciscus Orontius destituebatur; & testando, dum adhuc pendebat conditio, nullam certam legem ejus testamento dicere poterat. Ad hoc allegari merentur *L. si quaeramus*, *L. si in testamento ff. de testam.*, *& qui testam. facere possunt*. Inter privatas hominum actiones firmissimum esse debet testamentum, & a vario incertoque rerum eventu non pendere. Quapropter recte M. C. anno 1761. post mortem D. Francisci Orontii Reale declaravit, integra bona hereditaria qu. D. Francisci Pauli senioris spectavisse, & ad praesens spectare in beneficium supradictorum D. Francisci Pauli junioris, & D. Catharinae illius nepotum, ex dicto qu. D. Francisco Orontio ejus filio vigore testamentariae dispositionis ejusdem. Voluntati adhaesit testatoris, quam nec aliter interpretandam esse jura proclamant. Et cum ad praesens sola D. Catharina Reale superfit, integrum Francisci Pauli Reale ejus avi patrimonium, quod jam in personam patris ob mortem ejus patruorum sine liberis transmissum erat, ad illam spectavisse, ac spectare, & ab actoribus male petitum censuimus; nec quicquam ambigendum circa bona libera D. Josephi Reale senioris in ejus testamento contenta, in quibus cum esset eadem D. Catharina ejus proneptis instituta heres, nulla fratribus de Reale actoribus competere poterat actio, neque per ipsos fuit instituta. Ex quibus S. C. ob praeallegata, reservato ceterorum deductorum accuratiori examine, in hanc venit sententiam:

Referente Regio Consiliario D. Jacobo Mariano Bejada:

D. Catharinam Reale absolvendam esse a petitis ex parte fratrum de Reale quoad bona procedentia ex patrimonio qu. Francisci Pauli Reale, & qu. Josephi junioris, & ab hereditate qu. D. Josephi Reale senioris; salva pro-

visione facienda pro bonis quæsitis a D. Francisco Orontio patre, & bonis eidem propter nuptias donatis a qu. D. Josepho seniore, partibus plenius auditis. Neutram partem in expensis.

Josephus Antonius Maria Pezzella Scriba.

In causa D. Jacobi Mottula cum D. Catharina Mottula. Die . . . mensis . . . anni 1777.

Nequit majoratui subjici corpus feudi ita, ut auferatur a fœmina, quæ illud acquisiverit.

D. Franciscus Nomicisius Mottula plura in ejus testamento, confecto sub die 29. mensis Martii 1741., disposuit, & præcipue heredem instituit (quoad causam attinet) D. Catharinam ejus filiam primogenitam in omnibus ejus bonis feudalibus, & burgensaticis; ordinavitque majoratum variis conditionibus, inter quas fuit illa, ut casu dissolutionis matrimonii, tunc contrahendi, & postea contracti inter dictam D. Catharinam, & D. Joachim filium D. Dominici ejus germani, absque filiis masculis, per obitum dicti D. Joachim, tunc privando eamdem dicto majoratu, vocavit D. Elisæum Mottula ejus fratrem, & suos primogenitos masculos in infinitum, & in eorum defectu vocavit alterum fratrem D. Filibertum, suosque primogenitos in infinitum, exclusis fœminis.

Secuta morte dicti D. Joachim sub die 24. mensis Aprilis 1776. absque filiis masculis, superstite tantum D. Laura Mottula ex dicto matrimonio, mota est controversia inter dictam D. Catharinam, jam viduam dicti D. Joachim Mottula, & D. Jacobum Mottula filium primogenitum dicti D. Filiberti. Institit D. Catharina pro nullitate dispositionis super feudalibus, & etiam super burgensaticis, utpote feudo addictis. Restitit D. Jacobus tum quoad feudalia, nixus *Pragm.* 33. *&* 34. *de feudis*, tum quoad burgensatica, quæ legibus feudalibus non erant obnoxia.

Quoad feudalia fuit considerata expressa prohibitio disponendi, tam attentis Consuetudinibus feudalibus, quam Legi-

Legibus nostri Regni, *Cap. 1. de succes. feudi*, *Cap. Imperialem, de prohib. feudi alien.* per Fridericum, *Cap. Imperialis de prohib. feudi alien.*, per Lotharium, *Constit. Divae memoriae*. Imo in *Prag. 4. de feudis* expresse prohibetur dispositio per fideicommissum. Nec ad rem faciebant *Prag. 33. & 34. de feudis*. Illa, sicut etiam alia Pragmatica anni 1720. Imperatoris Caroli VI. verbum facit de feudatario, excludente fœminam proximiorem, & vocante masculum remoriorem. Hæc vero Pragmatica 34. loquitur de majoratu juxta propriam ejus naturam, hoc est in casu mortis ultimi gravati possessoris. Casus, de quo agitur, accidit in feudatario testatore, qui vocavit fœminam, & hanc non exclusit, vocando masculum remotiorem, juxta dictam *Pragm.* 33., & gravamen majoratus non fuit injunctum in morte D. Catharinæ, sed post ademptam feudi possessionem, & post intestationem in libris Regalis Patrimonii, fuit gravata feudum restituere etiam ejus vita durante. Si gravis est controversia, in aliis causis agitata, an feudatario liceat, vigore dictæ *Pragm.* 34., per viam substitutionis majoratum conferre masculo, excludendo fœminam proximiorem, perturbando ordinem successionis, a legibus feudalibus præscriptum, procul dubio est, non licere vi ejusdem *Pragm.* 34. auferre feudum a fœmina hoc possidente, quod ipsamet Pragmatica nunquam excogitavit. Imo dicta *Pragm.* 34. permittens majoratum, est intelligenda de majoratu proprio in casu mortis possessoris, non autem in vita ejusdem.

Quoad bona burgensatica, nulli dubium est, illa subjacere majoratui; nulla est lex, quæ de bonis burgensaticis disponere prohibet: Nec dicendum, quod utile per inutile vitietur; sed potius, quod actus, si non valeat prout confessus est, valeat eo modo, quo valere possit. Solum in dubium revocatur territorium dictum *la Rocca*, quod a qu. Barone D. Francisco in suo testamento confitetur esse extradotale qu. D. Lauræ Mazzara.

 Stan-

Stantibus his, aliisque rationibus, fuit per S. R. C.

Referente Regio Consiliario D. . . . .

interposita sequens sententia: *Majoratum institutum a qu. D. Francisco Nomicisio Mottula super corpore feudi fuisse, & esse nullum. Stante autem obitu sequuto qu. D. Joachim absque filiis masculis, bona burgensatica sita infra fines feudi prædicti, subjecta dicto Majoratui, spectavisse una cum fructibus liquidandis, pro qua liquidatione in biduo audiantur partes, in beneficium D. Jacobi Mottula, cum vinculis, substitutionibus, & conditionibus in testamento prædicto contentis; excepto tamen pro nunc Territorio denominato la Rocca, super quo firmum remaneat sequestrum, alias ordinatum, donec aliter viso exitu termini inferius impartiendi fuerit provisum: dempta tamen legitima, pro qua liquidanda in biduo audiantur partes, ac deductis oneribus per eamdem D. Catharinam solutis, pro quibus fiat relatio per Scribam causæ, & soluto pariter pretio meliorationum forsan factarum in bonis prædictis, pro quarum appretio Dominus Commissarius provideat. Nec non quoad prætensa vigore gravaminis pretii injuncti in testamento prædicto, facta formali petitione providebitur. Ac tandem visis supplicationibus, & comparitionibus quoad deducta circa antiqua fideicommissa, & Territorium la Rocca, in biduo audiantur partes. Neutram partem in expensis condemnando.*

In causa D. Ignatii Carpentiero, viri & legitimi Administratoris D. Magdalena Cozzolino cum Matthæo, & Januario Cozzolino. Die 7. Januarii 1777.

Referente Regio Consiliario D. Donato Belli.

Paragium, quousque ratio suadet, virilem portionem æquare potest, nullo discrimine inter nupiam, & nubendam facto.

D. Ignatius Carpentiero vir & legitimus administrator D. Magdalenæ Cozzolino, petiit nomine ejus uxoris cogi & compelli Rev. D. Philippum, & Matthæum Cozzolino filios & heredes qq. Francisci, & Victoriæ Nocerino, ad solutionem dotium de paragio debitarum dictæ D. Mag-

D. Magdalenæ ejus uxori super bonis paternis, & maternis, & virilis portionis super bonis alterius defuncti fratris, una cum interesse a die contracti matrimonii. Ordinaria cognitione præmissa, inspectis omnibus actis, & laudo de consensu partium pronunciato a magn. Advocato U. J. D. D. Antonio de Philippo; inspecto etiam alio libello producto a D. Ignatio Carpentiero, quo is petiit virilem super bonis dictæ qu. Victoriæ Nocerino, ad hanc partem restringens actionem propositam contra fratres Nocerino; S. C. pronunciavit: *Heredes qu. Victoriæ Nocerino condemnandos esse ad solvendum in beneficium magn. D. Ignatii Carpentiero, mariti & legitimi administratoris D. Magdalenæ Cozzolino, portionem virilem bonorum hereditariorum dictæ qu. Victoriæ, in bonis hereditariis ejusdem, una cum interesse, ad rationem ducatorum quinque pro quolibet centenario, a die contracti matrimonii.*

Reipublicæ enim interest, mulieres dotes suas habere, propter quas nubere possint ad sobolem procreandam, *L. 1. ff. solut. matrim. & L. 2. ff. de jur. dot.* Onus autem dotandi licet parentum sit, *L. final. §. utrumque de dot. promiss.*, *L. qui liber ff. de rit. nupt.*, *L. neque Cod. de jur. dot.*; parentibus tamen defunctis, Regni jure, & Consuetudinario onus ipsum fratribus cedit, qui soli, exclusis sororibus, parentibus succedunt, cum onere eas dotandi secundum paragium, & facultates, *Constit. Regn. In aliquibus, & Consuet. Si quis, vel si qua, & Consuet. Si moriatur de success. ab intest.*, Paragium autem modum recipit ex *L. quæso ff. de jur. dot.*; & licet quandoque stet loco legitimæ, sæpenumero virilem æquat, quousque ratio suadet. Ex probationibus in termino receptis lucide constat, dictam D. Magdalenam Cozzolino ex hereditate patris nil assequi posse, qui alieno ære pressus tempore mortis non erat solvendo. Dotium maternarum legitima portio, subducta ratione pro numero octo filiorum superstitum, vix exæquat summam ducatorum decem & octo, quæ ex digni-

gnitate mulieris maritique dotium loco ſtare nequit. Hac ratione S. C. integram virilem portionem ſuper bonis maternis pro paragio dictæ D. Magdalenæ deberi pronunciavit. Neque ad rem facit in cauſa controverſia Doctorum, & differentia de paragio nuptæ, vel nubendæ, nam & ob portionis legitimæ exiguitatem ſuper bonis maternis, & ob promiſſionem factam a dicta D. Magdalena in capitulis matrimonialibus, quibus ejus viro D. Ignatio Carpentiero dotis nomine dedit quidquid ex bonis paternis ſibi ſpectaret, obventurumque eſſet, controverſia iſthæc omnino inanis redditur, & ita ſæpius S. C. judicavit. Virilis portio cum debeatur, debetur etiam cum legitimis uſuris; nam ſi paragium loco dotium ceſſit, his non ſolutis tempore nuptiarum ad ſubſtinenda onera matrimonii, uſuræ debentur per dictum *text. in L. in inſulam §. uſuras ff. ſol. matr., L. cum poſt. §. 3. de jur. dot., L. 31. quis ff. de donat. int. vir. & uxor.*; quas ex more regionis, ac temporum conſuetudine ad eum modum S. C. taxandas cenſuit *ex L. 1. ff. de uſur. L. 39. §. 1. de legat. 1. L. 10. ff. mand., cum aliis concord.*

U. J. D. Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. — Joſeph Sant' Elia Scriba.

In cauſa D. Annibalis de Maria cum D. Blaſio Battaglia. Die 15. Januarii 1777.

Contra bonos mores exiſtimatur pactum reverſionis dotis, cum mulier ſine liberis decedat, vel ante pubertatem filii moriantur.

Jus, quod alteri jam quæſitum eſt, non poteſt pacto mutari.

D. Annibal de Maria actionem inſtituit contra D. Blaſium Battaglia virum ejus defunctæ ſororis D. Roſanæ de Maria tam pro dotium reſtitutione, quam pro reſtitutione quoque quorumdam bonorum mobilium, & ſtabilium, donatorum cauſa matrimonii a qq. Arthemiſia, & Laura Giunti materteris D. Roſanæ, ea potiſſimum ratione, quod pactum fuiſſet nuptialibus tabulis, omnia reverti ad dotantes, dotalia ſcilicet bona, & quæ ad ſponſam aliter perveniſſent, quum ipſa decederet abſque filiis, vel

vel obirent filii ante pubertatem: quod ita accidisse adfirmavit, scilicet defunctam esse D. Rosanam, præmortuis filiis nondum puberibus.

Excepit D. Blasius, donationes a qq. Arthemisia, & Laura fuisse non quidem pro dote augenda, sed potissimum factas filiis nascituris, ac expresse ipsorum heredibus & successoribus; filiisque defunctis (etsi ante pubertatem) patre, & matre superstitibus, ad eos profecto filiorum hereditatem spectavisse. Immo excepit, filiis, ac ipsa matre defunctis, prædictam Lauram donationem altero instrumento confirmasse favore ipsius D. Blasii unice superstitis. Ac demum contendit, ex dotibus esse deducendas quantitates ab eo in postrema uxoris invaletudine, ac exequiis impensas; etsi apertissime leges præcipiant, pietatis causa solutum repeti non posse, *L. cum is §. 2. ff. de condit. indeb.*

Ex instrumento anni 1757. patet, sorores de Giunti donavisse contemplatione matrimonii inter dictam Rosanam, & citatum D. Blasium, ipsorum filiis nascituris, eorumque heredibus & successoribus, & pro eis Notario acceptanti.

Ex capitulis matrimonialibus eodem anno editis inter dictum D. Annibalem, & D. Matthæum de Maria, necnon eorum matrem D. Mariannam Giunti ex una parte; ac D. Nicolaum Battaglia procuratorem cum mandato speciali prædicti D. Blasii ejus fratris ex altera, patet pactum de restituendis non modo dotibus, sed & aliis quibuscumque rebus quæ eidem D. Rosanæ undecumque pervenerunt, vel pervenirent, quum ipsa sine filiis obiisset, vel decessissent filii ante pubertatem; vix eidem hisce casibus relicta facultate disponendi ducatorum quinquaginta: Quod pactum utique videtur contra bonos mores, dum sorori a fratribus, a matre filiæ propria bona nimis improbe auferuntur, vel injusto saltem gravamine afficiuntur, legibusque adversum; quibus vetitum, deteriorem fieri conditionem dotis, etiam con-

consensu mulieris, *L. Attilicinus cum seq. & L. cum dos ff. de pact. dotal. L. fin. C. eod. Auth. quamvis, C. de rei uxor. act.*, *ubi DD.*

Hoc insuper liquet, supradictam Arthemisiam ejus testamento, quo heredem instituit Lauram sororem, donationem jam factam enunciare, ac denuo profiteri. Accedit instrumentum, quo dicta Laura die 8. Julii 1773., dum scilicet usque ab anno 1772. defuncta erat D. Rosana sine filiis, jam præmortuis, donavit omnia bona sua Josepho Cunto; & quo etiam uti heres Arthemisiæ donationem contemplatione supradicti matrimonii jam factam non modo recensuit; verum etiam D. Blasio Battaglia præsenti renunciavit, cessitque omnia jura ipsi competentia, tam proprio nomine, quam nomine hereditario ejus sororis.

Cum autem patre ac matre superstitibus, functi essent filii, ob donationem materterarum ipsis, ac eorum heredibus & successoribus factam, jam fuit jus quæsitum D. Rosanæ ad filiorum successionem. Ea vero defuncta anno 1772., superstite viro, non videbatur jus illud posse prædicto instrumento anni 1773. usque adeo perturbari, ut lex fraudaretur contenta in *Novella* 118. *cap.* 2. Hinc S. C. hæc omnia, ut ipsum decet per *L. 3. C. quib. ex caus. maj. rest. L. cum quidam 17. prin. ff. de usur.*, ad justi, rectique normam redigendo, in hanc ivit sententiam:

Referente Regio Consiliario Ill. Principe D. Placido Dentice Massarenghi:

Medietatem bonorum stabilium contentorum in donatione de anno 1757., spectavisse, & spectare in beneficium magn. D. Blasii Battaglia patris & legitimi heredis ejus filiorum prædefunctorum, etiam attenta declaratione, & donatione qu. Lauræ Giunti, contenta in instrumento de anno 1773.; aliam medietatem in beneficium heredum qu. D. Rosanæ de Maria, matris & coheredis dictorum filiorum; ac proinde præcitatus D. Blasius condemnetur ad relaxandam medietatem prædictam dictis heredibus de Maria, una cum fructibus a die mortis dictæ qu. Rosanæ, & D. Lauræ Giunti respe-

respective pro quantitate liquidanda, pro qua liquidatione in biduo audiantur partes. Necnon condemnetur etiam praefatus D. Blasius ad restituendum dictis heredibus bona dotalia dictae qu. Rosanae, adhuc non restituta, tam descripta in capitulis matrimonialibus D. Rosanae, quam in instrumento supradicto donationis qu. D. Arthemisiae anni 1757. servata forma dictorum capitulorum. A praetensis vero expensis ultimae infirmitatis, & funeralium, supradictos heredes de Maria absolvendos esse. Neutra pars in expensis.

U.J.D. Thomas Rubinus Act. Mag. -- Franciscus Sanseverino Scriba.

In causa D. Michaelis Casini cum D. Josepho Antonio Granozio, Die 21. Januarii 1777.

EGit in S. C. D. Michael Casini, nepos ex sorore praedefuncta qu. D. Dominici, & D. Caroli Matthaei Granozio, petiitque eorumdem avunculorum hereditates contra D. Josephum Antonium Granozio heredem ab iis scriptum. Ea fuit actoris intentio, quod quamvis D. Dominicus Granozio, precibus Principi oblatis, obtinuerit legitimationem D. Josephi Antonii Granozio filii ex vetita conjunctione procreati, ejusque restitutionem ad jura, quae illicita procreatio eidem abstulerat, ac ad successionem bonorum ab eodem patre quaesitorum; re tamen vera dictus D. Josephus Antonius filius habendus erat qu. Philippi de Stasio, utpote natus ex Antonia Salvatore ejus uxore. Hisque positis, petiit irrita declarari testamenta D. Dominici, & D. Caroli Matthaei Granozio, veluti scripta ex falsa causa, cum ille instituerit D. Josephum Antonium veluti filium; hic vero velut ex fratre nepotem: & re reducta ad causam intestati, sibi decerni, tamquam proximiori legitimam eorum successionem. Cum vero S. C. tanti non fecerit praesumptiones congestas a D. Michaele Casini, ut majoris essent momenti, quam declarationes a D.Do-

Cum pater iteratis actibus filium agnoverit, ejus factum momentosum est, atque valide resistit contrariis praesumptionibus.

a D. Dominico Granozio sollemniter actæ in libello Principi oblato pro obtinenda dicti D. Josephi Antonii legitimatione, ac in confessione ab eodem edita in judicio penes Regiam Audientiam Provincialem, cum ex Regis mandato probationes ad legitimationem pertinentes explerentur; in quibus actibus D. Dominicus Granozio professus fuit, se filium hunc ab Antonia Salvatore suscepisse; idque præter constantes ejus assertiones, cum huic filio domi educato traderet uxorem, & cum denique testamentum conderet; & præter ceteras probationes ex actis apparentes: idcirco sententia S. C. diei 31. Augusti 1773. judicatum fuit, quod D. Josephus Antonius Granozio absolveretur ab impetitis ex parte D. Michaelis Casini, & M. C. V. procederet ad expeditionem decreti præambuli, auditis omnibus interesse habentibus, servata in omnibus forma testamentorum D. Dominici, & D. Caroli Granozio.

Proposita deinde reclamatione adversus sententiam, cum D. Michael Casini iisdem præsumptionibus, suapte natura incertis, inhæreret, visum est S. C. a decisis recedi non oportere. Quamvis enim ex *L. 4. C. de hered. instit.* ei sit auferenda successio, quem aliquis quasi filium suum heredem instituit, quumque falsa opinione ductus suum credebat, non instituturus, si alienum nosset; id tamen ex eadem lege verum est, cum is postea subditus esse ostensus sit aptis probationibus, cujus generis probationes in hac causa deficiunt. Contra ex *L. 1. §. Julianus ff. de agnosc. & alend. liber.* grande præjudicium adfert pro filio confessio patris; & ex *L. 9. ff. de Carbon. edict.* justior causa est ejus, qui agnitus est ab eo, de cujus bonis quæritur. Idcirco

Referente Regio Consiliario D. Dominico Potenza, atque junctis Aulis Dominorum Vargas, & Paoletti,

sequens lata fuit sententia: *Bene judicatum per S. R. C. sententia de die* 31. *mensis Augusti* 1773., *& male reclamatum ex parte D. Michaelis Casini. Verum salva sint jura eidem D. Michaeli, servata forma testamenti qu. D. Ca-*

D. Caroli Matthæi Granozio quoad bona, quæ ei obvenere a qu. D. Andræa Granozio, & subjecta substitutioni ab eodem ordinatæ, in quibus ob mortem D. Dominici Granozio sine filiis legitimis & naturalibus, successit idem D. Carolus Matthæus Granozio. Neutram partem in expensis.

Michael Priscolus Act. Mag. — Bernardus Priscolus Scriba.

In causa Annæ Mariæ, & Ursulæ Criscuolo cum Rev. Capitulo Civitatis Scalæ. Die 24. Januarii 1777.

Referente Regio Consiliario D. Dominico Potenza.

Die 31. mensis Augusti anni 1774. S.C. pronunciavit: *Condemnamus Rev. Capitulum Civitatis Scalæ ad relaxandum bona hereditaria qu. Cantoris D. Xaverii Criscuolo in beneficium legitimorum heredum dicti qu. D. Xaverii, una cum fructibus a die sequestri, deductis tamen expensis per idem Capitulum forsan factis ex causa ejusdem hereditatis. Verum dicti legitimi heredes teneantur adimplere celebrationem duarum Missarum quolibet mense in suffragium prædicti D. Xaverii; & fiat relatio per Scribam causæ, partibus requisitis, tam dictorum bonorum hereditariorum, quam præfatarum expensarum, ad finem providendi super executione præsentis sententiæ.*

Contradictio voce facta possessionis tempore, quam paullo post judicialis sequuta est, possessioni contemporanea censetur, & talis, qualem *amortizationis* leges requirunt; præsertim cum prætnatura possessio comparent.

Adversus hujusmodi sententiam in integrum restitui petiit Rev. Capitulum. Acta hinc denuo causa, ad relationem ejusdem Regii Consiliarii Potenza, S.C. decrevit: *Non esse deferendum restitutioni in integrum, petitæ ex parte Rev. Capituli Civitatis Scalæ. Verum ordinata relatio fiat, non impedita executione sententiæ quoad relaxationem bonorum hereditariorum qu. Cantoris D. Xaverii Criscuolo; quæ tamen non alienentur per legitimos heredes dicti qu. D. Xaverii, donec aliter fuerit provisum, viso exitu dictæ relationis, & discussionis ejusdem.*

Nimirum instituto judicio die 1. Decembris 1759. in

S. C. ab Hippolyta Criscuolo suo sororumque nomine, contradicta fuit possessio Rev. Capitulo Civitatis Scalæ eadem die, qua Capitulum obtinuit a M. C. V. decretum præambuli qu. Rev. D. Xaverii Criscuolo, quo videlicet declaratum fuit se dicti D. Xaverii esse heredem. Illa autem petiit in S. C. non quotas aliquas hereditarias, nec singularia quædam bona, sed solidam hereditatem D. Xaverii Criscuolo. Asseruit enim ab eo fuisse possessa bona omnia communium parentum, non reluctantibus ipsis sororibus, ea spe ductis, quod illo demum mortuo, in omnibus bonis uti proximiores forent successuræ: illum vero maximam earum inopiam minime commiserantem, & inhumaniter agentem, heredem scripsisse Capitulum Civitatis Scalæ. His autem assertis, actionem instituit de nullitate dicti testamenti, ac de pertinentia omnium bonorum in ejus hereditate relictorum ad sui suarumque sororum beneficium; petiitque insuper præambulum a Capitulo petitum inhiberi, omniaque bona mobilia, & stabilia sequestro poni. Locum igitur fieri oportuit S. M. Rescripto diei 23. Junii 1770., quod scilicet contradictio quævis, sive anterior possessioni, sive contemporanea, etsi jure non suffulta, quominus Ecclesiastico loco quæsitum fuerit rerum dominium, efficax habeatur.

Nec obstare visum fuit, quod quorumdam bonorum possessio diceretur capta ex decreto Curiæ localis ante præambuli petitionem, scilicet sub die 5. Novembris ejusdem anni, paucis post horis dicti D. Xaverii obitum. Id quidem Capitulum probare satagebat aliquibus cartis, se instante, transmissis a Curia locali, in quibus continebatur, dicto die 5. Novembris 1759., vix pene extincto D. Xaverio, Capitulum arcessisse loci Præfectum, ejusque administros, quo sibi confestim traderetur possessio bonorum hereditariorum, ne scilicet illa expilarentur, neve ulterius Capitulum substineret expensas custodiæ per satellites Curiæ multis retro diebus, ob expilationis periculum,

lum, ibidem excubantes: atque reipsa Capitulum ex Curiæ decreto missum fuisse in possessionem domus, & mobilium, & vinearum adjacentium, dictaque mobilia mox translata fuisse in domum Episcopi dictæ Civitatis ibidem adsistentis.

Nimirum quamvis de hujusmodi actorum veritate non ambigeretur; tamen ipsum Capitulum in probationibus in termino allegatis ostendit, quænam personæ forent, quæ hereditaria bona efflagitarent; qua de re ea publice custodiri curavit per Præfecti administros, & mox penes Episcopum asservari. Sane ab eodem Capitulo producti testes ajunt, in adnotatione conficienda Hippolytam, & Annam Mariam Criscuolo, aliosque testatori cognatos, ibidem præsentes, Capitulum orare non destitisse, ut & inopiam suam miseraretur, & ex bonis hereditariis sibi aliquid elargiretur: quamvis a Capitulo vix culcitram unam, & scruta viliora quædam retulissent. Inde vero sat liquet, sorores de Criscuolo nil quicquam reveritas Præfectum, administros, Episcopum, & omnes ferme Canonicos, qui timoris incutiendi causa eo ex compacto confluxerant, inter potentatus metum naturali modo hereditatem efflagitasse. Novum vero in jure non est, ut naturalis interpellatio eosdem effectus cum civili pariat. Eo usque autem exploratum est, prædictas mulieres jus suum exequi voluisse, ut Canonici, adhuc testatore vivente, pluribus ante diebus lictores de suo conducerent, qui res hereditarias per eas diripi non paterentur, easque, ceterosque testatoris cognatos domo ejus arcerent. Id autem mali moris videri debet; nam obsignato adhuc testamento, incertum erat, quisnam scriptus esset heres: & lictorum tristis illa præsentia novi testamenti arbitrium testatori fortasse præcidit.

Sed quæ quæ ejus suspicionis ratio sit habenda, præmatura hereditatis possessio neque rata censeri debet, neque justos effectus producere potuit, quippe expressæ testato-

statoris menti contraria. Scilicet in testamenti tabulis diserte fuit a testatore cautum, ut infra mensem ab ipsius obitu inventarium patrimonii sui conficeretur; eo rite confecto, Canonicorum Collegium extrema sua judicia acceptaret per instrumentum ab eodem tabellione scribendum, qui sui testamenti tabulas asservaret; eodem instrumento Collegium, assensu Pontificio, aut Episcopali prævio, perpetuam observationem promitteret onerum, quæcumque in testamento præscripta forent; ab eodem diserte vetitum, ne ante acceptationem prædicto ritu exequendam, & promissionem implendorum onerum, aut decretum præambuli sibi Collegium expediret, aut quoquo modo hereditatem adire cœptaret. Verum susque deque voluntas testatoris habita: nam inventario & instrumento, quæ testator præscripserat, omissis, Canonici uni hereditati inhiant, eaque præpropere potiuntur: quæ quidem omnia contra testatoris mentem attentata videri debent. Sane non secus existimavit Collegium ipsum, accuratius re perpensa. Assensu enim Episcopali prævio, præscripto a testatore instrumento se obligarunt die 25. Novembris 1759., & die prima mensis insequentis præambulum sibi expediri curarunt, qua ipsa die sorores de Criscuolo contradictionem instituerunt. Neque tamen ad testatoris mentem, aut ex præscripto legum, cetera adamussim a Collegio gesta. Inventarium enim, & sollemnem aditionem peractam constat die 27. Februarii 1762., cum per interpellationem sororum de Criscuolo lis jam pendebat, nec quicquam innovatum oportuit. *Novell.* 122. *cap.* 1.

His quoque sepositis, cum ereptus fuisset mortalitate D. Xaverius Criscuolo die 5. Novembris, & paucas post horas a Collegio hereditatis aditio properata, manu Curiæ localis, norant miserrimæ mulieres, quam proclivis esset in Canonicos Scalæ Præfectus, & facile sentiebant, se apud eum de jure suo frustra experturas. Quod supererat igitur, Neapolim advolant, contradictionem instituturæ,

turæ, eamque instituunt 1. Decembris ejusdem anni. In his rerum adjunctis, æqualis & pene contemporanea possessioni contradictio censeri debet, *argum. L. 15. §. 3. ff. ex quib. caus. major 25. ann. restit.* Ibi enim Prætor reversum absentem adversus præsentem restituturus non de momento in momentum tempus numerari jubet, sed modicum ei tempus indulget, dum hospitium is conducat, sarcinulas suas componat, advocatos quærat.

Sed & illud non omittendum, quod a sororibus de Criscuolo Canonicis fuit oppositum, quod eo scilicet sub modo hereditatem testator ad Collegium pertinere voluit, ut Sacellum Canonici extruerent in templo S. Mariæ de Nive; atque inibi onera quædam testamento indicta persolverent: neutrum tamen a Collegio impletum. Ut vero legitimorum heredum querelam effugerent, novi juris callidi repertores Canonici defuncti voluntatem per Episcopum permutari curarunt. Id vero non minus testatori, quam Principatui injurium. Facultas enim permutandi judicia testatorum extrema a privato quopiam usurpari nequit, sed inter jura Majestatis referri debet. Proinde S. C. pronunciavit, sententiam pro sororibus de Criscuolo primo latam ratam haberi oportere.

U.J.D. Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. – Didacus Maria Marra Scriba.

In causa magn. fratrum de Bottone cum Sacro Monte Pauperum Verecundorum. Die 28. Jan. 1777.

D. Hernandus Fernandez de Soto, testamento anno 1657. condito heredes ex asse instituit D. Diomedem, & D. Franciscum Antonium suos filios, adscripto illis tutore & curatore D. Stephano Padilla, tunc temporis non ignoti nominis Advocato, absque onere reddendi rationes gerendæ administrationis. Mortuo D. Hernando, prædicti ejus filii & heredes anno 1666. solemne confecerunt reperto-

Testium examinanda est conditio, vita, atque testimonii verisimilitudo.

Cum eadem scriptura declaretur, & satisfactio, scindi declaratio nequit; itaut illud probari, improbari hanc liceat.

In characteris comparatione judicium incertum est, & ambiguum.

Minori recte pecunia solvitur.

Curator testamento a patre datus, ab eo, qui praeest confirmari debet.

Necessitatem reddendae rationis tutelae potest in testamento remitti.

pertorium, quo nonnisi parvi pretii supellectiles, & nonnullas schedas creditorum descripserunt. D. Diomedes patratis quibusdam criminibus, fugae se dedit. Redux tandem Neapolim anno 1679. asserens se vendidisse nonnulla bona hereditaria sui patris, nempe partitam arrendamenti ducatorum 3000. super refectione fructuum (hujusmodi vero partita ducatorum 2570. cum ipsi D. Diomedi, tum ejus fratri, uti heredibus eorum materterae D. Franciscae Ordognes, minime vero uti heredibus eorum patris, pervenerat) duo rura Pausilypi, & Magdaluni posita (haec bona haud descripta fuere in repertorio anni 1666.) ac sortem aureorum 800., instrumento declaravit se debere praedicto ejus fratri ducatos 2500., pro quibus illi jura cessit, quae contra praefatum de Padilla habere asseruit, nedum pro ducatis 4000., verum etiam pro quadam supellectili pretiosa, atque argentis factis, a D. Hernando fiduciae ejusdem de Pradilla commendatis. Deinde comparatis praevio excommunicationis praecepto, nonnullorum testium declarationibus, cum ipse, tum ejus frater D. Franciscus Antonius, apud Proregem Marchionem de los Velez contra dictum de Padilla, Regium tunc temporis Consiliarium, institere. Re a Prorege S. R. C. Praefecto mandata, ejus exitus ignoratur. Interea anno 1694. Consiliarius Padilla, munere Regentis Regiae Cancellariae jam functus, diem obiit supremum absque filiis, ac propinquis, condito testamento, quo scripto herede fiduciario D. Antonio Gerbasio, & proprietario Sacro Monte Pauperum verecundorum hujus Civitatis, addictaque opima sua hereditate opulentis legatis, piisque operibus, declaravit; D. Hernandum Fernandez de Soto aegrotantem fiduciae suae commendasse summam ducatorum 2000. circiter in tot nummos aureos, quos solvisse declaravit, una cum aliis quantitatibus, sibi post mortem dicti D. Hernandi traditis, istius filiis & heredibus. Et recordatus injuriae sibi ab ipsis illatae, in memoriam amicitiae eorum parentum indulsit illis duca-

ducatos 106., quos, dum viveret, crediderat. Mortuo Regente Padilla, prædicti fratres Fernandez de Soto anno 1692. instituerunt in S. C. nedum pro restitutione millium nummorum aureorum, argenti facti, & supellectilium, verum etiam pro redditione rationum tutelæ, quam a dicto de Padilla per nonnullos annos gestam dixerunt. Dicta die ordinaria in causa, eaque per Actores duntaxat composita, auditis Gubernatoribus Sacri Montis Pauperum verecundorum, qui in repulsa testium tantum acquieverunt, judicium per annos septuagintasex siluit. At anno 1769. D. Nicolaus, aliique de Bottone, dictorum fratrum Fernandez de Soto heredes, exhibitis per ipsos Regentis de Padilla testamento, ac quadam scheda Mensæ argentariæ S. Jacobi ducatorum triginta anno 1659. per Padillam D. Diomedi de Fernandez solutorum, litem intermissam repetiere. Proposita tandem causa, sententia S. C. diei 10. mensis Februarii 1772., referente Regio Consiliario D. Hippolyto Porcinari, fuit ita cautum: *Ill. Gubernatores Sacri Montis Pauperum verecundorum heredes qu. spectabilis Regentis Regiæ Cancellariæ D. Stephani Padilla, absolvantur ab impetitis pro parte D. Melchioris, D. Francisci, & D. Nicolai de Bottone*. Contra hujusmodi sententiam reclamarunt Actores. Dicta nova die ordinaria ad non posita ponenda, & non probata probandum, instituerunt Actores pro peritia, & comparatione characteris D. Diomedis in prædicta scheda Mensæ argentariæ S. Jacobi exarati, quam ipsi, nulla præmissa protestatione, produxerant, & proinde ipsius D. Diomedis subscriptionem falsam esse dicebant. Peritia, citra præjudicium jurium partium, fuit per duos S. R. C. Act. Magistros absoluta. Tandem proposita iterum causa, referente Regio Consiliario D. Horatio Guidotti, sequens prolata fuit sententia: *Bene fuisse judicatum in sententia S. R. C. die 20. mensis Februarii anni 1772.; & male reclamatum per D. Nicolaum, ejusque fratres de Bottone: ac proinde imponendum*

 esse

esse perpetuum silentium, Neutram partem in expensis.

Judicium a D. Diomede, & D. Francisco Antonio Fernandez de Soto contra Sacrum Montem Pauperum verecundorum, heredem Regentis D. Stephani Padilla, & a D. Nicolao aliisque de Bottone post annos septuaginta sex restauratum, versabatur primo in restitutione millium nummorum aureorum, argenti facti, ac supellectilium pretiosarum a D. Hernando Fernandez de Soto fiduciæ (uti Actores contendebant) dicti de Padilla commendatorum: secundo in redditione rationis (quamquam postea hanc secundam actionem deserere arbitrati sint ipsi Actores) pro tutela ac cura dictorum fratrum Fernandez de Soto, quam ab eodem de Padilla gestam ipsi contendebant.

Ad probandam primam hujusce judicii partem nitebantur Actores quatuor testium præsidio, & testamento Regentis de Padilla, ac schedæ Mensæ argentariæ S. Jacobi ab ipsismetipsis penes acta exhibitis. At, quoad ad testes attinet, nullam his habendam esse fidem Sacro Consilio visum fuit, perpensis cum illorum qualitate, ac conditione, tum eorum dictorum varietate, ac discrepantia. Pro comperto enim habetur, Franciscum Cardone, & Magdalenam Crispino infimæ conditionis ac fortunæ, & Magdalenam præsertim deperditæ existimationis fuisse. Nam alter, postquam cauponam exercuerat, homicidium patraverat, & fugæ se dederat. Altera famula D. Hernandi fuerat, & licet nupta viro, quæstum sui corporis faciebat. *Testium fides* (lex ait) *diligenter examinanda*: ideoque in personam eorum exploranda erunt. In primis conditio, cujusque an honestæ & inculpatæ vitæ, an vero notatus quis & reprehensibilis: an locuples, vel egenus, *L. 2. & 3. de testib.* Et Imperator Adrianus rescripsit: *Tu magis scire debes, quanta fides habenda sit testibus; qui & cujus dignitatis, & cujus existimationis, dicta L. 3. §. 1. ff. eodem:* Franciscus Lanzetta vero levir fuerat D. Hernandi, proindeque valde suspectus, *d. L. 3.*

de

de testib. Notarius denique Augustinus Ferrara haud ratam habuit fidem a se antea factam, & tamquam testis non juratus repellendus, *L. jurisjur. 9. C. de test.*

Istorum deinde testium dicta varia esse, & inter se se secum pugnantia, perpensum fuit. Quis, quæso, fidem haberet cauponi Francisco Cardone, vigesimo secundo post mortem D. Hernandi anno, maxima cum præcisione, facilique memoria testimonium dicenti, hunc mandasse suæ uxori, ut sumeret parvam arcam in scrinio repositam, qua sumpta, & super lecto locata, eduxisse mille nummos aureos, illosque numerasse coram se, & quibusdam aliis, præsertim Francisco Lanzetta, Matthæo de Alexandro (hic vero nullum perhibuit testimonium), & famula Magdalena Crispino: & tradidisse D. Stephano Padilla; quum contra Franciscus Lanzetta, nil de numeratione loquendo, nedum in eorum quantitate, verum etiam in loco, ubi erant repositi, discrepat: & famula de Crispino ne verbum quidem de nummis, deque illorum numeratione effatur?

De quatuor arcis viatoriis argenti facti, & supellectilium pretiosarum onustis, solus caupo de Cardone testimonium perhibet; siquidem famula de Crispino nonnisi verba generalia de hoc loquitur. At unius omnino testis responsionem non audiri, jura cavent, *L. 9. C. de test.*

Magis vacillare denique testium fidem S. C. autumavit comparatione vehementium argumentorum, ex Actorum & Rei conventi qualitate exorientium. Non latebat filios heredesque D. Hernandi, prætensum depositum nummi, & supellectilium. Ipsi enim (si fides præstanda sit eorum dictis) assidue insthärant penes Padillam pro ejusmodi depositi restitutione. Cur igitur in repertorio ab ipsis, post eorum majorem ætatem, anno 1666. solemniter confecto, depositum prædictum, vel actionem ex illo orientem, non descripsere? Cur per annos duodeviginti, post sui patris obitum, litem non intenderunt? Cur tot solli-

sollicitudines postquam ad egestatis terminos se redegerunt? Cur denique primum anno 1680. ter questi apud Proregem usque ad annum 1692., quo Regens Padilla diem obiit supremum, siluere? Contra dictus Regens de Padilla dives absque filiis & propinquis: egregie cordatus homo, atque non ignoti nominis Causidicus, per varios gradus ad sublime munus Regiae Cancelleriae Regentis evectus, & pius, & senex, totam suam hereditatem in opulentis legatis, & ad pios usus insumsit. Quis, his ita positis, arbitretur, hunc hominem publicam voluisse violare fidem in sui, ac filiorum sui familiaris perniciem & detrimentum? Quae cum sint magni ponderis & momenti, ac vero proximiora argumenta, recte Judex ex iis, quae rei aptiora, & vero proximiora esse compererit, motum animi sui confirmare tenetur, *L. 21. §. 1. in fin. de testib.*

Parum immorari S. C. censuit testamento Regentis de Padilla, & schedae Mensae argentariae S. Jacobi, ab ipsis Actoribus exhibitis, cum ex his scripturis licet depositum ducatorum 2000. habeatur, attamen eorumdem satisfactio comprehenditur. Quippe nefas est Actori ex parte obligationem comprobare, ex parte, tamquam de iniqua, queri, *L. 39. §. 1. de oper. libert.*, *L. 7. de bonis libert.* Eo vel magis quod cum hujusmodi scripturae ab Actoribus exhibitae fuerint, uti praedictum, absque ulla protestatione adversus caput solutionis depositi, intelligitur eam partem scripturarum comprobasse, *argum. L. filiusfam. 8. ad Senatusc. Macedon.*

Nec etiam immorandum praetensae ex judicio Peritorum falsitati manus D. Diomedis in scheda Mensae argentariae S. Jacobi, S. R. C. visum fuit. Nam praeterquam quod hujusmodi judicium juramento caret, quod in jure improbatum est, *L. comparat. 20. de fid. instrum.*; comparationes manuum tam incertae sunt & ambiguae, ut nihil supra. Varia scribentis aetas, atramenti diversitas, varia calamorum exacutio, dissimilis papyri qualitas, loci, temporis-

porisque, quo scribitur, angustia, & hujusmodi alia sæpe efficiunt, ut in uno eodemque scribente apertissima manus varietas cernatur. Quod non fugit ipsos Peritos, qui cum judicium pro falsitate characteris D. Diomedis protulerint, ex hoc moti, quia in literis quamdam ideam scholasticæ manus inspexerint, fatentur in eodem veluti mendo cubare ipsius D. Diomedis manum in similibus schedis exaratam. Accedit, quod scheda prædicta non est (uti loquuntur) *per altri tanti*, sed cum causa, nempe in majoris quantitatis absolutionem: quo casu (uti lege ac more omnium Mensarum argentariarum hujus Civitatis cautum) *Pandectarius*, nonnisi sibi cognitum, cui pecunia cesserat, comprobare poterat. Accedit etiam, quod si falsa fuisset manus in prædicta scheda exarata, falsarius haud retulisset pecuniam in codicem ipsius Mensæ argentariæ, & novem post dies illam exegisset. Denique cum nonnisi Regentem Padilla D.Diomedis characterem adulterasse contendatur; tantum virum tanti sceleris suspicionem omnem a se repulsare, S. C. visum fuit.

Nihili deinde habenda, quæ adducebantur de quantitatibus in dicta scheda enunciatis, a dicto de Padilla in beneficium D. Diomedis, uti tutore ejusdem, solutis. *Nam primo puberi* (Cujacii verba sunt) *solvi potest sine Curatore*, *tom. 9. p. 192. lit. A.* Et puberi jure subvenitur duntaxat, si pecuniam restitutam perdidit, *L. 71. de minor.*; si læsus fuerit, *L. 1. C. qui & advers. quos in integr.* &c. si denique ante quadriennium subveniri petierit, *L. 7. C. de tempor. in integr. restit.* Secundo, dato quod Regens Padilla tutelam, curamque filiorum D. Hernandi gessisset (quod non levibus argumentis, ut inferius erit dicendi locus a Reo convento inficiebatur) non ideo sequebatur, eumdem de Padilla male solvisse pecuniam sibi creditam filiis ejusdem. Nam licet in jure cautum sit, tutores teneri collocare pupillares pecunias, *L. 15. de admin. & peric. tut.*, *& L. 24. C. eod.*; nihilominus hujusmodi jura locum sibi

ſibi vindicant, cum aliunde proſpici poſſit pupillorum conſervationi, onerumque hereditariorum ſolutioni; nam explorati pariter juris eſt, tutorem alimenta præſtare debere pupillo, *L.* 1. *C. de alim. pupill. præſt.*, & debita hereditaria perſolvere, *L.* 14. *§.* 2. *de admin. & peric. tutor.* At ex repertorio anni 1666. hereditatem D. Hernandi parvi fuiſſe momenti liquet: & liquet pariter hujuſmodi hereditatem legatorum, alimentorum uxoris ipſius D. Hernandi, funerum, Medicorum, & medicaminum iſtius, oneribus fuiſſe obnoxiam.

Nec fides habenda erit dictis D. Diomedis, qui in inſtrumento anni 1679. declarans ſe debitorem ſui fratris D. Franciſci Antonii, gratis aſſeruit, ſe vendidiſſe partitam arrendamenti fructuum ducatorum 3000., & duo rura, uti hereditaria ſui patris; cum in repertorio anni 1666. nulla mentio fiat dictorum bonorum, cumque partita prædicta, quæ eis tantummodo, uti heredibus D. Franciſcæ Ordognes eorum materteræ pervenerat, tam ab ipſo D Diomede, quam a D. Franciſco Antonio ejus fratre, recepto ab utriſque pretio ducatorum 2750., vendita fuiſſet D. Thereſiæ Cappiello.

Quod demum attinet ad ſecundam actionem ab ipſis de Bottone motam de redditione rationum tutelæ, ac curæ per Regentem de Padilla geſtæ, non injuria abſolvendum etiam Sacrum Montem Pauperum verecundorum S. C. cenſuit: nam præterquam quod Actores ipſi hujuſmodi actionem pro derelicta habuerunt, non liquet præfatum de Padilla tutelam, curamque hanc exercuiſſe. Hereditas D. Hernandi tanti non erat, ut iſtis egeret auxiliis. D Hernandi filiis, quorum alter pubes, alter pubertati proximus, curator potius, quam tutor opus erat, *Inſtit. tit.* 23. *de Curat.* Curator teſtamento neque a patre recte datur, ſed datum confirmari ab eo, qui præeſt, *L.* 1. *§. fin. de confer. tut.*, *L.* 7. *C. de teſtam. tutel.*: Et de decreto confirmationis non liquet. In repertorio anno 1666. a D. Hernandi

nandi filiis confecto, tunc temporis ætate longe majoribus, haud describitur hujusmodi actio contra Regentem de Padilla. Anno 1680. ipsi D. Hernandi filii duntaxat de prætensa usurpatione depositi nummorum questi sunt apud Proregem; & nonnisi anno 1692., triginta quinque annis post mortem D. Hernandi, hujusmodi actio proposita fuit. Regens Padilla solvit quantitates fiduciæ suæ commendatas, non uti tutor aut curator, sed uti depositarius: solvit etiam anno 1657. legatum ducatorum quinquaginta Magdalenæ Crispino de propria pecunia; & licet in apocha, vulgo *quietanza*, facta ab altera legataria Magdalena Cicatiello in margine testamenti D. Hernandi legatur, hanc fuisse pro ducatis viginti in pecunia numerata satisfactam a D. Stephano Padilla, uti tutore ac curatore filiorum ipsius D. Hernandi; attamen cum verba hæc fuerint scripta a Tabellione, absente eodem de Padilla, ei obesse nequeunt; res siquidem inter alios acta absenti non præjudicat, *L. 4. C. quib. res judicat. non nocet*. Deinde, posito etiam, quod Regens Padilla curam filiorum D. Hernandi adiisset, nequaquam ad rationum redditionem teneretur; nam D. Hernandus in suo testamento absolvit illum ab hoc onere: & necessitatem reddendæ rationis tutelæ posse in testamento remitti; *L. 18. de fideicomm.* Accedit demum, quod hujusmodi actio proposita fuit trigesimo quinto anno post D. Hernandi mortem, & trigesimo primo postquam ipsius filii majores facti sunt; ideoque, uti actio personalis, præscripta, *L. 3. C. de præscript. 30. annor.*

In causa Montis familiæ Sylos cum Illust. Marchione D. Francisco Ruggiero, & Universitate Civitatis Ruborum, Die 1. Februarii 1777.

Referente Regio Consiliario Porcinari,

S. C. pronunciavit: *deberi ab Universitate Ruborum annuos ducatos quingentum pro capitali ducatorum decemmille virtute instrumentorum dierum 5. & 22. Decembris anni* Etsi pecunia data pro exsolvendis Creditoribus Universitatis, qui Assensum

Regium præfeserent, soluta fuerit aliis creditoribus Assensu Regio destitutis; valida tamen censetur Universitatis obligatio in ea accipienda pecunia contracta.

ni 1605.; Regiique Assensus interpositi per Regium olim Collaterale Consilium die 4. Octobris anni 1618. Regiæ Cameræ; pro quo effectu partes adeant Regiam Cameram Summariæ. Idemque creditum spectare Monti maritagiorum instituto per qu. Jo: Alphonsum Sylos Civitatis Bitunti anno 1593. Ac proinde condemnandum esse Ill. Marchionem D. Franciscum Ruggiero, nomine ut ex actis, ad restituendum in beneficium prædicti Montis quantitates vere exactas ab eadem Universitate Ruborum ultra ducatos quatuormille; quos ei liceat retinere pro nunc ex causa maritagii spectantis ad qu. D. Beatricem Sylos sororem qu. Jo: Cæsaris Sylos, debitos qu. Jo: Mariæ Labini; salva provisione facienda super retentione aliorum ducatorum bismillium, plenius constito de cessione in beneficium prædicti Jo: qu. Cæsaris Sylos etiam maritagii qu. D. Emiliæ Sylos; pro quarum quantitatum vere exactarum liquidatione in biduo audiantur partes. Neutram in expensis.

De legitima crediti existentia adversus Universitatem Ruborum S. C. non dubitavit, etsi pecuniam a Jo: Alphonso Sylos mutuatam cum Regio Assensu pro exsolvendis aliis Universitatis creditoribus, ut evenit, minime constaret satisfactioni creditorum, qui Regium Assensum præseferrent, fuisse conversam. Cuncta in universali Civium colloquio gesta fuerunt, & pecunia vere aliis Universitatis creditoribus soluta fuit: idque tantum sufficere ex *L. Civitas*, ut validæ censeantur Universitatum obligationes, frequentissima docet judicandi ratio, quæ vim legis obtinet.

Reum propterea conventum, causamque habentem a Jo: Maria Labini creditore Jo: qu. Cæsaris Sylos, qui inter vocatos erat in Monte maritagiorum fœminarum familiæ suæ, damnare censuit S. C. ad reddendos prædicti crediti fructus (si forte fuissent exacti) qui excederent credita debitoris Jo: Sylos.

Vendita sane fuerat per judicem annualitatum prædicti crediti Montis contra Universitatem Ruborum exactio,

ut

ut idem Labini de ejus credito contra Joannem Sylos satisfieret; nec ideo hujus credita adversus Montem excedere poterat. Hæc, etsi peterentur ad ducatos usque sexmille, visum tamen fuit S. C. ad ducatos quatuormille taxare pro nunc, reservata meliori deliberatione pro reliquis ducatis bismille; quodlibet enim maritagium fœminarum familiæ Sylos ex lege fundatoris Montis ad ducatos usque esse poterat quatuormille; unumque maritagium Beatricis Sylos Joanni ejus fratri, & cessionario spectare constabat. Alterius vero maritagii Emiliæ Sylos, quo reliqui ducati bismille fulciebantur, cessio Jo: Sylos dubia erat, nec plene probata.

Cum denique minime liqueret quantitas a creditore Joannis Sylos heredibusque suis exacta ab Universitate Ruborum, potiusque dubitari poterat, num annui ducati quatuormille, quorum retentionem S.C. præsenti sententia decrevit pro nunc, fuerint soluti, dies propterea ordinaria dicta fuit, ut de quantitatibus vere exactis jus dici posset, sententiamque ferri, qua vere reus conventus, sive damnatus, sive absolutus a judicio discederet.

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. -- Joannes Santonicandro Scriba.

In causa D. Josephi Mariæ Vitale cum D. Nicolao Vitale. Die 19. Februarii 1777.

Qui fideicommissariæ substitutioni bona sua subjicit, subjicere non videtur officium, quod ad suam, atque ad vitam alterius, ab se nominandi, concessum fuit; etsi nominandi facultatem ad heredes transtulerit.

D. Gregorius Vitale cum officium Vicesecreti Terræ Vivonæ, ejusque proventus, atque emolumenta, quoad viveret, perfrueretur, anno 1717. prorogationem ejusdem officii, ad alteram usque hominis vitam duraturam, in caput, quodcumque fuisset ei visum, inscribendam, pretio ducatorum 1120. a Fisco comparavit. Cum autem ipse nominationem facere, se vivente, D. Gregorius neglexisset, decedens testamento, quo heredes scripsit D. Leonardum, D. Franciscum-Antonium, & D. Vitalem fra-

tres suos (fideicommissariæ substiturioni bona sua subjiciendo in filios Francisci Antonii alterius ex ejus coheredibus) juris nominandi facultatem ad ipsos heredes transtulit, addiditque, quod si forte ea uti non valerent, ex eo ipso tempore nominavit D. Joseph Vitale fratris sui filium. Verum quia Regis nostri Caroli ordinatione, hujusmodi futuræ officiorum concessiones jampridem fuissent ab anno 1738. abrogatæ; hinc fiebat, quod nedum cessio juris nominandi, verum ne nominatio quidem per ipsum testatorem facta ullo posset substineri pacto; idcirco D. Leonardus, alter ex coheredibus, ut testatoris mandata exequeretur, & ut officii fructus, emolumentaque capere, & ad alteram usque hominis vitam posset protrahere, licitatorem apposuit apud Regiæ Cameræ Tribunal, a quo designato pretio officium fuit comparatum, & in caput D. Joseph Vitale descriptum. Diu autem post hæc per D. Nicolaum Vitale, alterum ex substitutis, controversia mota est in D. Joseph ejus fratrem, affectando officium ad hereditatem fideicommissariam D. Gregorii pertinere. Negotio proinde ad Arbitrorum judicium delato prodiit sententia, qua pretium ducatorum 1120. substitutioni obnoxium fuit declaratum, & condemnatus D. Joseph Vitale ad solvendum ipsi D. Nicolao medietatem interesse ejusdem summæ. Hæc porro sententia ad trutinam revocata neque juri, neque rationi a S. C. est æstimata conformis. Perpendit etenim S. C. officium, de quo erat quæstio, neque fuisse per testatorem fideicommissariæ substitutioni suppositum, neque suapte natura hujusmodi esse oneris capax: inspecta enim voluntate D. Gregorii, cum ipse post generalem substitutionem sigillatim de officio verba fecisset, testamento cavit, ut jus nominandi heredibus cederet, quo non secuto, nominavit ipse substitutum D. Joseph fratris sui filium, nulla tamen per eum mentione habita pretii ducatorum mille centum viginti. Ex quo manifeste eliciebatur, neque officium, neque pretium illius

lius substitutioni subjacere. Re autem ipsa officium proprietate carebat, cum ad unam, atque alteram hominis vitam fuisset comparatum, itaut sors, sive pretium in ipso contractus momento absumtum fuerat, atque extinctum, & tanquam pretium aleæ habebatur, quo loquendi genere Doctores utuntur; itaut testator hujusmodi pretium inter bona sua recensere, nec intellexit quidem, nec jure merito comprehendere unquam poterat: quod porro argumentum innititur in ratione textus in *L. dotis fructus versic. usufructus ff. de jure dot.* Neque animadversione dignum habendum erat, alterum ex coheredibus in comparanda prorogatione alterius vitæ, adscripsisse summam per testatorem solutam in anno 1717. Ex hoc etenim sequi tantummodo poterat, ut hereditas D. Gregorii creditrix haberetur pecuniæ insumtæ in officii emtione, non vero, ut prorogatio officii, ejusque fructus, & emolumenta substitutioni fideicommissariæ dicerentur obnoxia. Statim enim ac in caput D. Joseph Vitale officium fuit descriptum, dominium illius adeptus est, *L. 23. §. 3. ff. de acquir. rer. dom.*, & si qua supererat actio hereditati D. Gregorii ad repetendam summam ducatorum 1120., contra heredes ejus erat experiunda, utpore qui partem pretii officii repensarunt cum ducatis 1120. a Fisco debitis hereditati ipsiusmet D. Gregorii, a qua tamen actione D. Nicolaus repellebatur ex regula textus in *L. cum a matre C. de reivindic.*, cum & ipse heres extiterit D. Leonardi ejus patrui, qui officii prorogationem curaverat. Hæc tamen omnia sibi locum vindicare censuit S. C. quotiescumque heredes D. Gregorii sponte sua officii prorogationem pecunia hereditatis ejus quæsivissent. Id vero per eos factum dignoscebatur, ut defuncti voluntatem implerent, qui & facultatem nominationis ad officium heredibus suis demandando, fructus illius heredum commodo cessuros intellexit, & directe nominando D. Joseph Vitale, ad eum officii dominium eo vivente perduraturum

 trans-

transtulit, itaut tam D. Leonardus, quam ceteri coheredes uti nudi ministri voluntatis D. Gregorii erant habendi, & propterea neque actio contra eos D. Nicolao Vitale competebat, neque pretii repetitio adversus D. Joseph, qui voluntate testatoris officii dominium ad ejus usque vitam durarurum fuerat consecutus, *L. liber. 21. de ann. legat.*, *L. si filia 20. §. item ff. fam. ercisc.* Hinc visa supplicatione, & nullitatibus in ea contentis, productis pro parte magn. D. Joseph Vitale, aliis nullitatibus productis pro parte magn. D. Nicolai Mariæ Vitale, & ceteris actis,

Referente Regio Consiliario Criscomio,

S. C. pronunciavit: *Nullitates contentas in præcitata supplicatione, exhibita pro parte supradicti D. Josephi Vitale, obstare; at proinde prædictus D. Joseph absolvatur ab impetitis pro parte magn. D. Nicolai Mariæ Vitale, cui sint salva jura si quæ competunt, secuto obitu ejusdem D. Josephi super bonis hereditariis qq. D. Leonardi, D. Vitalis, & D. Francisci Antonii Vitale.*

Franciscus Daniele Scriba.

In causa viduæ Antoniæ Orlando cum D. Vincentio Vella, Ignatio, & Matthæo Scognamiglio. Die 28. Februarii 1777.

Ante institutionem hypothecariæ actionis, valent alienationes a domino fundi factæ.

VIdua Antonia Orlando die 13. mensis Martii anni 1774. petiit, sibi præstandam esse assistentiam super duabus portionibus prædii modiorum sex, nonarum sex, & quintarum trium, prius a Francisco, & qu. Bartholomæo Imparato, ejus debitoribus, tunc temporis vero a D. Vincentio Vella qu. Paschalis possessi in loco, ubi vocant *il Trio*, seu *Cupertano* Regalis Villæ Porticuum. Compilato judicio, S.C. inter alia damnavit die 14. Junii 1775. Curatorem hereditatis jacentis qu. Bartholomæi Imparati, necnon Franciscum, & Januarium Imparatum ad solvendum Antoniæ Orlando sortem ducatorum 707. & assium sex, una cum inte-

intereſſe, ſeu uſuris fortis prædictæ ad rationem ducatorum quinque in ſingulos centum, non ſolutis, & per Scribam cauſæ, partibus requiſitis, calculandis; pro quibus tam ſorte, quam uſuris, præſtitit aſſiſtentiam ſuper duabus portionibus prædii, quæ a præfato D. Vincentio Vella aſſertæ fuerunt poſſeſſæ, ad finem vendendi tantum. Verum inſtrumento diei 29. menſis Decembris anni 1771. ante diem ſcilicet judicii aſſiſtentiæ moti per Antoniam Orlando, idem D. Vincentius in emphyteuſim tradiderat Ignatio, & Matthæo Scognamiglio prædium prædictum, ſtatuto canone annuorum ducatorum octoginta; quadere die 25. menſis Novembris elapſi anni 1776. iterum petiit Antonia Orlando, præſtandam ſibi aſſiſtentiam ſuper prædio prædicto, nihilique habendam eſſe in emphyteuſim conceſſionem anno 1771. per eumdem D. Vincentium Vella factam in beneficium præfatorum de Scognamiglio. Inſtructo proceſſu, ac auditis iiſdem de Scognamiglio,

Referente Regio Conſiliario Guidotti,

S.C. pronunciavit: *Sententiam diei 14. menſis Junii anni 1775. exequendam eſſe ſuper canone annuorum ducatorum octoginta debito per Ignatium, & Matthæum Scognamiglio, in beneficium D. Vincentii Vella virtute inſtrumenti diei 29. menſis Decembris anni 1771. Neutram partem in expenſis.*

Explorati juris eſt, pignus, ſive hypothecam nulla ſocietate dominii conjungi, ſed ſola conventione conſtitui, *L. 40. §. 5. de uſur. & uſucap.*, *L. 1. §. 2. de pignor. & hypoth.* Ideoque creditorem non dominium vindicare, ſed hypothecaria agere poſſe, *L. 16. §. creditor hypothecariam de pignor.* Hæc ſiquidem etſi in rem actio ſit, nudam tamen poſſeſſionem avocat, & ſoluta pecunia diſſolvitur, *L. 66. de evictionib. in fin.* Conſtat inſuper, donec creditor jus ſuum exequatur, alienationes a domino factas, valere. Hinc quum D. Vincentius Vella, antequam creditrix Antonia Orlando judicium aſſiſtentiæ moveret, Ignatio,

tio, & Matthæo Scognamiglio prædium hypothecæ pro dicta Orlando obnoxium in emphyteusim, statuto canone ducatorum octoginta in singulos annos, tradidisset; non injuria S. R. C. decrevit, sententiam anno 1775. contra prædictum de Vella latam super eodem canone per emphyteutas de Scognamiglio debito esse exequendam.

U. J. D. Franciscus d'Amora -- D. Michael Luglio Scriba.

In causa Magdalenæ Pisacano cum Antonia, Angela, & Gratia Pisacano. Die 25. Junii 1777.

Donatio contemplatione matrimonii facta in tabulis nuptialibus, semper inter vivos & irrevocabilis censetur, ac cum ipso dotali contractu confunditur.

NIcolaus Pisacano, quatuor habens filios, nempe Magdalenam, Antoniam, Angelam, & Gratiam, unicuique constituit dotem in ducatis ducentis, & promisit pariter eisdem quotam hereditatis dividendæ post illius obitum æqua lance inter eas. Antequam dictus Nicolaus diem suum obierit, testamentum confecit, quo heredem ex asse fecit dictam Gratiam, & in sola legitima reliquas filias. Vita functo dicto testatore, præfata Antonia, & Angela judicium instituerunt pro divisione hereditatis dicti Nicolai communis patris, non obstante testamento facto favore solius Gratiæ. Discussa causa in S. R. C. fuit ab hoc duobus decretis ordinata divisio prædicta in tres partes æquales. Hujus decisionis ratio fuit innixa promissioni, sive donationi contemplatione certi matrimonii factæ a dicto Nicolao in tabulis nuptialibus suarum filiarum, quæ semper dicitur inter vivos, & irrevocabilis, quum sit pars ipsius contractus matrimonialis, & cum ipso contractu dotali confunditur, & in persona donatarii, vivente adhuc donante, intelligitur translatum dominium ministerio juris; & sicuti Reipublicæ interest ut mulierum dotes conserventur, *L. 2. D. de jure dot.*, ita ad communem utilitatem attinet hujusmodi donationes firmas, illibatasque persistere, nec datur locus revocationi. In hoc rerum

rerum statu præfata Magdalena, quæ nullam partem habuit in judicio, utens exemplis rei judicatæ, petiit quartam portionem prædictæ hereditatis. Proposita causa in S.R.C. & perpensis per hoc iisdem juris dispositionibus, ac facti circumstantiis desuper descriptis, judicavit eamdem rationem vigere pro dicta Magdalena, cujus conditio nequit esse deterior sorte aliarum sororum, quæ talem veritatem fassæ sunt in earum comparitionibus; hinc inspecta comparitione Bartholomæi Ferrari viri Magdalenæ Pisacano, fide instrumenti capitulorum matrimonialium, instrumento diei 24. Novembris 1760., decretis S.R.C. dierum 6. Martii, & 19. Augusti 1769., comparitione Nuntii Novi viri Antoniæ Pisacano, alia comparitione ejusdem, & Petri Tortore viri Angelæ Pisacano, ac omnibus actis;

Referente Regio Consiliario Avena,

S.R.C. pronunciavit: *Divisionem bonorum hereditariorum qu. Nicolai Pisacano, vigore decretorum S.R.C. sub diebus 6. Martii, & 19. Augusti 1769. executam in tres portiones, idest in beneficium Antoniæ, Angelæ, & Gratiæ Pisacano, esse exequendam in quatuor portiones, nempe in beneficium dictarum Antoniæ, Angelæ, Gratiæ, & Magdalenæ Pisacano, collatis pariter quantitatibus per dictam Magdalenam receptis in causam dotium. Neutram partem in expensis.*

Joannes Maria Graziano Act. Mag. — Andreas Carofelli Scriba.

In causa Illust. Marchionis Rocchettæ D. Joannis Baptistæ Valdetaro Pontecorvo cum Ven. Monasterio SS. Josephi, & Theresiæ, & mag. Curatore hereditatis qu. D. Jo: Baptistæ Valdetaro senioris. Die 1. Septembris 1777.

DEcreto S.R.C. diei 9. Decembris 1771. in discussione inventarii qu. Marchionis Rocchettæ D. Julii Valdetaro admissum fuit creditum fructuum domus subjectæ fideicommisso a qu. D. Josepho Pontecorvo, perceptorum a Monasterio nobilium Monialium sub titulo SS. Josephi, & The-

Non admittitur tacita hypotheca, nisi fuerit a jure expressim concessa. Jure autem tacita hypotheca non datur pro recuperatione fructuum bonorum fideicommissi.

& Theresiæ, cum anterioritate de anno 1714., super bonis hereditariis dicti qu. D. Julii. Petiit hodiernus Marchio Rocchettæ D. Jo: Baptista Valdetaro junior, inter alia, creditum prædictum admitti saltem cum anterioritate anni 1688. super enunciata hereditate, & similiter super hereditate qu. D. Joannis Baptistæ Valdetaro senioris. Sententia lata sub die 24. Aprilis 1775. S.C. decrevit; non esse locum petitæ majori anterioritati super bonis dicti qu. D. Julii, & respectu admissionis dicti crediti contra hereditatem qu. D. Jo: Baptistæ senioris, ex quo non erat legitimata ejus persona, & hodiernus Marchio nolle ipsius esse heredem declaraverat, datus fuit illius hereditati jacenti Curator Advocatus D. Xaverius Esperti, novusque terminus impartitus, ipso audito compilandus. Petiit denuo dictus hodiernus Marchio condemnari dictum Curatorem ad solvendum creditum desuper enunciatum, illudque admitti vigore tacitæ hypothecæ super bonis prædicti qu. D. Jo: Baptistæ senioris, cum anterioritate anni 1673., quo tempore administrationem dicti fideicommissi idem susceperat.

Contra excepit Ven. Monasterium prædictum, nullam deberi hypothecam tacitam credito fructuum prætenso per dictum Marchionem; ex eo quia nulla lege dicta hypotheca pro fructibus fideicommissi consumptis conceditur vocatis in eo, imo expresse illa negatur super bonis heredis gravati, qui bona fideicommissi distraxit. Eamdem exceptionem opposuit magn. Curator, allegans, supradictam sententiam latam anno 1775. non peperisse exceptionem rei judicatæ contra hereditatem qu. D. Jo: Baptistæ senioris, quia ipsius legitima persona non fuit audita; aliaque fuerunt deducta, quæ legi possunt in ejus libello in actis exhibito.

Inspecto autem termino noviter impartito, ac compilato super prædictis, inspectis scripturis recenter præsentatis; Partibusque pluries, atque plenius voce, & scripto audi-

auditis, ac omnibus actis plura volumina componentibus, repertum est, hypothecam expressam, sive conventionalem prorsus deficere (quod actor etiam negare minime ausus fuit) sed solum discutiendum esse, an tacita pro dicto credito competat. Pro hujusmodi dubii resolutione considerat S.R.C. nullas admitti posse tacitas hypothecas, nisi a jure expresse fuerint concessæ; & licet in *L. 6. C. de bonis quæ liberis &c.* concedatur tacita hypotheca in beneficium filii super bonis patris, administrantis peculium adventitium filii; hæc tamen locum habet eo dumtaxat casu, quo pater novercam superinduxerit; alias expresse negatur; imo interdicitur filio actio adversus parentem pro computorum redditione: *Non autem* (ait citata *L. 6.*) *hypothecam filiifamilias adversus res patris viventis adhuc, seu jam mortui, sperare audeant, nec ratiocinia ei super administratione inferre*. Statuitur id quoque in *L. 8. §. 4. & 5. C. de secundis nuptiis*. Similiter in *Nov.* 108. *tit. de restitut.* ex qua sumpta est *Auth. contra cum rogatus, C. ad S.C. Trebell.* conceditur vocatis pro restitutione bonorum fideicommissi hypotheca tacita super bonis testatoris fideicommittentis, etiamsi a tertio possideantur; atque hoc vigore *L. 1. C. commun. de legatis*, qua Justinianus concessit hypothecam legatariis pro consecutione legatorum, ex eo quia idem Imperator fideicommissa, & legata exæquavit, *d. tit. C. commun. de legatis*, ne bona restitutioni obnoxia vocatorum injuria, & in eversionem fideicommissi alienarentur. Expresse tamen declaravit, tacitam hanc hypothecam in bonis heredis gravati alienantis nullimode competere; qua de re in *§. in omnibus autem*; præcitatæ *Nov.* legitur, *hypothecam esse non rerum ipsius heredis, vel alterius personæ, quæ gravata est fideicommisso, sed tantum rerum, quæ a Testatore ad eum pervenerunt*. His positis S.R.C. censuit, locum non esse argumento legis, cui innitebatur Advocatus actoris; nam tunc licet recurrere ad argumentum legis, quando non adest textus legis expressus, quo ex-

cluditur quodlibet argumentum expressæ legi repugnans, prout S. R. C. alias judicavit, quemadmodum refert Joannes Baptista Torus, Sacri Consilii decisionum compilator egregius. Nec videtur omittendum, quod hodie non agitur de reintegranda domo fideicommisso, nec de ipsius favore, aut conservatione, nam domus jam per aliam sententiam diei 14. Julii 1768. fuit reintegrata vocatis in testamento qu. D. Josephi Pontecorvo; sed agitur de recuperatione fructuum, & per consequens solum de interesse, ac utili actualis fideicommissarii, pro quorum fructuum recuperatione nulla in jure admittitur tacita hypotheca. Hæc omnia, quæ favore cujuscumque possessoris bonorum heredis gravati alienantis militant, magis magisque locum habent adversus dictum Marchionem in concursu cum præcitato Monasterio emptore domus in actis deductæ sub hasta S.C., & possessore absque ulla molestia, prout illam quoque possederat prima emptrix qu. Principissa Biteсti ab anno 1691. ad annum 1759., videlicet annis 68., qui apti sunt ad quamlibet actionem præscribendam, attenta ultima Const. lata anno 1742., prævia decisione quatuor Aularum S.R.C. His minime refragatur sententia lata sub die 15. Martii 1775. transacta in rem judicatam, audito Monasterio, a quo nullum productum fuit gravamen adversus illam; etenim creditum fructuum in ipsa fuit admissum cum anterioritate anni 1714., & Monasterium fruitur anterioritate anni 1691., proinde nihil ejus intererat, sententiam prædictam revocari: secundo nullam rem judicatam illa parere potuit adversus hereditatem qu. D. Jo: Baptistæ senioris, non auditam, nec condemnatam: qua de re S. C. hanc protulit sententiam

Referente Regio Consiliario Carpentiere,

Super bonis qu. D. Jo: Baptistæ Valdetaro senioris pro recuperatione fructuum, quos a domo in actis deducta, & fideicommisso subjecta percipere non potuit Ill. Marchio Rocchetta D. Joannes Baptista Pontecorvo junior ab anno 1725. in antea, non competere ipsi Ill. Marchioni tacitam

hypo-

hypothecam cum anterioritate anni 1773. in concursu cum Ven. Monasterio SS. Josephi, & Theresiæ tertio possessore, sive emptore domus prædictæ; salva provisione facienda super admissione alimentorum, & super restitutione fructuum petita contra idem Monasterium, perceptorum a domo prædicta, pro quo effectu Partes informent. Neutram partem in expensis.

Joannes Graziano Act. Mag. -- Vincentius Maria Dattilo Scriba.

In causa Rev. D. Jo: Baptistæ de Franco cum nonnullis Creditoribus Patrimonii qu. D. Josephi Cæsaris de Rugiero, ut ex actis. Die 18. mensis Novembris 1777.

Referente Regio Cons. Potenza, cum interventu Regii Cons. Belli adjuncti.

S.R.C. declaravit: *Nullitates non obstare, salvis juribus, si quæ competunt, D. Carolo Guevara, & Congregationi sub titulo SS. Visitationis contra Ven. Monasterium Vici Equensis in alio judicio. Verum respectu tertiarum prætensarum a Rev. D. Jo: Baptista de Franco pro ducatis 923. & ass. 19. ab eo solutis, in biduo audiantur partes.*

Hypothecaria actione conventus, etsi ultro creditori pecuniam offerat, non expectata evictionis sententia; recte tamen agit pro indemnitate contra venditorem.

Liquet enim ex actis, sententia S.R.C. de anno 1759. in judicio adsistentiæ petitæ a Rev. D. Nicolao Grassi adjudicatam fuisse domum, ubi dicitur *al Lavinaro*, quæ a qu. Josepho Cæsare de Rugiero venditionis contractu fratribus de Barletta pervenit, pro satisfactione ducatorum 500. cum tertiis decursis; necnon prædictos fratres de Barletta inde petiisse, Rev. D. Jo: Baptistam de Franco possessorem alterius domus *alla Rua Francesca*, ab eodem Jo: Cæsare de Rugiero venditæ, esse condemnandum tamquam tempore posteriorem ad reficiendum omne id quod intererat super pretio domus prædictæ hypothecæ subjectæ in casu evictionis; & post judicium acceptum, ante tamen sententiam, fratres de Barletta satisfactos fuisse a Rev. D. Jo: Baptista de Franco; & denique liquet in venditione domus *alla Rua Francesca* in casu evictionis

non tantum a Jo: Cæſare de Rugiero, ſed etiam ab ejus ſorore, & nepotibus in ſolidum ſuper eorum bonis hypothecam fuiſſe contractam; ideoque Creditores Patrimonii tempore poſteriores, quibus ſolutæ fuere quantitates ex venditione ruris cum domo *a Capo di Monte*, ad ſororem, & nepotes prædicti Jo: Cæſaris de Rugiero proprio jure ſpectantes, condemnati fuerunt ad reſtituendas pecunias a Patrimonio receptas in beneficium Rev. D. Jo: Baptiſtæ de Franco tempore potioris, ex *L. 4. C. qui pot. in pign.*; & cum inter poſteriores noviſſimi eſſent Congregatio Viſitationis, & D. Carolus Guevara, ideo ad evitandum circuitum inutilem condemnati fuerunt prædicti Creditores ad reſtitutionem condictione indebiti, & virtute cautionis præſtitæ, de reſtituendo quantitates cui, quibus, & quando.

Minime enim obſtat, Rev. D. Jo: Baptiſtam de Franco poſt litem a fratribus de Barletta conteſtatam, ante ſententiam ultro Creditoribus pecuniam obtuliſſe, non denunciato prius Jo: Cæſare de Rugiero venditore; nam clare ex inſtrumentis conſtabat de bono jure fratrum de Barletta, & abhorrent leges ſupervacuam ſubſtinere litem, etiamſi ſit tutor pro ejus pupillo; cum a vero creditore conventus, bonam fidem teneatur agnoſcere, *L. 9. §. 6. ff. de admin. tut.*; & emptor ſtipulatus de indemnitate, hypothecaria conventus, creditori ultro debitum ſi offerat, non expectata evictionis ſententia, ex empto ad indemnitatem promiſſam jure agere poteſt, *L. 22. C. de evict.*; ac proinde Rev. D. Jo: Baptiſta de Franco, ante ſententiam ultro ſolutis quantitatibus fratribus de Barletta, ex empto ad indemnitatem in inſtrumento venditionis promiſſam recte convenit Curatorem, venditoris perſonam repræſentantem, & Creditores Patrimonii prædicti; & cum nil contra evictionem fuiſſet a Curatore probatum, Creditores poſteriores ideo ad reſtitutionem pecuniæ receptæ ad anteriores pertinentis jure fuerunt condemnati; nam æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & injuria

ria fieri locupletiorem, *L.206. ff. de reg. jur.*

Et quamvis Mon. Vici Equensis D. Carolo Guevara, & Congreg. Visitationis creditor posterior esset: potior tamen erat ex speciali. hypotheca promissa a D.Cajetana de Franco, nepte Jo: Cæsaris de Rugiero: cui nepti tertia pars pretii ex venditione ruris & domus in Patrimonio deductæ pertinebat vigore substitutionis ordinatæ a qu. Rev. D. Jo: Baptista de Rugiero; maxime cum Mon. prædictum quoad obligationem specialem D.Cajetanæ, cujus portio non erat exhausta, uti erant ejus matris & fratris portiones, quibus pretium ruris & domus substitutioni subjectæ pertinebat, creditor potior in tempore esset ipso Rev. D. Jo:Baptista de Franco; ideoque Mon. prædictum in condemnatione non fuit comprehensum, ex *L. 1. C. si comm. res*; sed Creditoribus condemnatis contra Mon. reservata fuerunt jura, si quæ haberent, in alio judicio.

Quaranta Act. Mag.

In causa D. Andreæ Berarducci, cum D. Joanne Baptista Govitosi, ut ex actis. Die 21. Februarii 1778.

Jus patronatus, quod sibi, suisque heredibus & successoribus Fundator reservavit in Cappellaniæ institutione, adjecta lege constructionis Sacelli in horto suæ domus, & sepulturæ; hereditarium mixtum reputandum est.

EX pluribus controversiis exortis post mortem Abbatis D. Hieronymi Govitosi, inter D. Aloysium, D. Nicolaum, & D. Franciscum Berarducci, heredes testamento dicti D. Hieronymi scriptos, & D. Joannem Baptistam, & D. Nicolaum Govitosi ejus nepotes; compromissis deinde in personas U. J. DD. D. Michaelis Vecchione, & D. Joannis de Torres partium contendentium Advocatorum, fuit ea, quæ juspatronatus institutum ab Abbate D. Ambrosio Govitosi respiciebat; an scilicet familiare, vel potius hereditarium esset reputandum: Hac super quæstione hujusmodi fuit Arbitrorum judicium.

Declaramus, juspatronatus Cappellaniæ erectæ per D. Ambrosium Govitosi in Cappella Divi Petri de Alcantara, de ejus voluntate & ordine deinde constructa intra

tra

tra limites domus de Govitosi, seu jus nominandi Cappellanum amovibilem ad nutum pro dicta Cappellania, inspecta præsertim mente Fundatoris declarata in ejus testamento de anno 1679., & in fundatione Cappellaniæ prædictæ de anno 1682. in illis designatis verbis : e dopo sua morte a' detti suoi eredi e successori, e non ad altra persona, *& perpenso pariter, quod Cappella prædicta pro ornamento & commoditate familiæ fuit constructa, spectavisse & spectare in beneficium dicti D. Joannis Baptistæ Govitosi, & ejus descendentium de primogenito in primogenitum; verum in qualibet vacantia in defectum Clericorum de descendentia & familia ipsius D. Joannis Baptistæ Govitosi, præferantur Clerici descendentes. ex qu. D. Agatha Govitosi, olim matre qu. D. Francisci Berarducci, uti de sanguine & cognatione Fundatoris.*

Arbitrorum sententiæ neutra pars acquievit; qua de re D. Joannes Baptista Govitosi, & D. Andreas Berarducci nullitates adversus laudum produxerunt, quæ dum a S.R.C. essent discutiendæ, partes ipsæ nullitatibus renunciaverunt; quod vero ad juspatronatus, omisso Arbitrorum judicio, fuit decisio S.R.C. reservata; eapropter partium consensu ab olim Regio Consiliario Gentile causæ Commissario decretum fuit, laudum quoad reliqua esse exequendum; quo vero ad juspatronatus dictæ Cappellaniæ moneri partes ad audiendam provisionem faciendam per S.R.C.

Relata itaque causa ad S.R.C. pro dicti articuli decisione, an juspatronatus esset familiare, imo primogeniale, vel potius hereditarium a D. Joanne Baptista Govitosi, ut palam fieret, illud esse gentilitium familiare, imo primogeniale, hæc in medium proferebantur.

Anno 1679. dictus Rev. D. Ambrosius suum condidit testamentum, quo heredibus institutis fratribus, Didaco nempe, Gregorio, atque Antonio, extrui jussit Sacellum titulo S. Petri ab Alcantara insignitum, aut in Ecclesia S. Theresiæ, aut alibi ex libito illius, qui jure patronatus gau-

gauderet; & super dicto jure patronatus, mentem suam hisce expressit verbis: *ed il jus patronato di essa sia, e debba essere di D. Diego, D. Gregorio, e D. Antonio Govitosi suoi fratelli, e dopo la morte di essi, resti al primogenito di essi, e poi da primogenito ad primogenitum*. Deinde anno 1682. Cappellaniam instituit cum jure patronatus, quod sibi, suisque heredibus & successoribus reservavit, facultate sibi relicta, eam Cappellaniam transferendi ad Ecclesiam, quam in horto suæ domus erigendam designaverat.

Ex his itaque dictus Govitosi aperte constare contendebat, Cappellaniam anno 1682. erectam ex legibus, quæ testamento anni 1679. continebantur, esse suapte natura familiarem, gentilitiam, atque primogenialem; neque quidquam officere, quod testamentum anni 1679. alio testamento anni 1688. fuisset revocatum; id enim referendum ad cetera in dicto testamento disposita tantummodo dictus Govitosi existimabat, cum nihil super jure patronatus fuisset immutatum; & qualitatem illam appositam in testamento anni 1679. repetitam instrumento fundationis Cappellaniæ inito anno 1682. censendam esse; etenim cum clare non constaret de contraria expressa Fundatoris voluntate, verba *pro suis heredibus & successoribus* ad heredes propriæ familiæ tantum congruere posse, & in dubio mentem Fundatoris declarari debere ex iis, quæ prius ab ipsomet Fundatore disposita fuerant, *argum. L. fin. de reb. cor.*

Contra vero D. Andreas Berarducci juspatronatus hereditarium esse ambigi non posse affirmabat; idque ex verbis Institutionis colligebat, ubi omni familiæ, atque agnationis mentione prorsus remota, jus illud heredibus & successoribus reservatum videtur, quod *ex L. 5. de relig. & sumpt. funer.* clare constare asseverabat: *Familiaria sepulcra*, ait J.C. Gajus, *dicuntur quæ quis sibi familiæque suæ constituit; hereditaria autem, quæ quis sibi heredibusque suis constituit*; deque testamento anni 1679.,
quo

quo juspatronatus familiæ relinquebatur, nullam habendam esse rationem, cum posteriori testamento anni 1688. fuerit abrogatum: revocato namque testamento, omnia in eo contenta, etiam accessoria revocata dicuntur, *ex L. heredes palam* 21. *§. si quid de testam. & L.* 28. *si sibi rem certam de adim. leg.*; neque recte duci posse argumentum ex testamento revocato ad declarandam posteriorem Fundatoris voluntatem; denique in dubio juspatronatus dici debere hereditarium, ex *cap.* 1. *& cap. cum seculum de jurepatron.*

Quæ cum ita se habeant, S. C. fundationis Cappellaniæ instrumento anni 1682. erectæ verba respiciens, quæ cum satis clara sint, interpretationem non patiuntur, & perpendens, quod dictus D. Ambrosius Sacellum in horto domus suæ ædificandum, ibique esse sepeliendum jussit, idcirco patronatum ipsum esse reputandum hereditarium mixtum censuit *argum. L. vel quod de relig. & sumpt. funer.*

Ideo referente Regio Consiliario Malena,

decernendum censuit: *Jus patronatus Cappellaniæ erectæ per qu. D. Ambrosium Govitosi in Cappella Divi Petri de Alcantara fuisse & esse hereditarium mixtum, ac proinde spectavisse & spectare in beneficium heredum dicti qu. D. Ambrosii pro ratis & portionibus hereditariis ipsis pertinentibus.*

Joannes Maria Graziano Act. Mag. -- Vincentius Maria Dattilo Scriba.

In causa Ill. Ducis S. Petri in Galatina cum Ill. Marchionissa del Fresno. Die . . . mensis . . . 1778.

Ad tacita fideicommissa inducenda enixæ, & vehementes conjecturæ concurrant, oportet.

IN supremo testamento D. Francisci Mariæ Spinola Ducis S. Petri in Galatina, condito anno 1727., præter alia, quæ ibi scripta sunt, caput hoc, in quo præsens controversia vertitur, legitur: *Dichiaro per mio erede universale mio figlio D. Gio: Filippo Spinola Principe di Molfetta, o chi avrà causa da esso di Primogenito in Primogenito.* Quum hæc sint testatoris verba, nullum per ea vide-

videtur induci fideicommissum, aut primogenitura ulla, de qua nunc agitur. Etenim desunt verba sollemnia fideicommissorum, & ne enunciativa quidem sunt, ut Doctores loquuntur, aut conjecturæ, quibus probetur fideicommissum, aut ostendi possit talis testatoris voluntas; maxime vero, quod in tacitis fideicommissis satis non sunt quæcumque conjecturæ, sed eæ requiruntur, quæ dici solent enixæ & vehementes, unde scilicet nemo sanus dubitet, quin testator fideicommissum voluerit. Ut vera primogenitura censeatur, splendor familiæ & prosperitas enunciari debet, successionis gradus constituendi sunt, alienandi prohibitio, alienantium pœna, aliaque addi debent, quæ profecto nullibi in testamento leguntur.

Nulla igitur hereditatis restitutio injuncta est, neque verbis inflexis & precativis, prout ex *§. 2. Instit. de fideicommissar. hereditatib.*, neque ex tacita testatoris voluntate, neglectis juris sollemnitatibus, secundum ea, quæ Paulus scripsit in *L. a fratre* 127. *de legat. & fideicomm.* 1., *& alibi passim.*

Quapropter simplex hereditatis institutio censenda, sive potius substitutio vulgaris, quum dixerit: *Dichiaro erede mio figlio D. Gio: Filippo, o chi avrà causa da esso di primogenito in primogenito*. Quasi scripserit, si ille heres non erit, ille heres esto, *princip. Instit. de vulg. substit.*, cujus particulæ disjunctivæ vis est, ut, posito altero, necesse sit tolli alterum, *L.* 124. *de verb. signif.*

Et licet testamentum hoc in Hispanis conditum sit, Hispanorum mores frustra hic jactantur, quum & Italus sit testator, & bona, de quibus disponitur, Januæ, Mediolani, Neapoli, & ubique Italiæ sita sint.

Nulla igitur suppetit ratio, quapropter ex testamento adstruendum sit fideicommissum aut primogenitura. His accedit, quod quum D. Joannes Philippus Spinola hereditatem adierit, & fratres ejus quatuor nullam esse primogenituram, nullumque fideicommissum facile assensi sunt, ita-

itaque e communi sententia legitimam sibi in burgensaticis, vitamque militiam in feudalibus sibi poposcerunt, acceperuntque, conventum deinde est, ut primogenitura vera, & secundum formam in posterum constitueretur: quo nimirum pertinet illa S. R. C. decisio anni 1757., quæ & in gradu nullitatis comprobata fuit.

Quibus profecto perspectis ac pensitatis, S.R.C. Patres sententiam rogati pene omnes, uno vix aut altero refragante, secundum libertatem bonorum decernendum censuerunt, absoluto S. Petri in Galatina Duce a petitis pro Ill. Marchionissa del Fresno; salvis tamen juribus, prout de jure, quoad alias actiones, super quas judicium forte futurum erit post Ducis ejusdem sine liberis obitum, Hinc inspecta supplicatione in actis exhibita, sententia S.R.C. de die 9. Julii 1757., cum impartitione termini super deductis in dicta supplicatione, inspectisque etiam libellis, & omnibus actis in pluribus voluminibus contentis;

Cum interventu Spect. Præsidis, & Reg. Cons. Cimino, Pallante, & Carpentiero adjunct.

pronunciatum est: *Ill. Ducem S. Petri in Galatina D. Josephum Spinola absolvendum esse a petitis ex parte Ill. Marchionissæ Fresni D. Isabellæ Spinola: Salvis juribus in casu mortis ejusdem Ill. Ducis D. Josephi sine filiis tam dictæ Ill. Marchionissæ Fresni, quam Ill. Comitissæ Scotti D. Theresiæ Spinola, prout de jure: Neutram partem in expensis.*

In causa Tutorum pupilli D. Cajetani, ac aliorum de Sassone cum D. Julia, D. Constantia, & D. Eufrasia Sassone, ac D. Lelio Pisani, & aliis. Die 17. Martii 1778.

Alienandi prohibitio, ut bona in familia serventur, nisi fideicommisso jam instituto inhæreat, vel ad fideicommissum, tamquam ad finem, dirigetur, fideicommissum non inducit.

ANno 1609. postrema die mensis Januarii Carolus Sassone suum condidit testamentum, quo heredem ex asse Franciscum filium instituit; Lucretiæ vero pariter filiæ ducatos bismille in causam dotis, si vero monialis efficeretur, ducatos mille quincentum reliquit; eodem deinde testamento hæc addidit: Item voluit, & legavit, *che*

S detta

detta Zeza sua legitima e naturale figlia si abbia da ponere dentro un Monistero di Monache ad bene educanda, dove abbia da stare, ed aspettare l'accasamento del detto Francesco suo legitimo e naturale e caro figlio, e fratello della detta Zeza, e fatto anche che averà figli; e caso che detto Francesco non facesse figli, o decedesse, quod absit, lassa la predetta Zeza sua legitima e naturale figlia, ch'essa sia universale, e particolare erede di tutti li beni, ragioni, ed eredità di esso Testatore, quia sic &c. Deinceps codicillis eadem die confectis, postquam quæ testamento caverat sarcta tecta remanere velle se declaravit, in hæc verba mentem suam expressit: In primis codicillando, & suos codicillos faciendo, ac dicto suo testamento addendo, legavit, & voluit, *che quandocumque ex testamento, vel ab intestato li predetti Francesco, e Lucrezia, seu Zeza Saffone suoi legitimi e naturali figli ed eredi nel detto suo testamento lasciati, morissero senza loro legitimi e naturali figli da' loro corpi legitimamente descendentino, in tali casu esso Testatore lascia, e vuole, che si diano ducati duemila alli figli mascoli del qu. Giovanni Geronimo Capasino, e della Signora Porzia Saffone sorella carnale di esso codicillante, acciò di quelli ne debbano collocare le loro sorelle, e per tale effetto si debbano ponere in deposito in pubblico Banco, con condizione, che quelli non si debbano amovere, se non per l'effetto predetto, il che s'intenda in monacarle, e maritarle: E ritrovandosi collocate, ovvero morte, vadino in beneficio di detti mascoli di detta Signora Porzia sua sorella, e qu. Gio: Geronimo, E lo più e restante di detta sua eredità vada in beneficio, e succedano, e debbiano succedere li figli legitimi e naturali secondogeniti, loro eredi e successori del Sig. Tommaso Saffone mio fratello, desiderando, che detta mia roba, ed eredità non esca dalle mani, e famiglia di casa Saffone, e che nel caso predetto di successione di detti Secondogeniti di detto Sig. Tommaso s'intenda escluse il Primoge-*

mogenito. Verum trovandosi morti detti Secondogeniti senza loro legitimi e naturali figli ed eredi e successori, in tali casu lascia, e vuole, che succeda, e debba succedere detto Primogenito, suoi eredi, e successori di detto Sig. Tommaso, con condizione, e vincolo, che succedendo li predetti figli di detto Sig. Tommaso nel modo predetto, lascia, e vuole, che non possono vendere, nè alienare cosa nessuna della mia predetta eredità, quia sic &c. Item codicillando, & suos codicillos faciendo, ac dicto suo testamento addendo legavit, & voluit, che detto Francesco mio legitimo e naturale figlio non possa nè vendere, nè alienare, nè pleggiare tanto esso, quanto suoi eredi e successori, atteso la mia volontà è stata, ed è, che dette robe di mia eredità restano, e stiano sempre nella mia famiglia di casa Saffone, e controvenendo colle pleggerie forse faciende, debbia, ed abbia da pagare allo più prossimo di casa Saffone ducati mille per causa di detta controvenzione di pleggeria, quia sic voluit, & omnino dispofuit.
Vita functo Francisco filio, atque herede instituto, relictis Carolo, Sebastiano, ac Lelio filiis, hi anno 1652. omnia, quæ ipsis ab avo nempe prædicto Carolo, vel aliunde obvenerant, inter se publico instrumento diviserunt, nulla fideicommissi facta mentione. Postmodum anno 1686. Sebastianus Lelio fratri, ac Thomæ Caroli fratris filio omnia sua bona æquali ex parte instrumento etiam donavit, annuos ducatos trigintaseptem, dum viveret, sibi reservatis: neque hic ulla fideicommissi mentio occurrit. Thomæ Vincentius filius successit, qui anno 1760. heredes instituit Constantiam, Eufrasiam, & Juliam sorores, easque inter se invicem substituit quoad usumfructum; ita tamen, ut postremo decedenti hereditas omni vinculo exempta esset perventura, eoque mortuo, dictæ Constantia, Eufrasia, ac Julia decretum præambuli ex forma testamenti obtinuerunt. Quæ cum ita essent tutores D. Cajetani filii qu. Josephi progeniti ex Cajetano seniore filio

qu.

qu. Lelii germani fratris qu. Sebastiani, & Caroli, nepotum ex filio qu. Caroli senioris, ac alii de Saffone in S.R.C. exposuerunt, die 8. mensis Octobris 1760. D. Vincentium Saffone eorum agnatum, nullis relictis filiis, nec descendentibus diem obiisse supremum, extraneis heredibus institutis super bonis burgensaticis, ac feudalibus; quapropter petierunt declarari bona prædicta ipsis spectare vigore fideicommissi, ac jure feudali, nulla habita ratione testamenti prædicti. Cumque opposuissent D. Constantia, & sorores de Saffone heredes dicti qu. Vincentii, bona prædicta esse libera, nulloque fideicommisso subjecta, fuit super hinc inde deductis, & prætensis impartitus terminus ordinarius; quo absoluto, relata causa ad S.R.C., cum inter pares numero Judices dissonæ sententiæ fuerint prolatæ, ad paritatem dirimendam, superadditi fuerunt Regii Consiliarii D. Stephanus Patritius, nunc Aulæ Præfectus, D. Dominicus Potenza, & D. Nilus Malena, & relata denuo causa ad dictum S.R.C., D. Cajetanus, aliique de Saffone hisce argumentis fideicommissum ostendere posse existimabant adscendens, cum omnem prorsus alienationem vetuisset, ut bona semper in familia conservarentur, satis fideicommissi instituendi animum patefecisse, quod ex *L. Peto §. fratre de leg.* 2. posse confirmari, contendebant, cum eam legem ad fideicommissum absolutum restitutorium extendi debere ex plurium Doctorum sententia existimarent. Parte vero ex altera sorores de Saffone, heredes testamento qu. Vincentii institutæ, nullum fideicommissi specimen in Caroli testamento reperiri affirmabant; quandoquidem hic, instituto herede Francisco filio, si hic sine filiis decessisset, hereditatem Lucretiæ deferri jussit; cum vero Franciscus, susceptis liberis diem suum obiisset, substitutionem prorsus evanuisse ajebant; quoniam defecit conditio, sub qua fuit restitutio bonorum ordinata, juxta Marc. in *L. filiusfam. §. Cum quis de leg.* 1., *& L.* 10. *C. de condit. insert.*: & evane-

nescente prima substitutione, omnes post primam subordinatæ corruunt, juxta *L. Cum in testam.* §. 1. *de hered. instit.* Codicillis sane eadem die confectis idem Carolus adjecit, ut deficiente absque liberis legitimis, ac naturalibus testato, vel intestato Francisco herede instituto, ac Lucretia substituta, deductis ducatis bismille, quos filiis Hieronymi Capasino, & Portiæ Saffone legavit, quod ex hereditate supererat filiis Secundogenitis Thomæ, quem fratrem vocavit, iisque deficientibus absque liberis, Primogenito ejusdem Thomæ deferretur, addita prohibitione alienandi, ut bona in familia Saffone conservarentur; prætereaque iisdem codicillis vetuit, ne unquam Franciscus primus heres, neque ejus heredes, & successores hereditatis bona alienare, vel fidejussioni, aut hypothecæ submittere possent, eandem ob causam, ne scilicet bona prædicta de familia egrederentur. Nihilo tamen minus S. C. censet, ut communis est Doctorum sententia, ex nuda alienandi prohibitione fideicommissum non probari, nisi cum fideicommisso jam instituto prohibitio inhæreat, aut cum ex verbis testamenti mens testatoris ea fuisse videatur, ut prohibitio ad fideicommissum tanquam ad finem dirigatur. Id vero ex testamento, ac codicillis Caroli Saffone minime eruitur; namque etsi Francisco primo heredi alienationem interdixisset, nullum tamen, aut ejus filiis, aut Lucretiæ substitutæ, ejusque filiis onus imposuit; heredemque institutum, ac substitutam, hereditatem restituere successive vocatis, eo tantum casu jussit, si uterque sine liberis decessisset; qua de re liberis existentibus, utpote conditione deficiente, omnis alienandi prohibitio corruebat. Neque ad hanc quæstionem *L. Peto §. fratre de legat.* 2. aptari potest. Legis verba hæc sunt: *Fratre herede instituto, petiit ne domus alienaretur, sed ut in familia relinqueretur: Si non paruerit heres voluntati, sed domum alienaverit, vel extero herede instituto decesserit, omnes fideicommissum petent, qui in familia fuerunt.* In hac lege occurrit

currit, testatorem additis fideicommissi; scilicet precariis verbis, ea formula, ut in familia relinqueretur, ultimas voluntates innuisse, ac verbis absolutis, & quæ nullam conditionem adjectam haberent usum fuisse: qua de re recte Jurisconsultus agi hic de fideicommisso respondit. Fallit id sane in proposita facti specie, ubi Carolus Sassone actus tantummodo, qui inter viventes eveniunt, expressit, addita insuper, quod maximum est, conditione, si sine liberis heres decessisset, itaut certo certius videatur conditione defecta, ea omnia, quæ ad illius eventum referri debebant, corruisse. Quoniam vero nuper exposita lex de absoluto fideicommisso, testamentum Caroli Sassone de fideicommisso sub conditione loquitur; idcirco ad quæstionem nullimode accommodari potest. Bene tamen accommodatur *L. pater filium §. fundum de leg.* 3., cujus hæc sunt verba: *Fundum Titianum filio, quoad viveret, vetuit venundari, donari, pignorari; & hæc verba adjecit, quod si adversus voluntatem meam facere voluerit, fundum Titianum ad fiscum pertinere; ita enim fiat, ut fundus Titianus de nomine vestro nunquam exeat; quæsitum est, cum vivus filius eum fundum secundum voluntatem patris retinuerit, an defuncto eo non ad heredes scriptos a filio, sed ad eos, qui de familia sunt pertineat. Respondi hoc ex voluntate defuncti colligi posse, filium quoad viveret alienare, vel pignorare non posse, testamenti autem factionem, & in eo fundo extraneos etiam heredes habiturum*: Hæc lex eadem promodum verba, quæ testamentum Caroli Sassone continet, scilicet venundari, donari, pignorari, cam quoque ob causam, ut fundus de nomine testatoris nunquam exiret; nihilominus his verbis J.C. filio testamenti factionem ademptam non fuisse censuit. Itaque ex verbis illis *de nomine vestro nunquam exeat*, quæ correspondent formulæ, qua Carolus Sassone usus fuit, videlicet: *Stiano sempre nella mia famiglia di casa Sassone*, fideicommissum necessario adstruere non oportuit. Id tamen negotium facesse-

cessere videtur, quod Carolus Saffone addidit heredum, ac successorum mentionem, cum alienationem vetuit; sed hoc ad casus specialiter propositos referendum esse, neque ultra personas, & casus expressos extendi, atque ampliari, ex iis, quæ supra satis abunde dicta sunt, apparet, quod comprobatur argumento *L. quæ conditio ff. de cond. & demonstr.*, *L. quid si nepotes de testam. tutel.*, *Instit. lib. 1.*, *qui testamento tutores dare possunt §. fin.* His itaque, aliisque argumentis S.C. adducitur, ut credat, nullum in proposita specie fideicommissum adesse, remque in simplici substitutione pro Lucretia, si Franciscus sine liberis decessisset, consistere. Addendum insuper est Carolum testatorem, nec familiæ, nec agnationi perspectum voluisse, cum de filiis Francisco, & Lucretia sermonem instituit, mentemque Testatoris hoc pacto ejus filios accepisse, ut nunquam in ejus familia hercifcunda fideicommissi ullam rationem habuissent. Quidtum? Posito etiam fideicommisso, ut Cajetanus, aliique de Saffone contendunt, cum hoc ex alienandi prohibitione ortum haberet, non ultra quartum gradum extendi deberet ex *Nov.159. de restit. fideic.*; proinde ad dictos fratres de Saffone non pertineret, quandoquidem hi quinto a Testatore gradu distant. Addendum denique, quod si res non esset clara, sed difficultatem pati posset, in dubio contra fideicommissum, & pro libertate bonorum esset respondendum, *argum. L. si fuerit*, *L. sed si alio de reb. dub. L. Inter pares*, *L. de re judic. L. alteris C. de servit.* Eapropter

Referente Regio Consiliario Caruso,

S.C. ita pronunciandum censuit: *Reos conventos absolvendos esse ab impetitis pro parte D.Cajetani, & aliorum de Saffone, respectu prætensi fideicommissi. Neutram partem in expensis.*

U.J.D. Marcus Antonius Quaranta Act.Mag. — Christophorus de Mase Scriba.

In-

In causa Nicolai, Thomæ, Januarii, & Dominici Morra cum filiis, & heredibus Agnelli Morra, & Josepho Aprea. Die 28. Martii 1778.

ANno 1692. publico mediante instrumento, Venerabile Monasterium Magdalenæ hujus Civitatis in emphyteusim perpetuam dedit Dominico Morra quoddam territorium, statuto canone annuorum ducatorum triginta unius, aliisque præstationibus, salvo tamen assensu a Sede Apostolica impetrando; anno vero 1736. alio instrumento dictus Dominicus Morra, ob canones per plurimos annos non solutos prædicto Monasterio, eidem retrocessit dictum territorium, quod, ipsomet instrumento, dictum Monasterium in aliam emphyteusim perpetuam concessit Agnello Morra filio dicti Dominici pro annuo canone ducatorum triginta, salvo etiam, ut supra, assensu impetrando; dein cum in mense Februarii anni 1770. prædictus Agnellus emponemata, seu meliorationes in dicto territorio factas una cum jure emphyteutico vendidisset Josepho Aprea, institerunt eodem anno in S. C. Christophorus, & Nicolaus Morra filius, & nepos respective dicti Dominici pro declaratione nullitatis tam dictæ retrocessionis, ac novæ censuationis præfati territorii, quam venditionis prædictæ, petentes relaxationem in eorum beneficium ejusdem territorii, una cum dictis melioramentis, ac fructibus perceptis a dicto Agnello, ejusque filiis; nam deduxerunt, quod prædicta emphyteutica concessio, cum esset ex pacto & providentia, non poterat a dicto Dominico destrui in eorum beneficium tanquam expresse vocatorum; tanto magis, quia assertio canonum non solutorum in dicto instrumento retrocessionis facta ab eodem Dominico fuit simulata, ac animo tantum ipsos actores fraudandi. Super his dato termino ordinario, illoque compilato, ac tribus testibus pro parte Actorum examinatis de auditu incongrua deponentibus; cum de causa actum sit, S. C. verba dictæ

In emphyteusi ex pacto & providentia, non ambigitur, primum adquirentem disponere posse, etiam in præjudicium filiorum; præsertim cum in beneficium unius ex filiis disponat.

primæ concessionis perpendens, dispositionem ex pacto, & providentia filios, ac descendentes dicti Dominici censuarii prospicientem non invenit; nam censuatio simpliciter concipitur sub verbo in perpetuum, quod vocationem descendentiæ ex propriis personis denotare neutiquam potest: imo etiamsi denotasset, certum est in jure, quod de emphyteusi etiamsi ex pacto, & providentia, primus acquirens disponere potest in præjudicium etiam suorum filiorum, & tanto magis quando disposuit in beneficium unius ex filiis, ut in casu præsenti, argumento textus in *L. primi ex fam. §. si falcid., & §. sed si unus ff. de leg. L. pater filium §. 15. ff. de leg.* 3. Nec morandum super dictis testium deponentium circa simulationem dictæ retrocessionis, ac meglioramenta, quæ facta dicuntur a dicto Dominico; nam præter probationis defectum, considerandum est, dictæ retrocessioni, ac novæ censuationi factæ in anno 1736. qu. Antonium Morra filium Dominici, ac patrem actoris Nicolai, in instrumento prædicto de anno 1736. intervenientem, consensum præstitisse; ac proinde filius Nicolaus frustra de actis per patrem queri videtur. Quod attinet ad Christophorum, ejusque filios ac heredes, pro his causa jam acta est; nam publico instrumento de die 28. elapsi mensis Februarii iidem suis juribus, ac prætensis in hac causa renunciaverunt favore Josephi Aprea, & filiorum qu. Agnelli Morra. Hinc S. C. visis supplicatione, instrumento diei 9. Novembris 1697., aliis instrumentis dierum 15. Maii 1736., 17. Februarii 1770., & 22. Februarii currentis anni 1778., ac omnibus actis;

Referente Regio Consiliario Avena,

S. C. sequentem protulit sententiam: *Josephum Aprea, necnon Nicolaum, Josephum & Carminum Morra filios, & heredes qu. Agnelli absolvendos esse ab impetitis pro parte Nicolai, Thomæ, Januarii, & Dominici Morra: Salva provisione facienda respectu expensarum litis.*

Bernardus Priscolus Scriba.

In

In causa Serenissimorum heredum qu. Principis Philippi Langravii de Hassia Darmstadt, cum Ill.Duce Laurentianæ D. Josepho Antonio Gaetani, ut ex actis, Die 24. Januarii 1778.

Beneficium Authenticæ *Res, quæ*, personale mulieris censendum est.

Actionem jamdiu motam nomine Serenissimorum Langraviorum Darmstadt, contra Ill.Ducem Laurentianæ, ex juribus Serenissimi qu. Principis Philippi Langravii de Hassia Darmstadt, Serenissimæ Langraviæ de Hassia Darmstadt prosequutæ sunt ad satisfactionem consequendam, super bonis fideicommissis, & ab eodem Ill. Duce possessis, scilicet ducatorum 10000. solutorum in partem dotis qu. Ill. Comitis Allipharum Magdalenæ de Croy, vigore pacti reversivi in tabulis nuptialibus adpositi, una cum interusurio decurso a die mortis dictæ de Croy, & quantitatum decursarum usque ad diem obitus ejusdem Comitis Magdalenæ, ex causa annuorum ducatorum 4000. eidem promissorum.

In hujusmodi quantitatum discussione, sive petita admissione super bonis fideicommissis, S.C. die 28. Januarii anni 1766. decrevit, quoad creditum ducatorum 10000. ut intra quatuor dies Partes audiantur, depositis interim quolibet anno ab Ill. Duce Laurentianæ ducatis 400.; quo vero ad creditum alterum, conflatum ex annuis ducatis 4000. eidem Ill. Comiti Magdalenæ de Croy, quoad vixerit, promissis, non esse locum petitis. At productis per Ill. Ducem Laurentianæ nullitatibus, & per Serenissimos Actores reclamatione, hac rejecta, nullitates obstare, quoad depositum, die 15. mensis Junii 1771. S.C. decrevit.

Termino deinde expleto, Partium precibus Regi oblatis, ac causa ex Regali Rescripto ad compromissum redacta, Arbiter electus existimavit, *condemnandum esse Ill. Ducem Laurentianæ D. Josephum Antonium Gaetani ad solvendum super bonis fideicommissis subjectis ducatos decemmille, solutos in computum dotium qu. Ill. D. Magda-*

 lenæ,

lenæ, *a die retardatæ solutionis*, *una cum interesse ad rationem quatuor pro centenario*, *opposita compensatione*, *cum quantitatibus perceptis ex causa supraviventiæ*, *non obstante: pro reliquis vero ducatis* 48000. *prætensis ex causa dictæ supraviventiæ absolvendum esse Ill. Ducem Laurentianæ ab impetitis super bonis fideicommissis subjectis*; nullitatibus vero adversus laudum nomine ejusdem Ill. Ducis productis, per S. R. M. Regali Diplomate S. C. mandatum est, nullitatum prædictarum discussionem expedire.

Qua de re inspectis omnibus jam per Arbitrum perpensis, ac S. R. M. expositis,

Referente Regio Cons. Boraggine, cum interventu Ill. Marchionis Pensabene, ac Ill. Marchionis Avena, & Consiliariorum Vespoli, & Guidotti adjunctorum,

ita S. R. C. censet: *Nullitates obstare*; *ac proinde S. R. C. declarat*, *Ill. Ducem Laurentianæ non esse molestandum super bonis fideicommissis pro restitutione ducatorum* 10000. *solutorum in computum dotium qu. Ill. Comitis D. Mariæ Magdalenæ de Croy*, *& eorum interusurii*, *prætensa a Serenissimis heredibus Principis Philippi Langravii de Hassia Darmstadt*.

Et respectu ducatorum 48000. *prætensorum causa annuæ corresponsionis debitæ in beneficium supradictæ qu. Comitis de Croy*, *cum effectu exequantur decreta S. R. C. diei* 28. *mensis Januarii* 1766., *& diei* 15. *mensis Junii* 1771.

Hanc sententiam juris, & facti argumenta tuentur. Agitur nempe super bonis fideicommissis de reddenda dotis parte soluta: sed nec ipsa mulier dotata agit, neque de ipsa agitur dote. Beneficium quippe, sive privilegium, uti vocant, *Authenticæ Res quæ Cod. comm. de legat.*, sive *Novellæ Constitutionis de restitutionibus XXXIX.* mulieribus datum est, & ut Justinianus ait, *nuptialibus donationibus*, *& harum actionibus*. Sic enim exigit nuptiarum favor, sine quibus justa sobolis procreatio consistere nequit, & *publice interest*, *dotes mulieribus conservari*, *dotatasque esse fœminas ad sobolem procreandam*, *replendamque*

que liberis Civitatem , *L.* 1. *ff. solut. matrim.* Non vero ad quoscumque hujuscemodi privilegium transmitti , traducique lex finit, personamque mulieris respicere vel ipsa lex, quæ privilegium dicit, demonstrat. In extraneo dotante neque favor legis, neque finis adest; & *legis ratione cessante*, *ipsa lex cessare videtur*. *L.* 1. *in princ. C. de caduc. toll.*; imo post mulieris mortem, nullis extantibus liberis, dos amplius adesse nequit, & crediti potius actione vigore pacti agi oportet. Sic pariter tacita hypotheca, cujus ope mulier ceteris viri creditoribus, etiam anterioribus, tacitam quoque hypothecam habentibus, præfertur, singulariter ipsius mulieris favore constituta reperitur: Ait enim Justinianus: *Cujus* (*mulieris scilicet*) *sola providentia hoc induximus*, *L. assiduis* 12. *Cod. qui potior. in pign.* Clarius vero privilegium *Auth. Res quæ* soli mulieri datum demonstratur ex *novella Justiniani Constit. LXI. Ut immobilia ante nuptialis donationis &c.*, quippe quæ conscripta die prima Decembris anni 537. posterior est *Nov. XXXIX. de restitut.*, unde desumpta *Auth. Res quæ*, quæ die prima Januarii ejusdem anni legitur prolata: In ea *Nov. Constit. LXI.* aperte sancitur: *Omnibus privilegiis jam doti datis a nobis in sua firmitate manentibus*, *quando mulier moverit*; *aliis enim omnibus*, *præter mulierem*, *hujusmodi privilegia nec ex antiquo dedimus*, *neque nunc damus*. Hujus igitur legis sanctione omnia privilegia, nullis exceptis, jam doti data fuisse evincitur, si mulier ipsa moverit, non aliis quibuslibet, præter mulierem. Quod quidem jampridem constitutum fuerat in jure, *Severi*, *& Antonini rescripto*, quo cautum est, *dotis privilegium*, *quo mulieres utuntur in actione de dote*, *ad heredem non transire*. *L. un. C. de privileg. dot.* Hinc Justinianus quoque *Nov. XCI.*, ex qua sumpta *Auth. si quid C. qui pot. in pign.*, prælatis filiis primæ uxoris in concursu filiorum secundæ, tamquam filiis, non autem uti heredibus, addidit : *Non enim aliis dedimus dudum*, *aut damus hoc pri-*

privilegium, *aut heredibus*, *aut creditoribus*, *sed solis filiis*. Imo insuper in præcitata *L. assiduis*, filiis, uti personam matris præsceferentibus, jus tacitæ hypothecæ exercere datum est, contra novercam, sive uxorem secundam, non aliter quam juris fictione, *quasi adhuc vivente matre eorum*: Igitur privilegium mulieris de dote agentis personale semper habitum fuisse apertissime dignoscitur.

Et quamvis nonnulli ex Fori scriptoribus, qui in laudo describuntur, hujusmodi privilegium mulieris heredibus, vel cessionariis transmitti existimaverint; id tamen in specie, in qua versamur, nullimode procedit, quia deficit iis, qui super fideicommissis ex privilegio *Auth. Res quæ* actionem instituerunt, qualitas heredum, vel cessionariorum, quæ in laudo ex errore facti ipsis tributa conspicitur.

His juris rationibus, in causa, de qua agitur, non levis accedit facti circumstantia. Poterat nimirum qu. Ill. Comes Magdalena de Croy, defuncto viro, de dote agere super bonis Ill. Ducis D. Nicolai Gaetani: At instrumento anni 1712., dotis repetitione posthabita, ipsimet Comiti Magdalenæ, non inscio Principe Langravio Philippo dotante, potius placuit, sibi præstationem constitui annuorum ducatorum 4000., pro quorum solutione, in cursu vitæ ipsius Magdalenæ, complurimæ pecuniarum quantitates ex bonis liberis detractæ fuerunt. Id autem si locus nunc esset *Auth. Res quæ*, ob deficientiam liberorum bonorum, in eversionem cederet fideicommissorum, & in damnum vocatorum, & jura non patiuntur, alteri per alterum iniquam conditionem inferri: *L. 74. ff. de reg. jur.*

Quo vero ad creditum decursum ex annuis ducatis 4000., in laudo statutum fuit: *absolvendum esse Ill. Ducem Laurentianæ, ab impetitis super bonis fideicommissis, prætensa obligatione nomine proprio ejusdem Ducis non obstante*. Idque hisce rationum momentis fulcitur. Deficit nem-

nempe Ill. Ducis obligatio nomine proprio. Ejusdem balia ac tutrix instrumento anni 1741. se obligavit. Postmodum vero ex spectantia fideicommissorum, causa possessionis mutata, neque tacita, neque expressa unquam ratihabitio intercessit ipsius Ill. Ducis, utpote qui priusquam ad majorem veniret ætatem, Clementissimi Regis providentia, Administratorem, & uti vocant *Superintendentem* meruit. Ulterius duplici, parique S. C. decreto in via executiva prolato, nulloque juris remedio interposito, creditum prædictum super bonis fideicommissis admitti non deberi, extat declaratum. Nec certe adversus laudi caput, quo Dux Laurentianæ absolvitur, ullum juris remedium fuit unquam productum. Quamvis autem ante causæ decisionem fuerit petitum provideri, saltem termini impertitione, super credito prædicto, in via executiva non admisso; nihilominus locum hujusmodi petitioni non esse, S. C. visum est, termino ipso ejusdem decisionibus jamdudum plus vice simplici denegato. Quod si actores ad obligationem nomine proprio qu. Ill. Ducis D. Nicolai revertantur, ipsis experiri potestas erit, vigore eorumdem decretorum, quibus fuerunt servata jura, si quæ ad eos pertinerent super bonis prædicti qu. Ill. Ducis D. Nicolai. Hinc recte, quoad creditum prædictum, bina uniformia decreta executioni esse demandanda S. C. censet.

Basilius Basile Act. Mag. — Sant' Elia Scriba.

In causa Ill. Ducis Oratini, ac fratrum de Antilia cum sororibus de Centomani, & D. Josepho Grasso. Die . . . mensis . . . . 1778.

ANNO 1752. Ill. Dux Oratini D. Antonius Jordanus vendidit quamdam suam domum, Asculi positam, D. Michaeli Angelo, & D. Francisco Centomani ejusdem Civitatis pro pretio a Peritis per eosdem emptores electis æstimato ducatorum 1100. Et cum emptores prædicti paratam non haberent pecuniam, habita fide de pretio, se pen-

Cessio actionum, quæ probabile dubium excludunt, nec modico, nec vili pretio facta, interdicto legis obnoxia non est.

pendente solutione quandocumque facienda, solvere quotannis venditori promiserunt ducatos 55. ad rationem duc. quinque in singulis centum, reservato venditori dominio domus, donec omnino ipsi solverentur ducati 1100. in tot ratis portionibus, non minus ducatis 300. qualibet vice persolvendis. Utque emptores solutioni præsto essent, cautum fuit, quod si exacte fœnus statuto tempore præstarent, ex fœnore convento annuorum ducatorum 55. venditor eisdem remitteret singulis annis ducatos decem; & sic si sortem tribus vicibus exacte persolverent, ex sorte ipsa aureorum 1100. ducatos 200. quoque remitteret. Secus si solutionem morarentur, atque ansam venditori præberent illos in judicio persequendi, hujusmodi beneficio minime gauderent; imo quantitates omnes, quæ illis exactæ solutionis causa fuerint remissæ, solvere tenerentur. Postremo pactum rescissorium fuit conventum, nempe ut si emptores, eorumque heredes & successores per annum unum & mensem unum a solutione deficerent, vel denique in casu venditionis dictæ domus in totum, sive in partem, statim, omnique mora postposita, solvere emptori, ejusque heredibus & successoribus tenerentur prædictos ducatos 1100., omnesque quantitates ex causa annui fœnoris ducatorum 55. non solutas.

Expleto hoc modo contractu, ac in instrumento redacto, emptores de Centomani per aliquot annos exacte fœnus conventum persolverunt, obtenta a venditore remissione quotannis ducatorum decem. Cumque postea anno 1759. a solutione deficerent, Ill. Dux Oratini D. Joseph Jordanus, Ducis D. Antonii jam defuncti filius atque heres, institit in S. C. contra D. Mariannam, & D. Theresiam sorores de Centomani, filias & sorores respective prædictorum D. Michaelis Angeli, & D. Francisci, pro rescissione contractus, ac solutione tam integræ sortis, quam fœnoris non soluti. Dicta die ordinaria in causa, eaque per utramque partem jam composita, die 28. mensis Augusti

gusti 1770. Ill. Dux Oratini cessit, atque in solutum dedit D. Francisco, & D. Potito fratribus de Autilia creditum prædictum pro convento & soluto pretio ducatorum mille, ut ex instrumento in actis præsentato.

Hinc quum cessionarii fratres de Autilia pro expeditione judicii instarent, die 12. mensis Julii præteriti anni 1777. reæ conventæ domum, de qua agitur, pro ducatis 1174. & assibus 20. Notario Josepho Grasso ejusdem Civitatis Asculi vendiderunt; quique deponere promisit penes acta S. R. C. ducatos 274. pro satisfactione fœnorum per easdem sorores de Centomani non solutorum; & reliquos ducatos 900. pro integro pretio domus eidem venditæ persolvere quandocumque in tribus vicibus: qua solutione pendente, correspondere spopondit prædictis sororibus de Centomani fœnus ad rationem ducatorum quinque pro singulis centum.

His itaque inspectis, & omnibus actis, S. C. pronunciavit: *Rescisso contractu, D. Theresiam, & D. Mariannam sorores de Centomani, nomine ut ex actis, esse condemnandas ad solvendum in beneficium D. Francisci, & D. Potiti fratrum de Autilia, uti cessionariorum Ill. Ducis Oratini D. Josephi Jordani ducatos 1100. sortis pro integro pretio domus anno 1752. venditæ qu. D. Michaeli Angelo, & D. Francisco Centomani, una cum interesse, ad rationem ducatorum quinque in singulis centum a die retardatæ solutionis, per Scribam causæ partibus requisitis calculando; & tam pro sorte, quam pro interesse prædicto, in casu assistentiæ hanc sententiam esse exequendam adversus Notarium D. Josephum Grasso emptorem ac possessorem domus prædictæ. Neutram partem in expensis.*

Quum sorores de Centomani non modo ab usurarum solutione defecerint, verum etiam domum in judicio jam deductam, & litis vitio affectam vendiderint: Quumque hisce casibus peculiari pacto cautum fuerit, illas teneri ad solutionem integri pretii ducatorum 1100., atque ad primo loco conventam usurarum præstationem, nempe an-

nuerum ducatorum 55. , non a die cessationis tantum , imo a die commissæ stipulationis ; recte idcirco censuit S. R. C. rescisso contractu ex §. 1. n. 26. Regiæ Constitutionis anni 1738. damnandas esse reas conventas ad solvendam integram sortem , atque integras usuras , non a die tamen commissæ stipulationis , sed a die cessationis tantummodo ex *L.* 17. *de usuris*: Legibus quidem *Per diversas*, & *Ab Anastasio C. mandati* , quæ in contrarium proponebantur , huic speciei non adversantibus . Istarum quippe Legum (prout ex illarum proemio satis liquet) mens , & finis est eorum iniquitati occurrere , qui viliori pretio ambiguas, annosasque lites redimentes, atque alienis fortunis inhiantes , cessiones actionum, aliis competentium , in semetipsos properantur : hocque modo diversis litigantium personas vexationibus afficiunt. Non recte ergo quis dixerit, Imperatores sapientissimos sub eorum legibus comprehendere , qui jura , & actiones nullam probabilem dubitationem habentes (prout in specie de qua hic agitur) justis ex causis, accepto non modico, neque viliori pretio , distrahunt . Cessante igitur ratione legis , cessat & ipsa lex , *L.* 33. *de pact.*. Quod vel clare patet nedum ex mente, verum ex hisce Anastasianæ legis verbis: *Cum certum sit , pro indubitatis obligationibus eos magis , quibus antea suppetebant jura sua vindicare , quam ad alios transferre velle*. Ex quibus quidem verbis palam fit , Anastasium Imperatorem noluisse in sua Constitutione jurium certorum , actionumque minime dubiarum cessiones comprehendere: quod ex rerum judicatarum exemplo , atque authoritate comprobari dignoscitur , quas vim legis obtinere, Imperatores ipsi rescripserunt *L.* 9. *&* 38. *de legib.*

Censuit quoque S.C. in casu adsistentiæ suam exequendam esse sententiam contra Notarium D. Josephum Grassi, uti emptorem possessoremque domus jam vitio litis affectæ, ex Const. *Eorum fraudibus, tit.* 45. *de alien. rebus in judic. deduct.*, & ex Cap. *Conventus, tit. de conven. qui alien. possid.*

Joseph Nardacci Scriba.

In

In causa Universitatis Terræ Valvæ, & Ill. Marchionis ejusdem Terræ, cum Rev. Archipresbytero, & Clero Terræ prædictæ, aliisque, ut ex actis. Die 7. mensis Februarii 1778.

Referente Regio Consiliario Boroggine,

S. R. C. visis actis, pronunciavit: *Cappellas sub titulis S. Mariæ Angelorum, & S. Mariæ Lauretanæ, sitas in Terra Valvæ, fuisse & esse de jure patronatus Ill. Marchionis utilis possessoris ejusdem Terræ; ac proinde eumdem Ill. Marchionem esse reintegrandum in possessione juris patronatus prædicti, oppositis per Rev. Clerum, & Seminarium non obstantibus. Et respectu Cappellæ sub titulo Divi Antonii, partes plenius informent.* Juspatronatus recte probatur indiciis, ex quibus fundatio, vel dotatio Ecclesiæ argui potest.

Insuper, aliam Cappellam sub titulo S. Mariæ Gratiarum fuisse & esse de jure patronatus tam prædicti Ill. Marchionis, quam Universitatis dictæ Terræ; ac proinde eosdem esse pariter reintegrandos in possessione dicti juris patronatus, oppositis per Rev. Clerum non obstantibus.

Denique Ecclesiam Parochialem sub titulo S. Jacobi fuisse & esse de jure patronatus Universitatis, quoad jus nominandi Parochum, adprobandum per Ordinarium loci; & alias Cappellas sub titulis SS. Rosarii, & S. Mariæ del Piano, similiter fuisse & esse de jure patronatus ejusdem Universitatis, ideoque eamdem esse reintegrandam in possessione juris patronatus prædicti, oppositis per dictos Rev. Clerum, & Seminarium non obstantibus.

Quo vero ad aliam Cappellam sub titulo Divi Blasii, Rev. Archipresbyter dictæ Terræ absolvatur ab impetitis ab Universitate prædicta. Nihil pro expensis.

Sicuti enim proprietatis dominium non tantum instrumento emptionis, sed & quibuscumque aliis probationibus ostenditur, *L. 4. C. de probat.*; ita patronatus præsertim Ecclesiarum laicalium, non solum instrumento fundationis, constructionis, & dotationis, verum etiam quibusvis aliis indi-

indiciis, & probationibus, quibus de fundatione, constructione, & dotatione constat, demonstratur, *Can. filiis 16. qu.7. Cap. Nobis 25. de jure patron., & Nov. 17. cap. ult.* Inter has præcipuum sibi vindicant locum nominis Patroni inscriptio, imagines, & tituli, quibus stemmata familiarum, & *listræ*, ut loquuntur, successerunt: & exploratum est, vetustissimum fuisse institutum, quo domini suis prædiis titulos adfigebant; quod dominii monumentum alio quocumque certius habitum fuisse non ambigitur, *L. 2. & ult. ff. de operibus publ.*, & *toto tit. C. ut nemo privatus titulos prædiis suis, vel alicujus imponat*. Hoc probationis genus utpote magis firmum ac durabile, præ ceteris, a jure probatur; quia scilicet monumenta publica potiora testibus esse, extra omnem dubitationis sententiam est. Quapropter perpetuo decisum conspicitur, inscriptiones, & stemmata familiarum Ecclesiis adfixa, vel insculpta luculenter fundationem, & jus patronatus probare. Nec minoris æstimanda videtur ea probatio, quæ ex antiquis codicibus, sive (ut ajunt) *quinterniis* Visitationum eruitur, in quibus status Ecclesiarum describitur; idque præsertim ubi agatur contra Episcopum, aliasque Ecclesiasticas personas, vel Communitates; quia codex ille ex officio ab ipsismet conscriptus contra confitentes plenissime probat, *L. ult. C. de confessis*. Præterea firmatur patronatus etiam per famam publicam, potissimum antiquiorem, & recte probatam, ac pariter per alia argumenta, quæ depromuntur ex veteribus adsertionibus, præsertim eorum, quorum interest, ac loquentium de re sibimetipsis præjudiciali, quibus ideo maxima fides est adhibenda, *d.L.ult. C.de confess.* Et tandem probatur jus patronatus per conjecturas, & adminicula, quæ in hujusmodi controversiis magis magisque valent, ubi adversus Ecclesiasticas personas exagitantur: Omnia enim Beneficia, Ecclesiæ, & Cappellæ non solum præsumuntur laicalia, verum etiam habere patronos, fundatores, aut dotantes laicos; quia scilicet non oriuntur

ex

ex seipsis, sed a laicorum pietate plerumque proficiscuntur. Hinc laici ut plurimum habendi sunt Ecclesiarum fundatores, & Ecclesiæ, Cappellæ, & Beneficia nunquam præsumuntur Ecclesiastica, nisi aperte pateat de fundatione, & de erectione, uti appellant, in titulum, prout Regalibus Rescriptis dierum 16. Octobris 1753., 18. Februarii 1771., aliisque sancitum est.

Hisce præmissis, cum pateat, Cappellam S. Mariæ Lauretanæ fuisse constructam, atque dotatam anno 1621. a Thoma, Dominico, Jo: Baptista, & Jo: Jacobo fratribus de Calace, eosque sibi, & suis heredibus jus patronatus reservasse, ac etiam Lucretiam Calace fuisse ultimam de familia, & ejus filios Joannem, Franciscum, & Jo: Jacobum Vacca heredes prædictorum de Calace die 8. mensis Februarii 1721. cum assensu Episcopi donasse jus patronatus prædictum Grandaleoni Valva, cujus est heres hodiernus Ill. Marchio; idcirco Cappellam prædictam fuisse & esse de jure patronatus Ill. Marchionis Terræ Valvæ vigore prædictorum instrumentorum dotationis, & donationis, S. C. censet.

Et quoad aliam Cappellam S. Mariæ Angelorum, quamvis non adsit instrumentum fundationis, vel dotationis, constat tamen ex codicibus Visitationum de annis 1563. & 1577. & seqq., ac etiam ex fama publica, ipsam pertinere ad Ill. Marchionem dictæ Terræ, & ex antiqua quadam inscriptione liquet, eandem anno 1425. fuisse fundatam a Baronissa Elisabetha Terræ Valvæ; ideoque patronatum dictæ Cappellæ eidem Ill. Marchioni addicendum S. C. declarat.

Cappellam insuper Divæ Mariæ Gratiarum constat ex Bulla fundationis fuisse constructam a Barone, & Universitate dictæ Terræ anno 1591. ad usum Cœnobii Fratrum Carmelitarum, quo postmodum abolito, administratio redditurum ipsius a laicis Procuratoribus suscepta, gestaque fuit usque ad annum 1742., ac proinde optimo jure fundato-

datores prædicti eam fibi vindicant, *Can. filiis 16. qu. 7. Cap. nobis 25. de jure patron.*

Quo vero ad Ecclefiam Parochialem Divi Jacobi liquet, eam a fundamentis fuiffe inftauratam fumptibus Univerfitatis, & ex redditibus aliæ Cappellæ SS. Corporis Chrifti de jure patronatus ipfius Univerfitatis, eamdemque ufque præftitiffe, ac etiam in præfentiarum præftare omnia confervationi, cultui, ac minifterio prædictæ Ecclefiæ neceffaria. Codex infuper Vifitationum, & ftemmata Univerfitatis in parietibus ejufdem Ecclefiæ infculpta, eam fuiffe & effe de jure patronatus ipfius Univerfitatis pleniffime teftantur. Et quum in comperto fit jus patronatus adquiri non folum ædificatione, & fundatione (quæ in fpecie Parochialis Ecclefiæ, de qua agitur, vehementiori juris minifterio pro Parochianis præfumuntur) verum etiam reædificatione collapfæ Ecclefiæ, *Cap. 1. lib. 3. Decret. de jure patron.*, ac pariter redotatione, *dicto Can. filiis*, fequitur jus nominandi Parochum, feu Archipresbyterum fpectaviffe & fpectare ad Univerfitatem prædictam; quia fcilicet Sacri Canones foli Patrono jus, & honorem præfentationis tribuerunt.

Patet infuper, Cappellas SS. Rofarii, & Divæ Mariæ del Piano pariter effe de jure patronatus Univerfitatis ex iifdem antiquis codicibus Vifitationum, ex actis Curiæ Archiepifcopalis Civitatis Confæ, ex inventario anni 1588, ex actis Cancellariæ Regalis jurifdictionis de anno 1710, & ex fama publica.

De alia autem Cappella fub titulo Divi Antonii, rem altiorem expofcere indaginem; ficuti & pro alia Divi Blafii, quoniam deficiunt probationes, Rev. Archipresbyterum effe abfolvendum, S. C. cenfet, *L. 4. C. de eden. L. 8. C. de probat.*

U. J. D. Marcus Antonius Quaranta Act. Mag.

In

In causa fratrum de Frigeriis cum fratribus de Mena, & D. Vincentia de Judice. Die 7. Maii 1778.

D. Fabritius Frigerius senior Comensis, translatis laribus suis ad Civitatem Theatinam, duxit ibi in uxorem nobilem mulierem Angelam Valignani; suscepitque ex ea filios Dominicum Antonium, & Blancam, nuptam D. Stephano Marchio anno 1695., recepta dote ducatorum 3000., interposita postea renunciatione facta patri dotanti omnium feudalium bonorum, & burgensaticorum. Anno 1700. idem Fabritius heredem scripsit filium Dominicum Antonium, eique decedenti sine filiis substituit ex præmortuo fratre Ferdinando filios, cum onere solvendi ducatos mille Blancæ filiæ, ultra receptam dotem; iisque in pupillari ætate, vel quandocumque sine filiis decedentibus substituit filias ex ipso præmortuo fratre; jussitque non semel, ne alienarentur quæcumque bona, perpetuoque manerent in domo Frigeriorum. Inde filius Dominicus Antonius præambulum paternæ hereditatis obtinuit cum vinculis, oneribus, substitutionibus, & fideicommissis in testamento contentis. Soluto Blancæ matrimonio anno 1708. ob mortem viri Stephani Marchii, ipse Dominicus Antonius frater, viduæ sorori secundum nuptæ D. Antonio de Judice, viro Neapolitanorum Patricio, auxit priorem dotem aliis ducatis 5000., comprehenso legato duc. 1000. relicto ab ipso Fabritio seniore, adjecitque pactum, quod si ipse sine filiis decederet, eadem soror burgensaticorum, & feudalium hereditati succederet. Ex priori matrimonio habuit illa filium Josephum, & tres filias, ex posteriori, Vincentiam. Interea futuram ejusdem Dominici Antonii, jam ad senium vergentis, ac omni prolis spe destituti, hereditatem inhiabant Josephus Marchius, ex sorore filius, & fratres de Frigerii ex Ferdinando filii, tamquam ad Fabritii fideicommissum vocati; excitatisque ideo inter eos non levibus

Cum de voluntate dubitari queat, censendum non est, voluisse testatorem perpetuo fideicommissi vinculo descendentes gravare; ac standum potius conventioni de hac re inter Partes initæ, diuque observatæ.

bus ſimultatibus, tandem ſolemniter conventum eſt anno 1758., illam futuram hereditatem fore dividendam, nimirum dimidium totius feudalis, & burgenſatici patrimonii Marchio obventorum, alterum vero fratribus Frigeriis; idque paucis diebus poſtea, ſequuto obitu ejuſdem Dominici Antonii, iterum ſolemniter ab iis ratum fuit habitum, iterumque altero inſtrumento confirmatum, ac executioni mandatum; obtinuitque Marchius die 31. Junii 1762. decretum præambuli in feudalibus. Verumtamen fratres de Frigeriis in præſenti ſtatu plenioris obſervantiæ hujuſce conventionis, contenderunt in S. R. C., ad ſe omnia bona fideicommiſſo ſubjecta pertinere, Marchio ſe nequaquam opponente. Quamobrem magn. fratres de Mena, qui titulum dationis in ſolutum, & donationis certorum bonorum habuerant a patre ipſius Dominici Antonii, animo revolvebant, callidam forte tam ſupinam eſſe Marchii taciturnitatem, videlicet, ne Marchius, qui uti heres alienantis bona alienata revindicare nequiverat, Frigeriorum miniſterio ad revindicandum abuteretur, nonnulla adverſus vim fideicommiſſi, ac eorumdem Actorum vocationem oppoſuerunt, eos nempe non eſſe de genere, ut ajunt, vocatorum; ex eo quia Actores nepotes ſunt Ferdinandi fratris Fabritii fideicommittentis, non filii, quos Fabritius ſolum ſubſtituerat. Quæ vero ab iis propoſita fuerunt ſuper exceptione legitimationis perſonarum; & particulare eſſe fideicommiſſum, non univerſale, cum clare id conſtet ex actis, conſulto prætermittimus. Igitur factis plenioribus probationibus, quæſitum eſt in S. R. C., an conſtet de fideicommiſſo; & an conſtet etiam quoad feudalia. Proponebatur, ex ſcripto, & mente teſtamenti de fideicommiſſo conſtare. In linea ſiquidem deſcendentium nomine filiorum venire etiam nepotes, in comperto eſt. Sane ſicut appellatio nurus ad pronurum protenditur, ita & ſoceri, generi, nepotis, avi, ad proſocerum, progenerum, pronepotem, proavum. Conjicimus enim mentem

tem testamenti ex prohibita in perpetuum bonorum alienatione, ut ea semper conservarentur in domo Frigeriorum, quod certe exequi non potest, nisi in progressione graduum. Amplius, hoc fideicommisso vocatis fratris filiis masculis, non obstante propriæ filiæ exclusione, valide feudalia contineri asserebatur, ex vulgatissimis Regni legibus, ad majorem familiarum conservationem. Ex adverso respondebatur, Dominicum Antonium de Frigeriis, Fabritii testatoris filium, recte quædam paternæ hereditatis bona in solutum dedisse Justino Menio, eidemque rectius donavisse nomen debitoris ex eadem patris hereditate ducatorum 4420., evictione in ipso instrumento donationis ab eo promissa in omnibus ejus bonis; quam evictionem is, ut tutiorem faceret, gravamen adversus ejus heredem super pretio feudorum copulavit. Quapropter ad quod Partes convenerant, teneri dicebatur Josephus Marchius heres ex testamento Dominici Antonii, & successor in feudalibus; frustraque is agere, excitata persona petitorum fratrum de Frigeriis ad revindicandum eadem bona ab ipso Dominico Antonio in solutum cessa, vel donata, ex causa, inquam, illius fideicommissi, quod ultra filios fratris non loquitur. Verba enim fideicommissi, quæ respiciunt certum genus, gradumque personarum, ad alium personarum gradum non extenduntur; intereedirque etiam substitutio præmoriente substituto. Minus, ex scriptis verbis, ne alienarentur bona, utque perpetuo in familia servarentur, fideicommissum conjici, quando certæ personæ vocatæ sunt. Hac ratione optime Scævolam respondisse, nihil de fideicommisso proponi. Item quod ad feudalia, fideicommissum non esse arguebatur ex Constit. Regni *Ut de successionibus*, ex Cap. *Considerantes*, & ex Regni Pragmaticis, in tit. *de feudis*; nam petitores sunt quarto gradu conjuncti fideicommittenti, quinto ultimo possessori; nec descendentes ab eo sunt qui feudum acquisivit; ac proinde secundum Leges Regni, in Feudis novis, extra

causam successionis feudalis. Item D. Vincentia de Judice, suscepta ex secundis nuptiis Blaneæ filiæ Fabritii testatoris, & sororis Dominici Antonii, ne periculo fideicommissi in aliquod discrimen veniret augumentum dotalitium ducatorum 5000. sibi constitutum a fratre, qui in casu fideicommissi, non poterat augumentum illud constituere; neve id, quod frater debebat, ejusve heres Josephus Marchius, simulatione quadam a fratribus de Frigeriis, ex causa fideicommissi, infringeretur, petiit eodem modo repellendos actores ab actione fideicommissi, immo eam, veluti successorem, legitimæ successionis titulo, immittendam esse pro ejus parte in possessionem bonorum feudalium. Plane Vincentia uti soror uterina æqualiter succedit in bonis maternis etiam feudalibus juris Longobardorum, cujus naturæ sunt feudalia in præsenti, cum ejus fratre uterino Josepho Marchio; Constitutionesque *Ut de successionibus*, & *In aliquibus* loqui de feudis juris Francorum. Quærebatur ergo, quid super his omnibus in judicio deductis pronunciandum esset? Quamvis jus fideicommissorum sit jus voluntatis, quam indiciis, & argumentis, recta interpretatione conjicere solemus; verba nihilominus cum aperta inveniantur, deflecti non oportere ad voluntatis quæstionem nostris quibusdam amplissimi Ordinis placuit. Quidam ex diverso sentiebant, perpetuo voluntatem summo studio assequendam; eamque unice observandam esse. Quidam alii, id, quod quærebatur, in hisce circumstantiis superius explicatis, nempe, utrum nepotum nomine veniant pronepotes, difficillimum, ac subobscurum ad explicandum putarunt, æqualibus concurrentibus in utramque partem rationibus. Re non parum digesta, visum est, in dubio positam esse quæstionem. Non est ergo in dubio credendus testator voluisse gravare descendentes perpetuo fideicommissi vinculo. Ita substitutio facta in favorem agnationis familiæ, nomine collectivo, sibi locum vindicat in priore gradu, qui eo tempore super-

perfit, quo conditio existit; nec ulteriores gradus progredimur, nisi nominatim testator expresserit, *L.* 32. *§. in fideic. ff. de leg.* 2. *L. fin. de verb. signif. dict. §. in fideic. in fin.* Quare commodius, rectiusque placuit, conventionem, quam in tali dubio partes inierant, diuque observaverat, non convellendam, lege tamen addita, ut ne res, præsertim bona fide, & titulo oneroso distractæ incerti, vel conjecturalis fideicommissi laqueo revindicarentur. Item diximus, petitricem Vincentiam sororem a petitione feudalis successionis, fratre ejus existente, submovendam esse, etiam in feudis juris Longobardorum: Hoc autem notandum est (scribitur in moribus feudisticis *lib.* 1. *tit.* 1. *§.* 3. *& tit.* 8. *§* 1. *lib.* 2. *tit.* 11. *§* 1.) quod licet filiæ, & masculi patribus succedant, legibus tamen a successione feudi removentur; similiter & earum filii, nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat: *Filia vero non succedit in feudo, nisi investitura fuerit facta in patre, ut filii, & filiæ succedant in feudum.* Ad filias vero, seu neptes, vel proneptes, vel ex filia nepotes, seu pronepotes successio feudi non pertinet. Haud dubitatur, feudum, quod semper inspectis moribus antiquis, Longobardicum est, nequaquam, existentibus masculis, ad feminas transire, qui a bellicis rebus, hostiumque immunitatibus interesse nequeunt; qua ratione æquius in collateralium linea feminas excludi, si casum exceperis, cum feudum, ut puta, fuerit femiucum, id est, feminæ concessum, vel saltem, ut aliqui scribunt, a femina processerit. Recentioribus vero moribus introductis, feminas admissas fuisse tantum, maribus deficientibus, in feudis, quæ vel sint Longobardici, ut dicunt, juris, vel Franciei. Item diximus, eamdem masculorum prærogativam in successione feudorum juris communis, sive Longobardici a posterioribus Regni legibus fuisse observatam, in quas procul dubio, ut etiam nostras vir summus Franciscus de Andreis penitus introspexit, jura Longobardica flu-

fluxisse constat; eamque masculorum prærogativam in altera nostræ Constitutionis *Ut de successionibus* parte, quæ ad descendentes spectat, intelligendam esse in altera successionis collateralium; quod aperte ex ipso posteriori Capitulo *Considerantes* Regis Caroli II. Andegavensis intelligimus: *Frater, vel soror fratri, vel sorori succedat, primogenituræ, ac masculini sexus prærogativa servata*. Hanc enim universi nostri Juris rationem, longa rerum judicatarum auctoritate confirmatam, esse firmiter observandam, Amplissimus Ordo pronunciavit. Hinc

Referente Regio Consiliario D. Stephano Patrizio,

hanc protulit sententiam: *Omnia bona burgensatica, & feudalia, contenta in testamento qu. D. Fabritii de Frigeriis, spectavisse & spectare pro medietate ad magn. Fratres de Frigeriis actores; pro altera vero medietate ad heredes qu. D. Josephi Marchii, servata in omnibus forma conventionis inter eosdem initæ, & penes acta præsentis causæ deductæ; salvis tamen, ac firmis remanentibus alienationibus ex prædictis bonis qu. D. Fabritii de Frigeriis senioris, factis a qu. D. Dominico Antonio de Frigeriis, in beneficium possessorum. Respectu vero successionis feudalis petitæ per magn. D. Vincentiam de Judice, magn. Fratres de Frigeriis absolvendos esse ab impetitis. Quoad deducta a parte magnificorum de Mena, iis fore salva jura in alio judicio. Nihil in expensis*.

Cajetanus de Martino Act. Mag. -- Cajetanus Basile Scriba.

In causa Antonii Cito, cum D. Angela Fabiani, nemine ut in actis. Die 12. mensis Maii 1778.

In dubio naturalis potius, quam sacrilegus existimandus est filius; nec ei deneganda sunt legata, quæ alimentorum loco habentur.

REv. D. Franciscus Antonius Cito, nuncupativo testamento, die septima Februarii anni 1744. condito, D. Thomæ fratri heredi ex asse instituto præcepit, ut Antonium Cito natalibus restitueret, cui etiam plura eodem testamento ac codicillis, postmodum confectis, legata reliquit,

liquit. Fratris hereditatem D. Thomas, omisso inventario, adivit; sed ejus voluntati obtemperare cum diu distulisset, anno 1765. Antonius Cito, ut heres ad legata præbenda cogeretur, primum a Curia locali petiit; deinde, cum D. Thomas fato cessisset, uxore D. Angela Fabiani herede usufructuaria instituta, Antonius Cito, in Divi Ivonis patrocinium susceptus, in S.R.C. proposuit pro legatis consequendis actionem; quam Dominus Commissarius judicio experiundam ordinario censuit. Testium itaque subsidio sibi comparato, prædictus Antonius, nedum testatoris voluntatem ex testamenti forma probavit; verum etiam se ab ineunte ætate ab eodem D.Thoma educatum, enutritum, bonisque artibus imbutum fuisse, adeout ejusdem D.Thomæ filius vulgo crederetur. Nullis contra editis a dicta Fabiani legitimis probationibus, præterquam attestationes nonnullas, quibus dictum Antonium ex sacrilego Rev. D.Francisci Antonii, cum Margarita Dandolfo concubitu susceptum fuisse, affirmabatur. Proposita hinc controversia in S C. die 16. mensis Novembris anni 1772. D. Angela Fabiani ad præstanda legata in testamento Rev. D. Francisci Antonii contenta condemnata fuit.

Ad sententiam infirmandam eadem Fabiani aliquot nullitatum capita proposuit; videlicet Antonium Cito utpote filium sacrilegum testamento capere non posse, juxta *Auth. Ex complexu* 10. *C. de incest. nupt.*; deinceps legata sub ea conditione relicta fuisse, si dictus Antonius legitimus redderetur, quod cum nunquam evenisset, legata ob defectum conditionis non deberi. Denique exequutores testamentarios dicti D. Thomæ in judicio non fuisse.

Contra vero Antonius Cito supplici libello petiit, ut a S.C. declararetur pro legatis præstandis non hereditaria Rev. D. Francisci Antonii, sed ipsius D.Thomæ bona teneri, quandoquidem ista, omissa inventarii confectione, legis beneficio perfrui non poterat.

Discussis denique nullitatibus, eas sententiam everte-

re

re non posse S.C. censet; nam primò debili, atque indebili fundamento innituntur, scilicet dictum Antonium filium Rev. D. Francisci Antonii sacrilegum fuisse, quod sane ex actis non liquet; & si in dubio res versaretur, naturalis potius, quam sacrilegus existimandus esset, *L. semper* 57., *L. quoties* 201. *de reg. jur.*; neque tandem filiis sacrilegis alimenta, quæ jure naturæ debentur, sane deneganda, ut communis DD. fert opinio, qua de re legata prædicta alimentorum loco cederent.

Neque altera nullitas sententiæ officit; namque nulla in legatis conditio dignoscitur, & præceptum testatoris, ut Antonius Cito legitimus redderetur, heredem potius respiciebat, dum itaque heres testatoris voluntati non paruit, legatario detrimentum afferre non poterat ex juris regula: *Alteri per alterum iniqua conditio fieri non potest*, *L.* 197. *de reg. jur.*

Postrema nullitas ea est, ut nulla indigeat responsione; proindeque priorem sententiam confirmando, S. C.,

Referente Regio Consiliario Malena,

ita decernit: *Rejiciantur nullitates, etiam attento tenore ipsarum; & Dominus causæ Commissarius de justitia provideat super deductis in citata supplicatione.*

Doct. Girardi Act. Mag. -- Milo Scriba.

In causa D. Gabrielis Bozzi-Colonna Baronis Aquariæ cum D. Josepho Maria Bozzi-Colonna. Die 13. mensis Maii 1778.

Conditio adjecta fideicommisso repetita intelligitur in sequenti substitutione, cujus idem est objectum.

OB secutum obitum Canonici D. Marii Bozzi Colonna, Possessoris legati relicti a qu. D Marco Aurelio Bozzi-Corso in ejus postremo elogio, judicialis exorta fuit contentio in S.R.C. inter D. Gabrielem Bozzi-Colonna Baronem Aquariæ, & D. Josephum Bozzi Colonna; prætensum enim fuit, supplicatione porrecta per dictum D. Gabrielem, esse eumdem manutenendum in possessione ruris a testatore prædicto ut infra legati, atque declarandum nullum jus

jus dicto D. Josepho pertinere. E contra præfatus D. Joseph Maria instituit pro manutentione in possessione bonorum prædicto legato addictorum, uti proximior de familia Bozzi-Colonna, adeout in ejus beneficium reperiretur a Regia Curia Lyciensi interpositum decretum spectantiæ. Viso itaque testamento qu. Marci Aurelii Bozzi-Corso clauso sub die 13. Septembris anni 1703., & post ejus sequutum obitum publicato die 18. Novembris anni 1705., quo postquam suum heredem instituit D. Franciscum Antonium Personè ejus ex filia nepotem, eidem substituit filium Sacerdotem, & in ejus defectum Clericum; iisdemque deficientibus vocavit patrem, usquedum istius filii ad Clericatum pervenerint, & in casu deficientiæ masculorum ad ulteriores gradus substitutionis progressus fuit; & inde reliquit D. Isidoro Bozzi rus nuncupatum *li Solazzi* cum aliis stabilibus, ac semoventibus; super quibus sequens statuit fideicommissum: *La quale Massaria, e terre sopraddette, alla quale deve succedere il suddetto Isidoro, suoi eredi, e successori, voglio, ordino, e comando non si dovesse nè vendere, nè alienare, o permutare, ma sempre si dovesse mantenere, e conservare l'istessa, nè dividersi, con patto, che dopo la morte del suddetto Isidoro debbano succedere li figli Sacerdoti, ed in mancanza de' Sacerdoti i Clerici, essendo sempre preferiti li Sacerdoti alli Clerici, ed in mancanza di Sacerdoti, o Clerici, sia de' loro padri fintanto che ascenderanno li figli allo stato Clericale, o Sacerdotale, e mancando figli mascoli a detto Isidoro, suoi eredi, e successori* de familia Bozzi ex linea patris, *in tal caso dovessero succedere li più propinqui* de familia Bozzi *Sacerdote; qual sia preferito al Clerico, e così si dovesse sempre osservare.* Visis pariter decreto termini ordinarii super hinc inde deductis impartiti, testium depositionibus in compilatione ejusdem examinatorum ad instantiam utriusque partis, ex quibus non revocatur in dubium lineam dicti D. Isidori Bozzi-Colonna fuisse extinctam ob mortem Canonici D. Ma-

rii,

rii, atque prædictum D. Josephum esse proximiorem de familia Bozzi-Colonna, S. R. C.

Referente Regio Consiliario Criscenio

sequentem protulit sententiam: *Legatum, prout ex actis, spectavisse & spectare in beneficium D. Joseph Bozzi-Colonna, salvis tamen juribus, si quæ competunt, Clerico, vel Sacerdoti de familia Bozzi in testamento qu. Marci Aurelii Bozzi vocata, forsan advenienti. Neutram partem in expensis.* Et jure quidem optimo ita S.C. censuit; nam nedum ex integro testamenti contextu clare dignoscitur voluntatem testatoris fuisse pro conservatione bonorum in linea ab eodem vocata, verum etiam dum filios Sacerdotes, sive Clericos vocavit, expresse subjunxit, quod in eorum defectum legatum ad laicos patres esset tradendum, usquedum eorum filii ad statum Clericalem pervenerint. Si ergo conditio fideicommisso adjecta repetita intelligitur in sequenti substitutione circa idem ordinata, juxta Pauli responsum in *L. Latinus Largus ff. de legat.* 2., ac per textum in *L. filiosfamilias ff. de condit. & demonst.*; atque si testator clare loquutus fuit, legati spectantia in beneficium D.Josephi Bozzi-Colonna proximioris de familia vocata non erat omni jure deneganda, juxta dispositum in *L. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de legat.* 3., *in L. non aliter ff. eodem*, *in L. in conditionibus ff. de condit. & demonst.*, *& in Auth. de nup. §. disponat. coll.* 4.

Ferdinandus Salernus Scriba.

In causa Ill. Principis S. Nicandri, & Ill. Ducis Ferrandinæ cum R. Monasterio Divæ Mariæ Magdalenæ majoris hujus Civitatis. Die 15. Junii 1778.

Referente Regio Consiliario Malena

Assensus Regius, quippe qui strictissime semper accipitur, neque de persona ad personam,

S. R. C. pronunciavit: *Non esse deferendum restitutioni in integrum petitæ pro parte Reg. Monasterii S. Mariæ majoris hujus Civitatis. Et nihilominus visis etiam Regalibus rescriptis in actis exhibitis, ac omnibus actis, S.R.C. decla-*

declarat, non competiisse, neque competere dicto Reg. Monasterio jus luendi censum ducatorum 200., *ut ex actis*; *& proinde dictum Reg. Monasterium solvat in beneficium Ill. Principis S. Nicandri quantitates debitas ex causa canonum decursorum, & non solutorum*; *ac depositum factum remaneat ad beneficium dicti Reg. Monasterii. Neutram partem in expensis. Salvis vero juribus dicto Ill. Principi respectu expensarum litis in præsenti judicio per ipsum erogatarum, contra Ill. Ducem Ferrandinæ. Verum visa comparitione in Aula præsentata pro parte dicti Reg. Monasterii*; *ac, attento pariter consensu etiam in Aula præstito tam per magn. Advocatum Reg. Monasterii, quam per magn. Advocatum Ill. Principis, in locum dicti annui census emphyteutici in summa annuorum duc.* 200. *remaneant ab hodie in antea subrogati annui duc.*200. *effectivi partitarum Arrendamentorum Regiæ Dohanæ, & Farinæ hujus Civitatis, ad electionem dicti Ill. Principis*; *quæ tamen sint in dominio dicti Regalis Monasterii, & cum capitali propriæ respectivæ situationis dictorum Arrendamentorum. Et partitæ prædictæ, subrogandæ virtute præsentis decreti, remaneant sub natura feudali, servata forma primarum Regalium concessionum*; *ac pro majori validitate subrogationis prædictæ Partes adeant S.R.M. pro assensu in forma: qua subrogatione adimpleta, domus in actis deductæ, & præcitato Regali Monasterio incorporatæ, remaneant omnino exemptæ, ac immunes a quocunque onere ex causa dicti census, & reservationis dominii*; *ac tandem pro executione dicti Regalis rescripti, fiat relatio S. R. M.*

neque de re ad rem, neque de contractu ad contractum, etiam fortiori congruente ratione, extendi potest.

Nitentibus Monialibus Regalis Monasterii Divæ Magdalenæ hujus Civitatis annuum canonem duc. 200., ope depositi duc. 4000., & ex facultate tributa primis emphyteutis, redimere, ne deinceps claustrum ex domibus emphyteuticis partim conditum domino directo feudi *Duchessiarum* subesset, S. C. anno 1774. censuit exercitio juris luendi impedimento esse nuperrimas leges admortizationis, &

jure illarum publico absolvendum Ill. Principem S. Nicandri feudatarium, omissis ceteris ejusdem exceptionibus privatis, utpote ad rem superfluis. Sententiæ vero ab actore opposita nedum restitutione in integrum, sed Regio insuper rescripto explicante leges ipsas non obesse, si Monasterium tempore depositi legitime jus luendi quæsivisset; oportuit viam sternere ad decisionem privati juris alias omissi; illoque tamen non leviter degustato, mandare, ut interim canones præteriti temporis, & in posterum domino directo solverentur. At Monasterium, cum denuo reluctaverit pari remedio restitutionis in integrum, evenit, ut incidens, & principalis quæstio, canonum nempe, & jurisluendi simul esset dirimenda: qua de re, discusso plene negotio, visum fuit dupliciter Monasterio juris agendi defectum adversari, sibique onus esse perpetuum canonem persolvendi.

Primo enim in comperto fuit, Imperatorem Carolum V. postquam hortos, villasque vulgo nuncupatas *Duchesse*, D. Petro de Toledo Viceregi in feudum concesserit, non aliis anno 1551. alienandi facultatem, vel concedendi ad censum indulsisse, nisi ipsi D. Petro feudatario, ejusque successoribus, quibus impositum, ut quod exinde percepissent immediate, & in capite a Regia Curia haberent: hisce ex facultatibus, potuisse Feudatarium prædia feudi alienare, & pretium sub onere fidelitatis collocare, vel in emphyteusim concedere, & canones uti feudales habere, indubium existimatum est; sed bona ex pretio comparanda, vel canones sicuti tempore diminui, ita augeri feudo potuissent, constitutos vero canones emphyteutarum arbitrio reddere redimibiles, eisque potestatem fieri quocumque tempore comparandi certo pretio dominium directum, illud velut evellendo a tabula feudi, assensu datum non fuit, imo alienandi arbitrium Feudatario ob merita indultum ejus personam egredi non potuit, *L.1. §.11. de Const. Princip.* Cognitum est insuper, jus illud luendi aliorum arbi-

arbitrio exercendum perpetuo detrimentum feudo, augumentum vero nunquam allaturum, nam non luissent emphyteutæ, nisi cum ipsis esset utilius: quod quidem ab assensu distat, longeque absuit a mente Principis concedentis. Assensus autem Regum strictissimi juris sunt, nec unquam universa Feudistarum schola, argumento ducto a jure communi, extendi posse docuit de persona ad personam, de re ad rem, de contractu ad contractum etiam similem, vel minorem, nec etiam, uti ajunt, ex *majoritate* rationis, uti post *Isern. Camerarius in repet. ad L. Imperialem pag.* 373. *seq. edit. Basileæ, & passim*. Quapropter S.C. censuit, primos censuarios Palatii controversi, Olando, Cafaro, & Pecoraro, ob nullitatem pacti ab assensu discrepantis, jus luendi canonem nunquam adeptos, illudque successoribus, & Monasterio transmittere nequivisse, eique juris agendi defectum obesse.

Secundo constitit, Palatium emphyteuticum, licet Monasterium annis 1599., & 1603. comparasset auctoritate Magistratus pro ampliando claustro, non ita tamen illi venditum ab exactis possessoribus, ut cum prædio actio quoque luendi canonem, cogendique feudatarium ad vendendum dominium directum translatum esset; imo ab actis tunc temporis apparuit, sub onere census emphyteutici perpetui æstimatum, & venditum. Quæ cum ita sint, obstare actori titulum suum PP. censuere; nam, ultra utile dominium, cum diversam actionem comparandi directum ipse non quæsiverit (quod sane sufficeret, ob non jus actoris, ad reum absolvendum) imo obligatus fuerit ad recognoscendum quotannis directum dominum, frustra eum agere, proprio titulo adversante, judicatum est, pro consolidando directo cum utili dominio; sed jus hoc heredibus esset primorum emphyteutarum, nisi pactum affrancandi prænarrata nullitate laboraret.

Animadversum tamen fuit, Monasterium in Aula libello primum ab Abbatissa subscripto, dein luculentius ejus

Advocatum, & Procuratorem obtuliſſe Feudatario ad libitum ejuſdem Arrendamenti partitam, annuorum duc.200., quæ non aſſignamenti titulo, ſed in pleno eſſet Monaſterii dominio, quæque cum ſuo primævo capitali loco dominii directi ſuper clauſtro, feudo pleno jure tradenda, liberum clauſtrum, ac meliorem redderet feudi fortunam; pollicitationemque ipſam ab Advocato, & Procuratore Principis S. Nicandri fuiſſe acceptam; hinc cenſuit S.C., rem juxta juris tramites prius decidendam: reum nempe ab reemptione abſolvendum; actorem damnandum ad ſolutionem canonum, juxta præcedens S.C. decretum; mox Partium conventionem admittendam, Regio tamen accedente aſſenſu: contra Ill. Ducem denique Ferrandinæ auctorem laudatum pro expenſis litis jura Ill. Principi S. Nicandri reſervanda.

U.J.D. Baſilius Baſile Act. Mag. -- Joannes Mancini Scriba.

In cauſa ſororum D. Angelæ, & D. Mariannæ Galdieri cum pupillo D. Ferdinando Cuomo, D. Ludovico, & D. Hieronymo Trecaſtelli, & aliis. Die 6. Julii 1778.

Octavo teſte non adhibito, cum teſtatoris ſubſcriptio intelligi nequeat; nec teſtibus præſentibus prolata a teſtatore ſcriptura clauſa, ab ipſis ſignanda, ac ſubſcribenda; item apoſtillis diverſi characteris in teſtamenti ſcriptura appoſitis, nulla declaratione adhibita, eas, jubente teſtatore, ſuperadditas eſſe; nullum ex defectu ſolemnium teſtamentum erit.

AD aſſequendum legatum ſui favore ſcriptum in teſtamento qu. Canonici D. Cæſaris Galdieri, judicium inſtitutum fuit in S. C. nomine pupilli D. Ferdinandi Cuomo. Contra ſorores D. Angela, & D. Marianna Galdieri oppoſuerunt teſtamenti nullitatem ex defectu voluntatis, & ſolemnitatum, & gradatim exceptionem SC. Liboniani. Dato hinc termino ordinario, articuli, & probationes hinc inde productæ ſunt tam in cauſa principali concernentes prædictam teſtamenti aut validitatem, aut nullitatem reſpective prætenſam, quam in termino repulſæ. Exhibito autem teſtamento, ac confectis peritiis in gradu etiam reviſionis per magn. Notarios ſuper originali; decrevit S. C. ordinarii termini curſum incipiendum eſſe ab illo die, auditis D. Ludovico, & D. Hieronymo Trecaſtelli, aliiſ-

liisque prætensis legatariis; nam perperam de qualitate testamenti tunc esset judicatum, omnibus, quorum intererat, non auditis, vel saltem legitime vocatis. Prænarrati decreti notificationibus factis D. Hieronymo, & D. Ludovico Trecastelli, D. Mariano Cosentino Procuratori Rev. Seminarii Civitatis Vici Equensis, & D. Francisco Bruno, contumaciis legitime in Procuratorem Seminarii prædicti incusatis, articulis, & probationibus productis pro parte D. Hieronymi, & D. Ludovici Trecastelli, validitatem deducti testamenti probare conantium, monitione ad audiendam præsentem sententiam, ac omnibus actis perpensis, S. C. existimavit probationes vicissim productas nihili faciendas esse. Sorores enim Galdieri defunctum earum fratrem incompotem mentis fuisse testamenti factionis tempore, testium depositionibus probare satagerunt. Contra pupillus D. Ferdinandus Cuomo, ac fratres Trecastelli testes pro sororibus prædictis in judicio examinatos repulsarunt, dictaque aliorum testium produxerunt, jure recteque factum fuisse testamentum qu. Canonici D. Cæsaris Galdieri deponentium, quibus testibus fidem auferre sorores Galdieri enixe nisæ sunt. Hinc hisce omnibus ablegatis, ad veritatem eruendam S. C. tabulas testamentarias inspiciendas, circumstantiasque temporis, quo scriptæ fuerunt, considerandas esse censuit. Quibus visis, ponderatisque,

Referente Regio Consiliario Palmieri,

sequentem protulit sententiam: *Testamentum qu. Canonici D. Cæsaris Galdieri, stipulatum die* 13. *Septembris* 1773. *manu qu. Notarii Jo: Baptistæ Cuomo, fuisse & esse nullum ex defectu tam voluntatis, quam solemnitatis. Neutram partem in expensis.*

Ita S. C. censuit sequentibus rationibus. Solemnia a jure requisita in testamentis necessario desiderari, in propatulo est; itaut cum unum ex eis deficiat, nullum testamentum esse solemnitatis defectu certo certius est. Deficit enim in testamento qu. Canonici Galdieri octavi testis sub-

ſubſcriptio, quæ non pro libito teſtantis, ſed pro forma actus requiritur, cum teſtator aut literas ignoret, aut ſubſcribere nequeat. *L. hac conſultiſſima §. quod ſi, C. de teſtamentis*. Nec alicujus momenti habenda eſt prætenſa teſtatoris ſubſcriptio tabulis teſtamentariis appoſita, ea enim minime intelligitur, ut periti, etiam in gradu reviſionis teſtantur, utque pupillus D. Ferdinandus Cuomo in ſua comparitione confitetur; imo tempore deciſionis cauſæ oculari inſpectione S. R. C. in Aula ſubmiſſo autographo teſtamento, prætenſaque ſubſcriptione teſtatoris ſedulo inſpecta, ex ea nec nomen, nec cognomen, nec figura literarum elici potuit. Neceſſitatem autem intelligibilis ſubſcriptionis teſtatoris maximopere jura exigunt; ceteroquin ea deficiente, teſtamentum etiam inter liberos corruere *Nov.* 107. ſtatuit, mandatque; ſubſcriptionem autem teſtatoris heredum nomina, & uncias, non ſignis numerorum ſignificandas, ſed per integras literas declarandas jura exigunt.

His accedit, eadem *L. Hac conſultiſſima* caveri, teſtibus præſentibus teſtatorem ſcripturam clauſam, involutamque proferre debere, dicentem illud ſuum eſſe teſtamentum, quod ipſis ſignandum, ac ſubſcribendum offert. Adhibitam fuiſſe necne hanc ſolemnitatem in teſtamenti, de quo agitur, confectione, non conſtat; Notarius enim illam non exprimit, neque in authentica, neque in actu clauſuræ, nec teſtes eam deponunt, ſed tantum atteſtantur, morientem D. Cæſarem Galdieri clauſum teſtamentum celebrare voluiſſe, quod cum tot ſolemnibus indigeat, Notario hæc prætermittenda non erant, ne falſi pœna afficeretur, ceu dolo in tam ab jure mandata ſolemnitate callide verſato. *L.* 29. *§. ult. C. de teſtam.*

Sunt præterea in autographo teſtamento inductæ nonnullæ apoſtillæ etiam interlineales diverſi characteris, ac atramenti, quæ licet ad teſtamentorum tabularum ſolemnitatem minime pertineant, fidem tamen, veritatemque illa-

illarum prorſus avertunt, ut ex *tit. ff. de his, quæ in teſtamento delentur*, ſancitum legitur, cui non abnuit *L.*12. *C. de teſtam.*; ex quo enim jure ſtylus, uſuſque inolevit, juxta communem Prudentum ſententiam, Notarium debere in actu clauſuræ declarare, apoſtillas teſtatore jubente ac adprobante fuiſſe ſuperadditas, ſecus illas dolo inductas haberi idem jus ſtatuit: At cum in caſu noſtro prorſus hæc declaratio omiſſa ſit, falſitatis oritur non levis præſumptio, & ſuſpicio. Qua de re S.C. his omnibus ſedulo perpenſis, nullum ex defectu ſolemnitatis teſtamentum qu. Canonici D. Cæſaris Galdieri dixit.

Hactenus de ſolemnitatum defectu, nunc de voluntate teſtatoris perpauca ſunt addenda. Hominis mente conſiſtentis voluntatem teſtamentum qu. Canonici Galdieri non continere multis de cauſis conſtat. Tempus, quo teſtamentum fuit confectum, teſtatorem ſuæ compotem mentis non fuiſſe, demonſtrat; cancrena enim correptus, morbique acerbitate laborans Canonicus Galdieri articulate loqui, nec ſcribere poterat, cum octo poſt horas a teſtamenti prætenſa ſubſcriptione, lituras potius non intelligibiles, quam literas continente, mortuus ſit. Idem errores, qui in teſtamentum irrepſerunt, confirmant. Nam cum nonnulla legata in prætenſo teſtamento a qu. Canonico Galdieri relicta ſcribantur, quæ alieni juris erant, ea tamquam de ære proprio legata leguntur. Legavit enim D. Franciſco Bruno duc. 400. cum ſuis annualitatibus, conſequendos a D. Laurentio Maſſa Civitatis Caſtrimaris de Stabia, de quo credito jam fecerat ei ſatis debitor multis abhinc annis. Legavit fratribus Trecaſtelli fundum, quem *Montechiaro di baſſo* appellavit, qui tamen nec in aſſe hereditario, nec in toto Vici Equenſis territorio rus, quod hoc præſeferat nomen adeſt. Legavit D. Ferdinando Cuomo cenſus, ſeu annuos redditus, quos in ſumma annuorum duc. 279. dixit conſequendos debere in Caſale, vulgo *di Boſco*, qui tamen vix ad annuos duc. 159. aſcendunt.

His

His positis, S. C. pro comperto habuit, talem testatorem neque scribere, neque articulate loqui potis fuisse; verum tanta mentis oblivione laborantem, ut mortuo similem existimandum eum haberi, falsitatemque propterea in elogio suo commissam fuisse. *L. jubemus §. si enim Cod. de testam.* Hinc nullum ex defectu voluntatis quoque pronunciavit.

De legato pupillo D. Ferdinando Cuomo relicto, S.C. censuit nihil de eo specifice definire; nam corruente testamento tamquam nullitatis vitio affecto, corruunt & legata omnia. Ad hoc tamen legatum infirmandum, etiamsi testamentum validum fuisset, particularis adesset ratio. Liquet enim ex actis, prædictum D. Ferdinandum esse filium qu. Notarii Jo: Baptistæ Cuomo, qui præfatum testamentum rogavit, ipsumque proprio filio suo impuberi, & sub sua potestate legatum adscribendo, sibi ipsi adscripsisse certi juris est; quod improbissimum genus falsi a Jurisconsultis appellatur. Quemcumque autem, qui sibi, vel filio, quem in potestate habeat, legata adscribat, in *L. Cornel. de falsis* committere non dubitatur, nec ut a pœna liberetur, ignorantiæ exceptione juvari potest, *L. 10. & 15. ff. de L. Corn. de falsis, & S.C. Liboniano.* Sed de hoc satis.

Paschalis Scafura Scriba.

In causa Nicolai Angeli Meola, cum Mercurio Nicolao, Michaele, & Crescentio Lucchese, Michaele Filasca, aliisque tertiis possessoribus, ut ex actis. Die 11. mensis Julii 1778.

Referente Regio Consiliario Maiena,

In donationibus sufficit acceptatio Notarii pro donatario; sicut constituti, & precarii clausula valet, ut jure tradita possessio intelligatur.

S.C. decrevit: *Rejiciantur nullitates, etiam attento tenore ipsarum; fructus vero liquidentur a die mortis ultimi ex donantibus, salvis juribus in alio judicio reis conventis contra venditores, ejusque heredes. Nihil pro expensis.*

Ratio decisionis. Ex actis eruitur, Franciscum Meola, & Isabellam Lugo anno 1761, donasse irrevocabiliter inter

ter vivos eorum filio Nicolao Angelo ob amorem, & affectum erga ipsum, causa, & contemplatione matrimonii contrahendi, nonnulla bona instrumento donationis descripta, ut ea hypothecæ submittere posset pro dotibus recipiendis ob matrimonium contrahendum; retento tamen sibi, dum viverent, usufructu; lege adjecta, quod neque vendere, neque alienare, vel hypothecæ submittere bona prædicta possent. Contracto postmodum matrimonio cum Magdalena Gisoni, pro cautela dotium dictus Nicolaus Angelus hypothecæ submisit omnia bona, & signanter vincam modiorum quatuor circiter contentam in citato instrumento donationis. Sed cum post perfectam donationem, & postquam bona prædicta etiam onus hypothecæ subierant, prædictus Franciscus Meola eadem bona, quæ filio donaverat, vendidisset Mercurio Nicolao, Michaeli, & Crescentio Lucchese, ac Michaeli Filasera, & Francisco Sartro; idcirco anno 1771. dictus Nicolaus Angelus judicium revindicationis contra eosdem in S.R.C. instituit; & compilato processu, fuerunt rei conventi condemnati ad relaxandum bona in sententia descripta. Propositis vero adversus sententiam nullitatibus, S.R.C. in earum discussione perpendit, donationem factam Nicolao Angelo filio causa matrimonii contrahendi omnino perfectam, & validam fuisse, *L. descriptionis Cod. de imponend. lucrativ. descript. §. ceteri*, neque quidquam officere, quæ prædictis nullitatibus opponuntur, videlicet eam fraudis suspicione laborare; prætereaque donatarii acceptationem defuisse, neque donatario fuisse possessionem traditam; namque quæ per testes asseruntur, non ea videntur esse ut fraudis, ac doli suspicionem possint inducere; eapropter fit locus *LL. quæ prædium C. si aliena res pign. dat. sit*, & *si prius C. de jur. fisc.* Insuper acceptationem Notarii pro donatario sufficere dicendum est, ut communis fert opinio; & denique possessio eo ipso tradita fuisse videtur, cum Franciscus Meola, & Isabella Lugo licet usumfructum

ſibi rerum donatarum retinuiſſent, tamen eaſdem res, precario nomine, ex clauſula Conſtituti & Precarii detinuerunt, quo caſu jure tradita poſſeſſio intelligitur, ex *L. ſi quis argentum §. ſed ſi quidem*, & *l. quiſquis C. de donat.* S.C. igitur animadvertens etiam, quod nullitates neque legibus, neque ſcripturis publicis ante ſententiæ prolationem exhibitis adverſabantur, ut ex *Prag. 4. §. 20. & 5. de dilat.*; ideo modo quo ſupra cenſuit; fructus vero bonorum donatorum Nicolao Angelo filio debebantur a die mortis donantium, juxta conventum in ſupracitato inſtrumento donationis.

De Milo Scriba.

In cauſa D. Aureliæ Sagariga cum Creditoribus Patrimonii qq. D. Nicolai, & D. Thomæ Sagariga. Die 13. Julii 1778.

In dotis conſtitutione a judicio patris temere recedendum non eſt.

D. Aurelia Sagariga anno 1728. nuptui fuit tradita D Scipioni Molinari; anno deinceps 1766., ut decerneretur quid ſibi paragii nomine eſſet adſignandum, judicium in S.C. inſtituit. Cumque termino ordinario impartito judicium procederet, ſyngrapham exhibuit, qua Joannes Aloyſius Sagariga ejus pater dotem ei in hæc verba conſtituerat: *Duc. 4000. dalli primi effetti dotali, allora ſi eſigeranno dal Monte di D. Eleonora di Ruggiero, fu moglie, e madre de' Signori figli, e di detta D. Aurelia: dippiù duc. 500. in tanti pannamenti, veſti, e coſe d'oro ad apprezzo di eſperti, da conſignarſi* ante contractionem matrimonii, quam ſyngtapham ipſa D. Aurelia impugnandi cauſa ſe exhibere declaravit, ea præſertim de cauſa, quia Montem doti ſolvendæ imparem eſſe putabat.

Contra vero Curator, ac Creditores Patrimonii fratrum Sagariga ejuſdem ſyngraphæ aliud produxerunt exemplar, contendentes eandem D. Aureliam dote a patre conſtituta contentam eſſe oportere, quam Creditorum exceptionem cum inſtitutæ actioni ſatis obeſſe dicta D. Aurelia cogno-

cognovisset, novo supplici libello, postquam terminus fuerat expletus, judicium alio divertere nisa est; primique libelli errore, siquidem oportuisset, correcto, promissam tabulis nuptialibus a patre dotem, ut assequeretur, institit.

Relata deinceps causa ad S. C. die 16. mensis Martii 1776. hujusmodi prodiit decretum: *Magn. Curator Patrimonii procuret exactionem quantitatum debitarum a Monte dicto* de' Giunti *fratribus de Sagariga, pro causa ut ex actis, & depositum in publico Banco ad dispositionem S. C., quo deposito facto, providebitur*.

Curatoris itaque diligentia, ducatis 2500. in vim transactionis cum Monte initæ, recuperatis, iisque apud acta depositis, D. Aurelia eos sibi, in dotem duc. 4500. referendos, liberari, ac Curatorem ad reliquos duc. 2000. cum legitimis usuris persolvendos condemnari petiit.

Plura tamen Curator Patrimonii, ac Creditores reponebant: & primo dotem non ex animo, sed simulate, atque honoris gratia a patre promissam fuisse: quod etiam testium ope confirmare studuerunt. Deinde dotem duc. 4500. satis paterni patrimonii vires excedere, neque paragium præter modum facultatum definiendum esse. His addebant initio judicium ad paragii quantitatem decernendam institutum fuisse, rejecta, atque oppugnata syngrapha, qua dos fuerat constituta; quadere minime dictæ D. Aureliæ licere termino jam absoluto actionem immutare, aliam ac prorsus contrariam insistere viam, dotemque juxta formam ejusdem syngraphæ postulare. Denique cum ducati 2500. apud acta depositi ex dotibus D. Eleonoræ Ruggieri communis matris provenerint, inter omnes æque filios jure partiendos esse contendebant.

Sed his omnibus congrua responsione occurri posse S. C. censuit: primo enim nulla probatione confirmatur dotem ficte ac simulate fuisse constitutam. Namque testes a Curatore, ac Creditoribus producti hujus rei se prorsus inscios profitentur. Demum qualescumque patris fuerint

facultates, ab ejus judicio, dum dotem filiæ statuit, temere recedendum non est. Neque dotis, ac filiæ causa post nuptias deterior fieri potest, *L. 29. ff. de jure dot.* Quod vero ad actionem, judiciique naturam immutatam attinet, non ita juri, ac rationi absonum videri debet, dictam D. Aureliam Curatoris, ac Creditorum exceptionibus perculsam ejusdem scripturæ, quam illi substinebant, ac tuebantur, executionem postulasse. Denique licet fratribus Sagariga maternarum dotium portio jure deberetur, attamen ab ea super dictis ducatis 2500. assequenda doti exceptione submoveri possunt, *L. cum a matre C. de resvind.*, cum paternæ hereditati absque legis, & inventarii beneficio sese immiseuerint; proindeque obligatione, quam pater in dote constituenda suscepit, teneantur, *L. ult. C. de jur. delib.*

Cum itaque dotis causa semper præcipua sit, ejusque modus ex facultatibus, & dignitate mulieris, maritique statuenda sit, *L. 61. ff. de jur. dot.*, S. C. præ oculis habens & patris judicium, & honestarum familiarum dignitatem tam uxoris, quam viri, omne id, quod ex debitoris nomine in dotem dato provenit, dictæ D. Aureliæ tribuendum; ac Patrimonium a solutione reliquæ quantitatis promissarum dotium, ejusque usuris absolvendum censet; eapropter

Referente Regio Consiliario Capycialatro,

ita pronunciandum esse putavit: *Deveri D. Aureliæ Sagariga ducatos 2500. solutos a Monte de Giunti in vim transactionis ad satisfactionem maritagii debiti qu. D. Eleonora de Ruggiero pro dotibus constitutis dictæ D. Aureliæ ab ejus patre per albaranum anni 1728., deductis tamen expensis pro exactione dictorum duc. 2500.; & quod ad reliqua ab ea prætensa, absolvantur fratres de Sagariga. Neutram partem ad expensas.*

U. J. D. Basilius Bisili Act. Mag. — Paschalis Imparato Scriba.

In

In causa D. Francisci Durante cum D. Josepho, D. Laurentio, & D. Philippo Perrotta. Die 23. Julii 1778.

ANno 1660. Leonardus Durante in ejus testamento instituens heredem Camillam Durante ex fratre neptem, super quodam territorio modiorum quindecim fundavit legatum pium, cum onere Missarum; ad cujus fruitionem vocavit D. Thomam Durante, & D. Bartholomæum Perrotta; & post obitum ultimi morientis legavit jus præsentandi antiquiori Domus Durante, descendenti ex fratribus patruelibus Vincentio, Jo: Paulo, ac Nicolao Durante, in quorum defectu ita ordinavit: *Ed essendoci Prete, o Clerico di detta linea delli suddetti qu. Vincenzo, Gio: Paolo, e Nicola, detto legato si debbia dare al detto Prete, o Clerico di detta linea delli suddetti qu. Vincenzo, che sarà più antico: e non essendoci Prete, o Clerico di detta linea delli suddetti nominati, ed essendoci Prete Sacerdote della Casa Durante di altra linea di detto Casale, si debba dare al detto Sacerdote: e non essendoci detto Sacerdote, in tale caso detto legato ceda, e vada in beneficio de' Mastri de' Poveri di detto Casale, che pro tempore saranno, con il peso delle suddette Messe in perpetuo l'anno, e quello di più avanzerà dal detto peso di Messe, detti Mastri di Poveri, che pro tempore saranno, l'abbiano da dispensare a' poveri di detto Casale, che così è volontà di detto Testatore. Di più lascia, e vuole detto Testatore, che in caso che detto legato succedesse alli Mastri de' Poveri per la causa suddetta, e venendo poi Prete, o Clerico della linea delli suddetti qu. Vincenzo, Gio: Paolo, e Nicola, in tal caso detti Mastri de' Poveri, che pro tempore saranno, siano tenuti cedere detto legato al detto Prete, o Clerico, che sarà discendente da detti prenominati, senza decreto judiciario, e così è volontà di detto Testatore.*

Quod de jure patronatus activo in codicillis cautum est contra dispositionem testamenti, non abrogat patronatus passivi legem in eodem testamento scriptam; præcipue cum hæc diutina observantia adjuvetur.

Sub die 23. Decembris 1664. in ejus codicillis his ver-

verbis locutus est: *Ratificando prius dictum testamentum, & omnia in eo contenta*, & postea dixit: *E di più codicillando, e corrigendo detto suo testamento codicillando esso Lionardo codicillante, lascia, e vuole, che durante la vita del Rev. D. Tommaso Durante per esso codicillante chiamato nel Beneficio per esso codicillante fatto, della masseria di Galdo insieme con D.Bartolomeo Perrotta suo nipote, resti detto Beneficio comune tra detti D. Tommaso, e D. Bartolomeo; e dopo la morte del detto D.Tommaso, resti solo al detto D. Bartolomeo, durante la sua vita, e detto jus di presentare detto Beneficio dopo la morte di detto D. Tommaso, e D. Bartolomeo, resti a beneficio di D. Camilla sua nipote ed erede, e delli suoi eredi e successori mascolini tantum, che così è volontà di esso codicillante.*

Ex testamenti codicillorumque discrepantia renovata est controversia inter D. Laurentium, & D. Josephum Perrotta dictæ Camillæ heredes ex una parte, & D. Franciscum Durante descendentem ex qu. Vincentio, uno ex dictis fratribus patruelibus ex altera, utrum scilicet standum sit testamento, ac codicillis? Compilato termino sub die 10. Junii 1776. S. R. C. sententia ordinatum fuit jus patronatus in actis deductum competere fratribus de Perrotta vigore codicillorum, absque onere imposito in testamento qu. Leonardi Durante. Nunc sunt discutiendæ nullitates pro parte D. Francisci Durante productæ, cum interventu Regiorum Consiliariorum Guidotti, & Carpentieri. Advertendum est constare de legitimatione personæ D. Francisci Durante ex fidibus Baptismatis, ex testium depositionibus, ex decreto M. C. V., ex assertis in comparitione olim præsentata anno 1735. a Gabriele Durante, & ex institutione Alexandri in dicta Cappellania, sive Beneficio, quem dicti de Perrotta in decima nullitate, uti patruum dicti Francisci actoris agnoscant.

Prima nullitas eo refertur, quod non solum sententia præ-

prædicta tabulis testamenti adversatur, in quibus Clerici descendentes ex qu. Vincentio, Jo: Paulo, & Nicolao, ac deinde in eorum defectu Sacerdotes domus Durante ejusdem Casalis, ad vocem passivam litteraliter sunt vocati; verum etiam codicillis, in quibus mutatur tantum testatoris voluntas circa jus patronatus activum, de voce autem passiva nulla fit mentio, qua de re notanda sunt codicillorum verba *ratificando prius dictum testamentum, & omnia in eo contenta*. Quid enim sibi volunt postrema hæc verba, nisi ut constantem ostendant testatoris voluntatem in testamento expressam, præter ea, quæ in codicillis expresse testator ipse mutavit? Cum ergo in codicillis de voce passiva nullum adsit verbum, dici non potest mutata neque prima vocatio descendentium ex qu: Vincentio, Jo: Paulo, & Nicolao, neque secunda Sacerdotum alterius familiæ Durante, neque denique tertia vocatio Magistrorum pauperum.

Præterea Leonardus in testamento suo cum delegasset antiquiori de familia facultatem nominandi, non injunxit quidem eidem obligationem præsentandi ex fratribus patruelibus, nam existentibus his descendentibus, directe vocavit eosdem ad fruitionem illius legati, quod prius reliquerat D. Thomæ Durante, & D. Bartholomæo Perrotta; quapropter consequitur vocationem dictorum descendentium immediate & directe a testatore factam non revocari, eo quòd facultatem nominandi alteri testator ipse concessit.

Secunda fundatur in *L. 13. D. de alim. & cibar. leg.*, in qua legitur: *Cajo Sejo trecentum aureos legavit, ut ex usuris ejus summæ libertis cibaria, & vestiaria præstaret, quæ statuerat: codicillis autem eamdem summam vetuit dari Cajo Sejo, sed dari Publio Mævio voluit; quæro, an libertis fideicommissum debeat Mævius? Respondi, Mævium (nisi aliud de quo non dubitaretur, doceat sibi a testatore injunctum) videri secundum voluntatem testatoris recepisse ea onera, quæ adscripta erant ei summæ, quæ in eum

eum codicillis transferebatur. Casus dicti textus omni videtur cum specie de qua agitur convenire; testator antiquiori ex descendentibus dictorum qu. Vincentii, Jo: Pauli, & Nicolai facultatem nominandi reliquit, cum onere tamen eligendi Beneficiatum, seu Cappellanum vel ex familia dictorum Vincentii, Jo: Pauli, & Nicolai, vel ex alia familia domus Durante. Postea in codicillis a dicto antiquiori dictam facultatem nominandi ablatam voluit, atque expresse cavit, ut remaneret in manu Camillæ Durante ejus heredis; Ergo ipsamet heres sustinere pariter debet onus nominandi personas in dicto testamento designatas; atque eo magis in hac specie, ubi ipsamet Camilla, ejusque heredes utpote laici, fructibus ejusdem Cappellaniæ frui non possunt; tenentur enim aliis eorum fructuum commoditatem præbere, quod non ita se habet in specie *d. L.* 13., in qua si onus alimentorum non esset repetitum, secundus legatarius fructus suos faceret.

Additur observantia (hæc pro tertia nullitate allegatur), quæ omnium rerum dubiarum est fidelis interpres, præcipue in ultimis voluntatibus. Post obitum primorum duorum legatariorum D. Thomæ Durante, & D. Bartholomæi Perrotta, semper, & usque ad ultimum Cappellanum defunctum anno . . . dictæ Cappellaniæ possessionem habuerunt vocati in dicto testamento ad vocem passivam, tam ii qui descendentes erant ex linea dictorum qu. Vincentii, Jo: Pauli, & Nicolai, quam alii de alia familia domus Durante ejusdem Casalis; nempe anno 1709. Alexius Durante de alia familia ejusdem Casalis tanquam Sacerdos antiquior ob defectum Clericorum descendentium a qu. Vincentio, Jo: Paulo, & Nicolao, obtinuit in Curia Episcopali Aversana (ut constat ex comparitione ejusdem D. Alexii, & ex decreto ejusdem Curiæ) obtinuit inquam, ut eo legato frui sibi liceret, atque etiamsi fratres de Perrotta appellationem ad Curiam Romanam produxissent, attamen morte qu. D. Laurentii, & D. Nicolai Perrotta adversa-

versariorum, ob Bullas subrogationis a S. Sede habitas dictus D. Alexius decretum favorabile a Curia Aversana consecutus est, ac proinde usque ad ejus mortem possessionem habuit.

Anno 1735. defuncto D. Alexio, D. Gabriel utpote descendens ex qu. Vincentio, uno ex tribus stipitibus, pro institutione institit in Curia Aversana. Huic adversatus fuit Horatius Perrotta, qui testamenti mutationem objecit vigore codicillorum, & cum vidisset malam sibi fore causam, addidit in testamento nullam in perpetuum adesse dictarum familiarum successivam vocationem, sed tantummodo post mortem priorum legatariorum D. Thomæ, & D. Bartholomæi unicam esse vocationem, quæ jam ad effectum perducta fuit per dictum D. Alexium defunctum. Hæc causa die 2. Septembris 1735. ex Delegatione Apostolica finem habuit in Curia Acerrarum, partibus pluries voce, scriptoque auditis, ubi superior dictus Clericus D. Gabriel extitit, tanquam de familia prædicta. Atque insuper observatione dignum est, hujusmodi sententiam non sine maturo consilio latam fuisse, quoniam non solum recognita fuerunt acta a Curia Aversana extracta, partesque pluries auditæ; verum etiam præ oculis habita perpensaque fuerunt dictorum codicillorum verba, ut patet ex copia a Curia Acerrarum extracta, ultimo præsentata, atque ex fide Cancellarii ejusdem Curiæ.

Per annos quinque circiter bona dictæ Cappellaniæ D. Gabriel pacifice possedit, usque ad tempus scilicet matrimonii per eumdem contracti; quocirca cum denuo beneficium vacasset, D. Alexander ejus germanus frater institit pro institutione, uti descendens ex Vincentio, uno ex tribus stipitibus. Hac de causa die 13. Decembris 1741. notificatum voluit Horatium Perrotta, ut ab eo ipse præsentatus esset; & ita sub die 28. Januarii 1742., prævia nominatione ejusdem Horatii, dictus Alexander a Curia Aversana institutionem obtinuit, & inde possessionem.

Nec audiendi ſunt fratres de Perrotta dicentes, voluntariam fuiſſe atque gratioſam præſentationem illam; nam cum in comparitione D. Alexandri vis atque neceſſitas eum præſentandi dicto Horatio inferatur, debebat ille vel alium nominare, vel ſaltem oppoſita per D. Alexandrum negare, ac proinde gratioſe eumdem nominare. Anno 1757. D. Alexander nuptias contraxit; inſtitit D. Franciſcus Antonius tamquam vocatus per ſecundam vocationem in teſtamento contentam, nempe utpote de domo Durante ejuſdem Caſalis: Veritatem agnoſcentes D. Laurentius, & D. Joſephus Perrotta ſub die 20. Aprilis 1757. publico ac ſolemni inſtrumento D. Franciſcum Antonium Durante his verbis nominaverunt: *Nominano il detto D. Francesco Antonio Durante di detto Caſale, come chiamato in detto Beneficio ſeu Cappellania, e per eſſere il più degno e più antico Sacerdote di Caſa Durante di detto Caſale &c.* Subſequitur deinde Procuratoris conſtitutio ad recurſum in Rev. Curia Averſana pro bullis obtinendis.

Nec obſtare poteſt, quod dicti de Perrotta opponunt, dicentes, adfuiſſe tunc temporis Petrum, & Gabrielem Perrotta in prima linea comprehenſos, qui tamen fuerunt excluſi: Non ſunt, inquam, audiendi, quoniam argumentatio noſtra eo refertur, ut teſtamenti Leonardi obſervantia probaretur, quæ evidenter patet ex inſtrumento diei 20. Aprilis 1757. Si enim fuerunt excluſi Petrus, & Gabriel, id aut juſte, aut injuſte evenire potuit; ſi injuſte, actionem habebant ad reſcindendam nominationem, vel etiam appellationem ad ſuperiorem, quod minime curaverunt; ſi juſte, conqueri non poterant, & revera juſte excluſi fuere; Petrus nempe propter facinora ab eo patrata, Gabriel vero ob defectum veniæ ætatis non impetratæ, ut videre eſt ex Curiæ Averſanæ ſententia ſub die 16. Julii 1757. interpoſita; in qua etiam expreſſe dicitur ,, conſtat neminem Presbyterum, neque Clericum extare deſcendentem a linea vocata a fundatore, ipſum Sacerdotem

dotem D. Franciscum Antonium Durante esse antiquiorem ejusdem cognominis substitutum a fundatore prima deficiente linea, prout ex ipsius dispositione, cujus hæc sunt verba: *Ed essendoci Prete, o Clerico di detta linea delli suddetti qu. Vincenzo, Gio: Paolo, e Nicola, detto legato si debba dare al detto Prete, che vi sarà più antico, e non essendoci Prete, o Clerico di detta linea delli suddetti nominati, ed essendoci Prete Sacerdote di Casa Durante di altra linea di detto Casale, si debba dare al detto Sacerdote.*

Ex supradictis omnibus fuit per S. R. C. conclusum, *Referente R. Consil. Avena, cum R. Cons. Guidotti, & Carpentieri adjunctis: Nullitates obstare; ac proinde sententiam S.R.C. latam sub die 10 Julii 1776. esse exequendam, cum onere tamen nominandi personas contentas in testamento qu. Leonardi Durante, servata forma ejusdem testamenti. Neutram partem in expensis.*

Joannes Graziano Act. Mag. -- Lucas Antonius Jacominus Scriba.

In causa Ill. Marchionis Cerveti cum D. Paschale Palomba. Die 26. Septembris 1778.

INspecta apocha banchali solutionis ducatorum centum pro equis emptis, & venditis, ac controversis; relatione peritorum; inspecto etiam decreto termini interpositi sub die 21. Julii elapsi anni 1777., ejusque compilatione: *Referente Regio Consiliario Carradini,*

Actio redhibitoria intra sex menses utiles competit; ac vendito animalium jugo, pro jugo datur, etsi ex venditis animalibus alter tantum vitiosus deprehendatur.

S. C. pronunciavit, *venditionem, emptionemque equorum controversorum inter Ill. Marchionem Cerveti D. Salvatorem Caputo, & qu. D. Ignatium Palomba, esse & fuisse nullam, ac proinde condemnandum esse D. Paschalem Palomba heredem dicti qu. D. Ignatii ad restituendum in beneficium dicti Ill. Marchionis enunciatos ducatos centum, pretium eorumdem equorum, liberata tamen reliqua summa, deposita penes acta præsentis judicii, quæ pervenit ex venditione ipsorum equorum in beneficium D. Paschalis Palom-*

ba; ac pariter condemnandum esse dictum D. Paschalem ad damna, & omnes expensas in ipsa causa legitime erogatas. Ex facto, quod subjicietur, ratio sic judicandi patebit.

Marchio Cerveti D. Salvator Caputo VI. Kal. Octobris anni 1776. binos in hac Civitate ex D. Ignatio Palomba, pro ducatis centum, emit equos, quibus ad rhedam veheretur. Licet boni extrinsecus emptori visi essent, cavit tamen, si quod latens vitium emersisset, se sub amicitiæ fœdere, scilicet bona fide, emere intellexisse, quod in solutione pretii per mensarios de ipsius pecunia venditori facta, sic conceptis verbis explicavit: *E sono (li ducati cento) per prezzo d'un pajo di cavalli dallo stesso vendutimi di tutta mia soddisfazione in riguardo all' esterno. Poi in riguardo all' interno me l' ha venduti da Amico*. Ex equis alter anhelitu laborabat; hinc emptor veterinariæ artis causarum Commissarium XV. Kal. Novembris ejusdem anni adiit, ex ædilitio edicto petens, ut uterque equus redhiberetur, & pecuniam venditor, impensas, & damna restitueret, reficeret, ex eo quod amice sæpe interpellatus, detrectaverat. Venditor contra reposuit, se sincere in contractu monuisse emptorem, quod ex equis alter tussiret, sed ex mutatione stabuli id accidisse: duplicique se exceptione defendit. Prima, quod quadraginta dierum curriculum a die contractus effluxerat, ultra quod porrigi pactum, sub amicitiæ appellatione venditioni adjectum, non poterat. Altera, quod venditor longo itinere equos extra hanc Civitatem, quam egredi pactum non sinebat, transvehere consuevisset. Per Judicem Commissarium Veterinariæ artis Consulibus equorum observatio demandatur: cumque requisitis partibus exploraſsent IX. Kal. Decembris, referunt, alterum ex equis pulmonis morbo affectum, atque vitium a nativitate hausisse. Venditor ex hujusmodi judicio se læsum profitetur; igitur S. C. aliis Veterinariis observationem mandat: Veteri-

teri-

terinarii observant, atque existimant, alterum e duobus equis gravem ducere anhelitum ex angustia pectoris, quem si exercitio subjicere luberet, in phthisim, & paulo post in mortem incidisset. Interea ex consensu partium in licitatione venduntur equi pro ducatis 60., qui pro 65. fuerant æstimati, & pretium deponitur. Dato termino, fit litis contestatio, & defuncto D. Ignatio Palomba, cum Paschale Palomba ejus fratre, & herede judicium continuatur. Cum neque venditor, neque venditoris heres testes ullos nominasset, nominavit, & produxit suos emptor; ex quibus evincitur & proposita conventio, & adfirmasse venditorem se illis equis uti in rheda ab hac Civitate ad Casertanam usque, itaut satis emptori opportuni essent, qui ad Castrum novum, ubi domicilium cum familia fixerat, transvehere debuisset.

His probationibus, gemina Veterinariorum observatione, & confessione venditoris, qui tussire unum ex venditis equis emptori patefecisse asseruerat, licet rem extenuando, ex equilis variatione evenisse diceret, quod nec probatum, nec, si cautio per emptorem adhibita attendatur, verisimile. Non dubitavit S. C. venditorem non satis in venditione bona fide processisse, & morbosum alterum ex equis fuisse, ac proinde redhibitioni esse locum, pretiumque restituendum, tum reficiendas litis expensas, & damnorum rationem habendam. Id præscribitur legibus sub *tit. ff. de ædil. edict.*, præcipue in *L.* 1., ex qua edocemur, tametsi nulla fraus venditoris intercesserit, redhibitoria actione teneri. Neque enim, in ea lege inquit Ulpianus, interest emptoris, cur fallatur ignorantia venditoris, an calliditate: & licet de mancipiis ibi loquatur, posterioribus tamen legibus & de jumentis, & de pecudibus, quin & de ceteris rebus inanimatis loquitur. Nec putandum est, cum alter ex equis morbosus esset, utrosque non potuisse sententiam complecti; nam ex *L.* 34. *& seq.*, & præcipue ex 38. luculentissime statuitur, vendito

ani-

animalium jugo, pro jugo redhibitoriam actionem competere, vel quanti minoris, licet ex venditis animalibus alter tantum vitiosus deprehendatur, quod menti contrahentium, & contractus naturæ congruebat. Hæc etiam duplex exceptio rei conventi actori oberat. Prima enim, quadraginta dies a venditione fluxisse, facto, & jure destituitur. Facto, nam a die venditionis ad illum judicialis interpellationis nonnisi duo super viginti dies intercesserant. Jure, cum exploratum sit ex *L.19. ff. de ædil. edict.* redhibitoriam actionem intra sex menses utiles, quanti minoris intra annum utilem exerceri posse: duobus casibus exceptis, qui in *L. 28.* recensentur, nec ad causam, de qua agitur, faciunt, in quibus redhibitoria actio intra sexaginta dies, æstimatoria intra sex menses concluditur. Alteram exceptionem de usu equorum extra hanc Civitatem, palam est, nec jure consistere, nec pactione niti: ex iis enim, quæ probavit actor, liquet, venditorem, ut magis alliceret emptorem ad emendum, bonitatem equorum magnificasse, itaut ipsis in rheda uti consuevisset ad Casertam usque.

Bonaventura Bonocore Act. Mag.

In causa inter Creditores Patrimonii fratrum de Terami, & Parochialem Ecclesiam S. Sebastiani. Die 20. Decembris 1777.

Ut potior sit pecunia, quæ ad rem reficiendam datur, inter cetera necesse est, Judicem adiri, antequam opus inchoetur.

ANno 1762. a fratribus de Terami uti tutoribus filiorum qu. D. Nicolai Terami deducta fuit in S. C. hereditas ejusdem D. Nicolai, ut creditoribus fieret satis. Exinde facto concursu creditorum, confecta fuit relatio. Inter creditores fuit decimo quarto loco relata Regalis Parochia S. Sebastiani intus Castrum Novum hujus Civitatis pro capitali ducatorum mille, insimul cum annuis ducatis 45. Cum vero dicta Regalis Parochia pro dictis ducatis mille cum annualitate institisset declarari potiorem se jura gaudere super domo in patrimonium deducta,
fuit

fuit decreto discussionis creditum prædictum admissum cum anterioritate a die contractus, nempe diei 10. Julii 1760., quod vero ad prætensam potioritatem terminus ordinarius fuit impartitus, terminusque jam est absolutus. His rationibus Ecclesia ad prætensam potioritatem firmandam innititur: Anno 1760. fratres D. Michael, D. Nicolaus, & D. Raphael Terami cum asseruissent summam ducatorum 5000. in ea domo instauranda impendisse, atque aliis ducatis 917. indigere, ut fabris murariis, aliisque operariis satisfacerent; hac de causa ducatos mille ad annuum redditum a dicta Ecclesia acceperunt, lege adjecta, ut ex iis ducati 917. vinculo subjecti essent, ne in aliam causam possent impendi, præterquam in reficiendam domum, ut dictæ Ecclesiæ jurium cessio fieret ab operariis, quibus ea pecunia erat persolvenda. Constat id ex instrumento, atque ab apochis Banci patet, contractus legem fuisse adimpletam. Creditores vero Patrimonii hæc omnia non sufficere contendunt ad potioritatem adstruendam; nam licet is, cujus pecunia res vel emitur, vel instauratur, ceteris creditoribus sit anteferendus, cum ejus pecunia factum sit, ut res existat, attamen plura requiruntur, nempe quod reparationis necessitas adpareat, & quod pecunia in eam causam revera expensa sit, *L. fin. de exerc. act. L. Procuratoris §. Plane de tribut. act.*, atque alia quæ judici clare debent innotescere, ut omnis fraudis suspicio absit: Hinc praxis inolevit, quod cum res reparatione indigeat, antequam operi manus admoveatur, judicem adiri oportet, qui probata necessitate, & constito postmodum, quod revera pecunia pro ea causa sit expensa, prælationis decretum interponit; quæ omnia cum a dicta Regali Parochia non fuerint adimpleta; præter assertionem enim debitorum, creditrieis, & operariorum, nihil aliud ex actis constat, idcirco

Referente Reg. Cons. Malena,

S.C. decernendum censet: *Non esse locum prælationi petitæ per Regalem Paræciam S. Sebastiani intra Castrum Novum*

vum hujus Civitatis; ac proinde ejus creditum remaneat admissum cum sola anterioritate diei 30. Julii anni 1760.

Joseph Sant' Elia Scriba.

In causa D. Jacobi, & fororum Piovani, cum D. Alexandro, D. Francisco, & D. Petro Romanelli, Die 28. Martii 1778.

Cum absque assensu pecunia Universitati credita sit; nec constet in ejus utilitatem versam fuisse, frustra agitur pro crediti consecutione.

NOnnulli Cives Terræ Ocræ instrumento diei 27. Junii 1594. rogato per Notarium Pandulphum de Pandulphis vendiderunt Flaminio, & Julio Cæsari Alfieri annuos ducatos 51. pro ducatis 600. ab eisdem acceptis. Pecunia vero fuit data pro commodo Universitatis dictæ Terræ, & uti ab ipsa debita fuit descripta in ejusdem statu confecto per Spectabilem Regentem D.Carolum Tappia; qui tamen mandavit, quod attenta deficientia assensus, usuræ deponerentur, donec assensus impetraretur. Anno vero 1641. prædictus Julius Cæsar Alfieri vendidit inter alia bona capitale prædictum, quod sibi divisione obvenit, D. Joanni Mariæ, Octavio, & Philippo Romanelli; qui quidem emptores solutionem promiserunt intra annum, & venditor de evictione teneri voluit. Insuper anno 1642. die 6. Februarii instrumento rogato per Notarium Joannem Vespetti, Artemisia Rivera mater & tutrix Hieronymi Romanelli, D. Joannes Maria, Octavius, Philippus, & Alexander Romanelli emerunt a D. Julio, & Carolo Piovani, & a D. Antonia de Rosis, etiam uti Tutoribus & Curatoribus Francisci, Philippi, Andreæ, Theresiæ, & Barbaræ Piovani filiorum qu. Jacobi quoddam prædium, nuncupatum *la Cascina*, pro pretio ducatorum 12000., in cujus partem cesserunt eisdem Piovani venditoribus supradictum capitale duc. 600., debitum ab Universitate Ocræ, & amplissimam promiserunt evictionem.

Pro executione enunciati contractus fratres Piovani exegerunt ab Universitate Ocræ nonnullas usuras capitalis prædicti; & anno 1687., ob matrimonium contractum inter

inter D. Annam Mariam Piovani, & D. Dominicum Rivera, fuerunt a Joanne Francisco, Jacobo, D. Josepho, D. Alexandro, D. Andrea, & D. Antonio Piovani inter dotes ejusdem dati ducati 280. supradicti crediti, consequendi ab Universitate Ocræ. At cum prædicta Universitas destiterit a solutione usurarum, imo judicium jactantiæ instituerit adversus suos creditores, iidem fratres Piovani anno 1693. petierunt in S.R.C., Universitatem adstringi ad solutionem usurarum annorum octo, quas tunc consequi debebant, deindeque anno 1694. authores laudarunt fratres Romanelli, ut onus litis susciperent, & ipsi aliique detentores prædii ab eisdem empti adigerentur ad idem restituendum, sive ad solvendum tam capitale, quam usuras. Hi vero varia objecerunt, & authores laudarunt heredes qu. Julii Cæsaris Alfieri, a quo ipsis creditum fuerat venditum, quemadmodum Universitas ajebat, ob defectum assensus se ad nihilum teneri.

In hoc statu rerum a Domino Regio Consiliario D. Francisco Solanes die 15. mensis Decembris 1714. fuit datus terminus ordinarius, in cujus compilatione fratres Romanelli tantum probaverunt, Antonium Punzo esse successorem, possessoremque bonorum Julii Cæsaris Alfieri.

Proposita itaque causa in S.R.C. die 7. mensis Junii 1745., fuit interposita sequens sententia: *Universitatem Terræ Ocræ absolvendam esse, prout præsenti nostra sententia absolvimus ab impetitis pro parte D. Ignatii, D. Scipionis Rivera, atque D. Alphonsi, D. Alexandri, & aliorum Piovani: necnon visis prædictis comparitionibus, condemnandos esse, & condemnari debere, prout condemnamus D. Dominicum, & alios de Romanelli, nominibus ut ex actis, ad solvendum nempe in beneficium supradictorum Piovani ducatos 320., una cum interesse, ad rationem ducatorum quinque pro quolibet centenario, pro tempore liquidando: & in beneficium prædictorum de Rivera ducatos 280., una cum eodem interesse, pro tempore similiter li-*

quidando. Necnon visa alia comparitione condemnandum esse, prout condemnamus Mutium Punzo ad reficiendum in beneficium dictorum Romanelli in bonis hereditariis qu. Julii Cæsaris Alfieri omne totum, & quidquid interest, vigore nostræ sententiæ, salvis juribus prædicto D. Mutio Punzo contra heredes illorum civium, qui sub die 7. mensis Junii 1594. vendiderunt annuos ducatos 51. pro capitali ducatorum 600. in beneficium Flaminii, & aliorum de Alfieri vigore instrumenti.

Adversus quam sententiam per fratres Romanelli fuerunt proposita novem nullitatum capita; quibus discussis,

Referente Reg. Cons. Mazzocchi,

per S. C. decretum est: *Rejiciantur nullitates prædictæ etiam attento tenore ipsarum; & visis decretis præambuli qu. D. Gasparis, D. Horatii, D. Ignatii, & spectantiæ D. Scipionis de Rivera, sententia S.C. executioni mandetur pro toto credito in beneficium magn. D. Jacobi, & aliorum Piovani: necnon visa supplicatione in actis exhibita, explicando provisionem in præcitata sententia reservatam respectu liquidationis quoad tempus solvendi usuras, ad rationem in eadem sententia ordinatam, in biduo audiantur Partes.*

Ex prænarratis eruitur, litem fuisse, an fratres Romanelli tenerentur de evictione pro capitali ipsis debito ab Universitate Ocræ, & ab eis cesso fratribus Piovani; & an personæ actorum, reorumque pro legitimis essent habendæ; & S.C. omnino utrumque certum putasse.

Cum enim non ambigeretur de cessione supradicti crediti contra Universitatem Ocræ cum ampla evictionis promissione, ut patet ex instrumento, cumque Universitas ad solutionem adigi non posset secundum *Pragm.* 18. *de admin. Univer. & L.* 3. *ff. quod cujusq. Univ. nom.*, & *L. Civitas* 27. *ff. de rebus cred.*, tum quia debitum absque assensu contraxit, tum quia non constat pecuniam in ejus utilitatem fuisse versam; hinc S. C. supradictam sen-

fententiam effe pronuntiandam , & in gradu nullitatum confirmandam cenfuit, qua Univerfitatem ab impetitis abfolvit, & damnavit fratres Romanelli ad evictionem præftandam fratribus Piovani, & his heredes Alfieri, ex *LL. 9. & 17. Cod. de evict.*

Quantum vero ad actorum perfonas, S.C. eafdem pro legitimis habuit; nam ex inftrumento divifionis, & ex atteftatione Adminiftratorum Civitatis Aquilæ liquido patet, Francifcum, & Joannem Francifcum Piovani non diverfas perfonas, fed unam eandemque effe; quod etiam patet de Julio & Julio Antonio, ex duobus inftrumentis, ex citata atteftatione, & ex documentis baptifmatis.

Et refpectu reorum, quamvis non conftet de heredibus ipforum omnium, ambigendum tamen non eft, D. Alexandrum juniorem, D. Petrum, & D. Francifcum Romanelli effe heredes Octavii & Alexandri, qui in folidum cum aliis cefferunt prædictum creditum, & evictionem ejufdem promiferunt; quod efficit ut eorum heredes in folidum teneantur; eo vel magis quod prædium *Cafcina* dictum, in cujus pretii partem fuit creditum ceffum, ab ipfis poffidetur, ut ex eorum declaratione, & ex inftrumento divifionis; ex quo pariter patet, non obftare fideicommiffum, cui prædium prædictum fuit deinde fubjectum; nam antea, cum fuit emptum, pro ipfo credito fuerat jam obligatum.

Et demum ideo S.C. decrevit, ut totum dictum creditum, comprehenfis ducatis 280. dotalibus Annæ Mariæ Piovani, folvatur D. Jacobo aliifque Piovani, quia conftat etiam hanc partem ad ipfos pertinere ex præambulis D. Ignatii, D. Horatii, & D. Gafparis Rivera.

U.J.D. Joannes Maria Graziano -- Jofeph del Duca Scriba.

In causa Universitatis Terræ Bussi Provinciæ Comitatus Molisii cum Ill. Duce Oratini D. Joseph Giordano utili Barone Terræ prædictæ. Die 26. Septembris 1778.

Jus prohibendi exercere nequeunt Barones, nisi peculiari privilegio, vel legitima præscriptione acquisiverint; etiamsi Universitatis confessio iis faveat.

INspecto supplici libello Universitatis terræ Bussi, decretis diei 30. mensis Junii currentis anni 1773., & diei 28. Junii 1774.; termino ordinarie dato virtute præcitati decreti diei 30. Junii 1773., atque cartularie composito; libello nomine Ill. Ducis Oratini, atque omnibus actis:

Referente Regio Consiliario Guidotti,

S. C. pronunciavit: *Universitatem Terræ Bussi esse absolvendam a petitis per Ill. Ducem Oratini D. Josephum Jordanum, utilem Baronem Terræ prædictæ, quoad prætensum jus prohibendi super furno feudali, per eumdem Baronem in eadem Terra possesso: in quo tamen Cives accedere teneantur, dummodo æque commode, & cum eadem præstatione, ac in aliis furnis, panem coquere possint, non impedita Civibus facultate construendi, & habendi furnos.*

Insuper, eamdem Universitatem esse absolvendam a petitis per eumdem Ill. Ducem quoad præstationem annuorum ducatorum centum ab anno 1755. usque ad an. 1766: Ac proinde ducatos tricenos sexaginta, per eamdem Universitatem, causa antedictæ præstationis usque adhuc virtute decreti S. R. C. diei 30. mensis Januarii 1773. depositos, esse liberandos in beneficium præfatæ Universitatis; & non esse molestandam pro reliquis quantitatibus usque ad prædictum annum 1766. Salva provisione facienda pro quantitatibus ab eodem Ill. Barone ante annum 1755. exactis: Et salvis juribus eidem Ill. Duci, si quæ competunt, pro resolutione Capitulationum, anno 1667. inter eamdem Universitatem, & qu. Ill. Marchionem Alvignani D. Octavium Capycium, tunc temporis utilem Baronem Terræ prædictæ, initarum.

Et demum, firma remanente præstatione quantitatum fru-

frumenti decursarum ab anno 1755. usque ad ann. 1766., ad rationem annuorum modiorum octoginta ex causa furni Baronalis, ordinata in beneficium præfati Ill. Ducis virtute præcitati decreti S. R. C. diei 30. mensis Junii anni 1773., eadem Universitas non molestetur pro annuis quantitatibus ab eodem Ill. Duce ex causa prædicta ab anno 1766. in posterum prætensis. Neutram partem in expensis.

Tria erant, quæ inter Ill. Oratini Ducem D. Josephum Jordanum, & Universitatem Terræ Bussi contendebantur. I. An scilicet adesset jus prohibendi super furno feudali in Terra prædicta per eumdem Ill. Ducem possesso. II. An ipsi Duci deberentur annui ducati centum, ab anno 1755. usque ad annum 1766., a præfata Universitate virtute cujusdam conventionis anni 1667., donec viveret Octavius Capycius Marchio Alvignani, utilis tunc temporis Dominus Terræ Bussi, promissi. III. Denique, an eadem Universitas ipsimet Duci Oratini præstare teneretur octoginta modios frumenti in singulis annis ab anno 1755. usque ad annum 1775., prædicti furni Baronalis causa, ab eadem Universitate anno 1729. conducti.

Quoad primum attinet, perpensum fuit, nefas esse Baronibus quæcumque jura prohibitoria in vassallos exercere: exceptis iis, qui hujusmodi jura vel peculiari privilegio, sive legitima præscriptione, aut consuetudine legitime præscripta, acquisiverunt, *Pragm. 14. de Baronib.*

Nihil profecto, dicta die ordinaria in causa, edidit Ill. Dux Oratini, utilis nunc Dominus Terræ Bussi, in argumentum prætensi juris prohibendi super furno, seu taberna pistoria, per eundem ibi possessa. Huic potius adversantur scripturæ in actis exhibitæ; siquidem in prima investitura feudi anni 1458. nec mentio aliqua fit furni. In releviis vero annorum 1552. & 1589., & in comparatione hujus feudi anno 1708. facta per antecessores prædicti Ill. Ducis, licet mentio fiat furni, uti feudalis; attamen

tamen ne verbum quidem de prætenso jure prohibendi. Et cum jura libertatis non amittantur, nisi ex quo tempore intercessit prohibitio, aut coactio, eique paritum sit cum sufficienti consensus significatione; hinc ita decernendum S. R. C. autumavit.

Nec obstat, Universitatem instrumento anni 1729. fassam fuisse hujusmodi jus prohibendi. Hoc siquidem instrumentum, præterquamquod Regio assensu caret, explorati juris est, nullum præjudicium juri suo comparare qui servitutem fatetur, *L. 6. 22. & 24. C. de liber. caus.*; præsertim quum scripturam dare contra propriam libertatem compulsum fuisse testetur, *d. L. 6. eod. tit.* Quod profecto in contractibus inter Baronem, Universitatemque ei subditam, jure arguitur.

Quoad secundum, extra omnem dubitationis aleam positum erat, præstationem annuorum ducatorum centum fuisse temporaneam, durante nimirum vita Octavii Capycii, Marchionis Alvighani, utilis tunc temporis Domini Terræ Bussi. Ita sane dilucide legitur instrumento anni 1667. Ita quoque habetur in Regio assensu super obligatione contracta per Universitatem causa præstationis prædictæ, eodem anno 1667. obtento, & ab ipso Oratini Duce exhibito. Si igitur stipulatorem id egisse, ne heres ejus peteret, palam est; pacti conventi exceptione actor erat summovendus, *L. 56. §. qui ita, de verb. oblig.*, *L. obligationem 43. §. 1. de oblig. & act.*

Neque obstat, quod Universitas in Concilio anni 1752., Regio assensu pariter destituto, hujusmodi præstationem in beneficium Ill. Ducis Oratini firmaverit. Nam si nefas est Universitatibus conventiones absque Regio assensu inire; atque ita initas nullius momenti esse ac roboris jura cavent, *Pragm. 11. & 12. de admin. Univers. Pragm. 8. de Commissar.*; quanto magis hoc locum obtinet in conventione inter Baronem, & Universitatem ei subditam tempore suspecto initam, & absque decreto *quod expe-*

expedit, nempe posteaquam a Regia Camera eidem Baroni mandatum fuerat, titulum dictæ præstationis exhiberi.

Tertio, quum denique non ambigeretur, Universitatem ipsam anno 1729. conduxisse furnum feudalem, pacta mercede modiorum octoginta frumenti singulis annis præstandorum, illoque, ut voluit, usam fuisse; par erat firmam habendam esse hujusmodi præstationem ab anno 1755., quo fuit contracta, usque ad annum 1766., quo virtute decreti qu. Regii Consiliarii D. Januarii Carissimi hæc locatio & conductio fuit resoluta: posthabitis jure merito Ill. Ducis Oratini postulatis pro illorum præstatione usque ad annum 1775., quum liqueret, Universitatem ipsam usque ab eo tempore furnum præfato Ill. Duci lubenter obtulisse.

In causa D. Joannis Petri Elia cum conjugibus D. Augustino, & D. Elisabeth d'Elia. Die 15. Decembris 1778.

Paragii definitio a prudenti Judicis arbitrio pendet, inspectis patris substantiis, liberorum numero, viri, ac mulieris qualitate, atque regionis more.

ANno 1762. D. Elisabeth Elia cum D. Augustino Elia Terræ Casarani clandestino connubio se copulavit, quadere D. Joannes Petrus Elia pater dictæ D. Elisabeth querelam proposuit in Regia Audientia Hydruntinæ Provinciæ, & identidem institit in Curia Episcopali Neritonensi, ut matrimonium prædictum nullum declararetur. Postmodum vero anno 1764. fuit a dicta Curia matrimonium prædictum validum pronunciatum, ideoque thori etiam conjunctio successit. Hinc anno 1765. conjuges prædicti actionem in S. C. instituerunt super paragii liquidatione, ac expensarum refectione, & a Domino causæ Commiss. fuit terminus ordinarius impartitus, & in causam declarandam fuerunt dictis conjugibus liberati duc. mille. Absoluto termino, fuit causa prædicta compromissa in personam U.J.D. D. Nicolai Farina, qui arbitrando existimavit condemnare dictum D. Joannem Petrum ad solven-

vendum dictæ D. Elisabeth ejus filiæ pro paragio prædicto tam super bonis paternis, quam avitis duc. 5624. & ass. 51., cum usuris duorum cum dimidio in centenos a mense Augusto 1762. usque ad diem 12. Decembris 1764., & exinde in antea quinque in centenos, deductis quantitatibus receptis, imputandis prius in causam usurarum, exinde in causam sortis dicti paragii, salvis tamen juribus dictæ D. Elisabeth pro paragio super bonis D. Petronillæ Elia ejus matris, secuto ejusdem obitu. Contra vero arbitratus est, condemnari oportere dictos conjuges ad restituendum dicto D. Jo: Petro prædium dictum *lo Peticchio*, eis assignatum pro duc. 600.; ac esse partes circa reliqua ad invicem absolvendas. Arbitri judicium fuit per dictos conjuges conditionaliter acceptum, fuit vero remedio nullitatum impugnatum a dicto D. Jo: Petro, & cum nullitates prædictæ essent discutiendæ in S.R.C., institerunt dicti conjuges pro laudi executione, ac refectione expensarum; proindeque de justitia prædicti laudi quærere oportuit. Coram Arbitro tantummodo de paragii quantitate dictæ D Elisabeth debiti quæsitum est. Hæc sua jura præcipue ab avi, nempe D. Hyacinthi Elia testamento repetebat; ille enim, instituto herede D. Jo: Petro filio, quem in potestatem habebat, quod ad ejusdem D. Jo: Petri filias in hunc modum mentem suam expressit: Item *lega esso Testatore*, & jure legati *lascia*, *che detto suo generale erede sia tenuto, ed obbligato dare alle sue nipoti, e figlie di detto suo generale erede Claudia, ed Elisabetta, e Marianna, ed altre femine, che potranno nascere, duc.* 1800. *in cadauna in tanti stabili, se vorranno vivere celibi, e restarsene in casa; ed in caso che si mariteranno, o si vorranno monacare in qualche Monastero, darli, ed assegnarli la dote di paragio, cioè maritandosi quella dote che l'aspetta secondo lo stato loro, e monacandosi la dote, che richiede lo stato del Monastero; perchè così è la volontà di esso Testatore*. Contra tamen D. Jo: Pe-

Petrus contendebat, paragium ab avo legatum non instar legitimæ, sed habita ratione conditionis personarum, moris Provinciæ, qualitatis mariti æstimandum esse, unoque verbo paragium non aliud esse oportere, nisi quod sufficeret, ut mulier pari nubere posset; neque filiæ, patre vivente, ad legitimam super patris patrimonio petendam jus esse. Hæc vero Arbitrum minime removerunt, quin paragium ad instar legitimæ liquidandum esse existimaverit pro ducatis 5624. & ass. 51., cum avitum, ac paternum patrimonium usque ad ducatos 56245. 17. Arbiter ipse auxerit, additis nonmodo ducatis 12000., quos arbitratus est existere in patrimoniis tam avi, quam patris in pecunia numerata, auro, argento, ceterisque mobilibus, verum etiam aliis ducatis 3697. pro majori pretio rurum *Vecchie*, & *Celsi* nuncupatorum, ultra id, quod Regius Architectus Volpicella existimaverat; & cum in computatione legitimæ a filiorum numero D. Claudiam jam anno 1765. nuptam excluserit, reservatis insuper juribus dictæ D. Elisabeth pro paragio super bonis maternis. At S. C. in nullitatum discussione plura animadvertenda esse censuit; & primo pro dote de paragio legata, nihil aliud intelligi oportere, nisi eam dotem, quæ inter pares constitui solet; paragii enim vocabulum juri communi ignotum, quod ex Constitutione Regni ortum habuit, nihil ultra denotat: quadere in ejus æstimatione nulla certa regula definiri potest; sed a prudenti Judicis arbitrio dependet, inspectis patris substantiis, mulieris, ac viri qualitate, filiorum numero, ac regionis more, *L. cum post §. gener. de jur. dot. L. 40. si filiæ pater de legat. 3. L. 61. ff. de jur. dot. L. 7. 8. ult. C. de dot. promiss. L. 25. & 28. ff. de reb. dub. Constit. In aliquibus tit. 26. de successione filiorum Comit. & Baron.*; idque colligitur etiam ex verbis testamenti, ac mente testatoris, qui dote de paragio juxta nuptarum statum legata iis, quæ matrimonio copularentur, ceteris, quæ cœlibem vitam ducere elegissent, non ultra,

quam ducatos 1800. reliquit, ideoque in eamdem quantitatem nubentium dotem pariter statuere voluisse credendum est, exemplo alimentorum legatorum ex *L. 22. de alim. & cib. leg.*, *& L. si Servus plurium 53. ff. de legat.1. & L. 21. §. 2. ff. de testam.*, *& qui testamenta facere possunt*, *& L. 34 ff. de reg. jur. L. 73. ff. de legat.* 3. Deinde dotem, quæ in Terra Casarani, imo in Universa Hydruntina Provincia puellis honestioribus constitui solet ducatorum 1000., 1500., 2000., 2500., aut 3000. non excedere. Insuper D. Mariannæ Elia sorori dictæ D. Elisabeth, quæ anno 1776. D. Quintino de Tomaso ex primoribus urbis Gallipolitanæ nuptui tradita fuit, non ultra, quam ducatos 2500. dotis nomine constitutos fuisse, superaddita renunciatione bonis paternis, maternis, & quæ quocumque ex latere obvenire possent. Neque prætermittendum esse, quod quamvis nuptiæ, a D. Elisabeth, sine patris consensu contractæ, patrem, cujus officium est dotem pro sua dare progenie, *L. ult. C. de dot. promiss.*, ab obligatione dotandi filiam non exonerarent; attamen contra honestatem, & honorem patri debitum culpam admittere filiam absque patris voluntate nubentem, *argum. nov. Constit. 115. cap. 3. argum. L. 19., & Auth. Ut cum de appellat. ff. de inoffic. testam.*, *& L. 3. §. 3. ff. de bonor. possess. contr. tabul.*, atque hujusmodi exempla satis damni in Republica afferre, negari nequit; quæ omnia dotis imminutionem potius, quam augmentum inducere fatendum est, ne filiæ, quæ officia erga patrem a natura ipsa ingenita præstitit, durior reddatur conditio: Quod vero attinet ad jura eidem D. Elisabeth Laudo prædicto super bonis maternis reservata, S.R.C. reputans, materna bona ducatorum ferme 16000. summam efficere posse, & hac quantitate ad patrimonium paternum augendum superaddita, paragium ducatis 3500. existimavit. Quadere, rejecto Arbitri judicio, S.R.C., ut finem litibus imponeret *L. 37. § quæsitum, & L. 3. §. 2. ff. de recept. Arbit., & Pragm.*

de

de arbit., & ut morem apud omnes receptum servaret, utque deinceps nulla dissidii causa prorsus oriretur, oportere putavit, ut dicta D. Elisabeth, maternis bonis debeat renunciare: ubi vero Arbiter a die contracti matrimonii, nempe a mense Augusti anni 1762. usque ad 12. Decembris anni 1764. dimidium usurarum conjugibus prædictis tribuerat, idem S.C. integras usuras solvendas esse decrevit, demptis tamen quantitatibus a dicto anno 1762. in posterum receptis. Usuræ enim compensandi causa onera matrimonii debentur, *L.* 20. *Cod. de jur. dot. Cap. Salubriter de usur.* Contendente tamen patre, se a die matrimonii clandestini alimenta filiæ, atque omnia quæ ad vitam necessaria sunt, cum in Monasterio degeret, præstitisse, S.C., uti usuras solvendas etiam pro refectione damni hucusque a viro passi decrevit, ita alimentorum præstitorum a patre rationem haberi oportere, proindeque ex usuris alimentorum quantitatem subducendam censuit, *L.* 206. *ff. de reg. jur.*

Idcirco referente Reg. Cons. Malena,

idem S.C. ita pronunciandum putavit: *Nullitates propositas pro parte magn. D. Jo: Petri d'Elia obstare, ac proinde Laudum prædictum exequatur pro summa ducatorum* 3500., *quæ cedat pro omni, & quocumque jure D. Elisabeth d'Elia spectante tam super bonis avernis, quam paternis, ac maternis; pro quo effectu condemnetur dictus D. Joannes Petrus ad solvendum conjugibus D. Augustino, & D. Elisabeth d'Elia summam prædictam, una cum interesse, immuni a quocumque onere, ad rationem quinque pro singulis centenis a mense Augusti anni* 1762., *demptis quantitatibus a dicta die usque adhuc receptis, imputandis prius in causam interusurii, exinde in causam sortis, seu paragii dictæ D. Elisabeth debiti; ac proinde fiat calculus per Scribam causæ partibus requisitis, & conjuges prædicti restituant D. Joanni Petro d'Elia territorium nuncupatum* lo Peticchio *eisdem assignatum pro ducatis* 600., *de quibus habeatur ratio in calculo per dictum Scribam cau-*

sæ faciendo; ac tempore solutionis teneantur dicti conjuges renunciare omnibus, & quibuscumque juribus dictæ D. Elisabeth forsan pertinentibus tam super bonis avernis, quam paternis, ac maternis. Respectu vero aliorum hinc inde deductorum, partes absolvantur ad invicem.

Vincentius Basile Act. Mag. -- Cajetanus de Bisogno Scriba.

In causa D. Petri, & D. Thomæ dello Jojo cum D. Laurentio de Ingenito. Die 17. Decembris 1778.

Referente Regio Consiliario Boraggine,

Qualitas jurispatronatus, cum fundationis scriptura desit, ex longæva observantia determinatur.

S. R. C. visis omnibus actis, pronunciavit: *Jus patronatus Cappellaniæ, sive laicalis Beneficii sub titulo S. Mariæ Gratiarum Civitatis Graniani, erecti in Ven. Ecclesia S. Mariæ de Castro dictæ Civitatis, spectavisse & spectare ad D. Petrum dello Jojo uti heredem qu. Orlandi dello Jojo donatarii qu. Jo: Baptistæ Cauciello, oppositis a D. Laurentio Ingenito non obstantibus: ac proinde Rev. D. Thomas dello Jojo immittatur in possessionem Cappellaniæ, sive Beneficii prædicti tamquam nominatus a dicto D. Petro ejus patre; & sequestrum tollatur. Nihil in expensis.*

Juris, factique argumenta jus patronatus, de quo agitur, hereditarium esse apertissime demonstrant. Quum enim ipsa fundationis scriptura omnino deficiat, non aliter veritas exquirenda, quam ex longæva observantia, argumento *L. 37. ff. de legib.* Inficiari nemo potest, Rectores omnes ab anno 1604. in posterum a solis masculis de familia Cauciello fuisse præsentatos, uti heredibus qu. Danielis Cauciello, qui hujusce patronatus usumfructum legavit Rev. Sacerdoti D. Paulo de Martino, relicta filiis proprietate. Hujusmodi divisio perfici non poterat, nisi jus illud hereditarium fuisset. Extincta autem familia de Cauciello, defunctisque Jo: Baptista, & Carolo ultimis de eadem familia, sine descendentibus; nil quidem vetuit jus patronatus ad alteram familiam donationis titulo ab ipsis

ipsis transmitti, *Cap. Ex insinuatione, Extrav. de jure patr.*; proindeque legitima debet reputari alienatio ab eis facta in beneficium D Orlandi Jojo. Neque obstat, quædam alia bona hereditaria familiæ de Cauciello nunc extare in patrimonio domus de Ingenito. Quum enim compertum sit, Joannem Jacobum Cauciello scripsisse sibi heredem Augustinum filium, eique Victoriam de Rosa uxorem suam substituisse; inde factum, ut bona hereditaria ab Augustino ad Victoriam, & a Victoria ad Claudiam, ejusque descendentes transierint. Jus patronatus contra ad Augustinum, & Franciscum Cauciello fratres pervenit jure legati. Quum igitur dictorum fratrum solus Franciscus relictis liberis, decesserit; nulli dubium, Francisci filios legitime donasse. Nec Claudiæ heredes ullam possunt experiri actionem, quia ipsa, uti mulier, masculis extantibus, excluditur, *Const. Regni In aliquib. tit. de success. fil. com. &c.*

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag. -- Joannes Scarola Scriba.

In causa D. Josephi Laurentii, & D. Marii Nicolai de Piccolo cum D. Joanne Antonio Piccolo. Die 19. Decembris 1778.

Referente Regio Consiliario Guidotti,

S. R. C. pronunciavit, *non adesse primogenituram in testamento qu. Joannis Antonii Piccoli senioris: neque adesse fideicommissum super bonis hereditariis ejusdem; ac proinde licere D. Josepho Laurentio, & Rev. D. Mario Nicolao fratribus de Piccoli, uti eorum jure pro deductis in eorum supplicationibus; Salva provisione facienda quoad existentiam necne fideicommissi super rure nuncupato Moscanina, secuto obitu dictorum D. Josephi Laurentii, & D. Marii Nicolai: Insuper eumdem D. Josephum Laurentium esse absolvendum a petito per D. Joannem Antonium Piccoli ejus filium augumento alimentorum: Salvis eidem juribus, si quæ competunt, adversus instrumentum diei 3. mensis Julii anni 1766. Neutram partem in expensis.*

Ex præscripta inter heredes bonorum communione nulla elicitur fideicommissi conjectura; neque conjectura majoratus a prohibitis secundogenitorum nuptiis erui potest.

Age-

Agebatur, an qu. D. Joannes Antonius Piccoli senior in ejus testamento anni 1721. (quo Clericum Joannem Paulum, Josephum Laurentium, & Marium Nicolaum suos filios heredes pro æquis partibus scripsit) bona, quæ in ejus hereditate remanserunt, perpetuo fideicommisso subjecisset; primogenituramque ordinasset tam super bonis prædictis, quam super rure præsertim nuncupato *Moscanina*; quod virtute substitutionis ordinatæ in testamento qu. D. Josephi Piccoli anni 1718. eorum propatrui, ipsis D. Joanni Paulo, D. Josepho Laurentio, & D. Mario Nicolao jure proprio pervenerat. D. Joannes Antonius Piccoli junior, præfati D. Josephi Laurentii filius primogenitus pro existentia tam primogenituræ, quam fideicommissi contendebat. Contra vero (defuncto jam D. Jo. Paulo) pro libertate bonorum, & exemptione ruris dicti *Moscanina* ab onere tam prætensæ primogenituræ, quam fideicommissi, D. Josephus Laurentius, & Rev. D. Nicolaus fratres de Piccoli pugnabant; ea potissimum ratione moti, ut D. Joanni Paulo filio secundogenito ipsius D. Josephi Laurentii, uxorem darent, quum prædictus D. Joannes Antonius primogenitus (licet decem & octo ab hinc annis, invito patre, uxorem haberet) filios neutiquam procreasset.

Re plene discussa, S. R. C. constanti omnium calculo pronunciavit: *Non adesse primogenituram in testamento qu. D. Joannis Antonii Piccoli senioris; neque adesse fideicommissum super bonis hereditariis ejusdem: Ac proinde licere D. Josepho Laurentio Piccoli uti jure suo pro deductis in ejus supplicationibus*. Siquidem in testamento, quod proferebatur, nulla de prætenso majoratu, seu primogenitura reperitur ordinatio. Imo forma omnis, sive ratio primogenituræ tam verbis adversatur, quam voluntati ipsius testatoris, qui tres filios habens, eos pro æquis partibus heredes scripsit; quique pariter inter filios coheredes omnimodam bonorum communionem voluit. De fideicommisso dein super bonis, quæ in ejus hereditate remanserunt, nulla earum,

quæ

quæ ex legibus consequuntur, conjectura proponebatur. Vix etenim simplex reciproca substitutio inter eosdem filios primi gradus legitur, nulla liberorum ab ipsis descendentium facta mentione: *Morendo uno di detti suoi figli ed eredi, succedano gli altri superstiti, e l' uno succeda all' altro, e l' altro all' uno nel caso predetto*: adeo ut ne minimum quidem huic speciei vulgaris illa quæstio conveniret: An filii in conditione positi censeantur dispositive vocati. Et frustra pro inducendo fideicommisso conjectura eliciebatur ex præscripta inter heredes communione, ac vetita inter eosdem divisione bonorum: *Comanda, che detti suoi eredi debbano sempre vivere pro communi & indiviso... e che in conto alcuno non possano cercar divisione*: Atque æque incassum pro inducenda primogenitura argumentum proponebatur ex præcepto non nubendi filiis secundogenitis indicto: *Vuole che di detti suoi eredi si possa solo casare il maggiore, il quale presentemente è il detto Gio: Lorenzo Piccoli, stante D. Gio: Paolo, maggiore di quello, si trova Clerico... E casato detto maggiore, che gli altri non si debbano casare, ma solo in caso che il casato non procreasse figli sino a certa età, che si supponesse non poterne procreare... E questo vuole esso testatore, che si osservi inviolabilmente da detti suoi eredi e successori in futurum per lo spazio di cento anni: E questo a sol fine che la Casa di esso testatore non venga a deteriorare, stimandosi ciò da esso testatore spediente, utile e necessario*. Nuda equidem hæc sunt præcepta, quæ nihil ad fideicommissum, sive prætensam primogenituram pertinent; quæque nullam obligationem pariunt, & ad consilium potius rediguntur, *L. Pater filium §. fundum, & §. pater filios de legat. 3., Cujac. & DD. hic*. Imo quum præcepta hæc, sive conditiones a jure abhorreant, *L. 14. §. si conveniat de commun. divid. L. 14. pro socio, L. 5. C. commu. divid. L. 72. & 74. de condit. & demonstr.*, pro non scriptis sunt habendæ, *L. 14. de condit. instit.*

Re-

Rejecto igitur fideicommisso e bonis hereditariis qu. D. Jo: Antonii senioris; atque eliminata prorsus primogenitura e testamento ejusdem; idem S. R. C. provisionem sibi dumtaxat reservavit quoad existentiam necne prætensi fideicommissi super rure nuncupato *Moscanina*, secuto obitu D. Josephi Laurentii, & Rev. D. Marii Nicolai, fratrum de Piccoli, perpensis melius illis verbis, quæ pro rure prædicto ad fratres ipsos, alias jure proprio, uti dictum est, pertinente, in testamento prædicti qu. D. Joannis Antonii subjunguntur: *Item vuole esso testatore, che detti suoi eredi non possano in conto alcuno dividersi la suddetta massaria di Moscanina: ma vuole, che quella si goda, e posseda da detti suoi figli ed eredi interamente, & pro communi & indiviso, e da loro eredi e successori per lo spazio di cento anni. E caso che uno o più di detti suoi eredi tentasse la divisione suddetta, il medesimo resti privo dell'eredità di esso testatore, e quella si accresca agli altri; e che il medesimo controveniente sia tenuto soddisfare agli altri coeredi obbedienti la rata a se spettante del credito, ed azioni, che esso testatore rappresenta su di detta massaria.*

Censuit denique S. R. C. esse absolvendum eundem D. Josephum Laurentium a prætenso per D. Joannem Antonium juniorem ejus filium augumento alimentorum; siquidem alimenta hæc instrumento diei 3. mensis Julii anni 1766. constituta reperiuntur: Neque contra illud cujuscumque generis querela usque adhuc proposita fuit. Jura tamen, si quæ ei competant, adversus instrumentum prædictum experiunda in alio judicio reservavit, juxta etiam juris dispositionem in *L.* 8. *C. de transactionib.*

Joseph Ant. Maria Pezzella Scriba,

Ig

In causa D. Franciscæ Castiglione cum ejus sorore D. Magdalena. Die 22. Decembris 1778.

Referente Regio Consiliario Corradino,

Visis actis, ac supplicatione D. Franciscæ Castiglione, S. R. C. declarat, *non adesse in testamento qu. D. Joachim senioris substitutionem in feudis Trottæ, & Trusigni jam distractis, & Appignani in beneficium D. Franciscæ Castiglione ejus neptis: Ac proinde dicta D. Francisca immittatur in possessionem dicti feudi Appignani, vigore testamenti qu. Baronis D. Nicolai Antonii Castiglione ejus patris, cum onere tamen gravaminis in dicto testamento contenti in beneficium Ill. Marchionissæ D. Magdalenæ Castiglione pariter filiæ dicti qu. D. Nicolai Antonii; detracta legitima dictæ D. Franciscæ debita, collatis dotibus, prout de jure; pro cujus liquidatione fiat per Scribam causæ, requisitis Partibus, relatio bonorum, & onerum hereditariorum dicti qu. D. Nicolai Antonii; Et interim dicta D. Magdalena Castiglione immittatur in possessionem tenutæ dicti feudi Appignani: Verum de fructibus percipiendis, servata forma locationum ejusdem feudi, & bonorum intra fines ipsius comprehensorum teneatur deponere tertiam partem in publico Banco, & penes acta S.C. Necnon liberentur ex deposito fructuum, sive pecuniarum, quæ ex locatione dicti feudi pervenient a die sequestri duæ tertiæ partes dictæ D. Magdalenæ; Salva provisione facienda in qualibet parte dictæ relationis, sive ejusdem discussionis super liberationibus dictæ tertiæ partis fructuum tam in deposito existentium, quam perveniendorum, & deponendorum per dictam D. Magdalenam, in beneficium dictæ D. Franciscæ Castiglione; & tollatur sequestrum super dicto feudo. Neutram partem in expensis condemnando.*

Substitutio per fideicommissum filio sine filiis decedenti facta, evanescit filiis susceptis.

Cum de feudo agatur, cui qualitas hereditaria adnectitur, licet Possessori super pretio heredem gravare.

Joachim Castiglione anno 1770. supremis tabulis heredes scripsit æquis partibus ejus filios Nicolaum, Xave-

rium, & Joannem; & jure legati, & peculiaris institutionis majori natu Nicolao reliquit ejus feuda, inter quæ Castrum Appignani; adjecta lege, ut ipso sine filiis decedente, succederet Xaverius, hoc deficiente, Joannes; quo pariter ita decedente, ex ejus filiabus major natu, & deinceps, quæ secundo, & tertio loco nata esset, si reperiretur; hisque omnibus deficientibus, proximioribus sui cognominis, sive lineæ deferrentur. Cum filii paternum judicium & agnovissent, & sequuti essent, Nicolaus ex Angela de Torres ejus uxore novem habuit filios, ex quibus duos masculos, Joachimum, & Josephum. Ex fœminis majorem natu Franciscam anno 1733. Joanni Gabrieli Valignano nuptui dedit, dote constituta in ducatis 2500., quibus accesserunt alii ducati 500. per Joannem Castiglione Franciscæ patruum promissi; qui non multo post soluti fuerunt; adjecta renunciatione cuivis successioni, sive ex testamento, sive ab intestato, usque ad tempus nuptialium tabularum, & in posterum ab intestato tantum.

Anno 1749. conjuges Francisca, & Joannes Gabriel judicium in S. C. de inofficiosa dote adversus patrem, eundemque socerum moverunt, atque petierunt, & obtinuerunt, ne eidem Castrum Appignani distrahere liceret, quod dicerent, eo vita functo, ex fideicommisso per avum Franciscæ instituto, ipsi uti grandiori natu deberi, cum ex fratribus alter prædecessisset, alter Sacerdotio adepto, arceretur. Contra Nicolaus pater & officiose dotasse filiam contendit, & falso Joachimo testamentum illud attributum, Sed S. C. Senatus cum patrem de inofficiosa dote absolvisset, testamentum Joachimi verum validumque pronunciavit, firmamque voluit inhibitionem, ne Castrum Appignani alienaret, sarta tecta relinquens jura Franciscæ super fideicommisso avi, parentis obitu sequuto.

Nicolaus Franciscæ pater anno 1769. decessit, atque testamento heredem scripsit Magdalenam ejus filiam postre-

mo loco natam, quam Marchioni Ferdinando Castiglione ex eadem gente, & consanguinitate matrimonio junxerat; & Franciscam majorem natu heredem in Castro Appignani, adjecto onere solutionis totius pretii Magdalenæ, & quoad solveretur, jussit, ut eo Castro Magdalena uteretur frueretur.

Hinc judicium super hoc Castro Appignani per Franciscam Castiglione adversus ejus sororem Magdalenam instauratum fuit. Tota igitur controversia versabatur, an Franciscæ successioni per fideicommissum avi factus est locus: tum, si factum negaretur, an liceret de pretio hujusmodi feudi in alterius favorem disponere, cum potissime de feudo jure Francorum ageretur. Sed recte Senatus censuit, defecisse conditionem fideicommissi; avus enim per fideicommissum substituerat ejus filio Nicolao, sub conditione, si sine filiis decessisset: quæ conditio non exstitit; nam pluribus relictis filiis decessit. Cum non extiterit, ex *L. 114. ff. de legat. 1. §. cum erit rogatus*, & *L. generaliter sancimus 6. C. de instit. & substit.*, *aliisq.* corruit fideicommissum. Censuit etiam, licuisse Nicolao gravare filiam super pretio feudi, cum non de feudo ex simplici pacto, & juris providentia, sed cui qualitas hereditaria admissa esset, ageretur, uti in hoc Regno feuda fere omnia esse, & certe Castrum Appignani, non ambigitur. Quod cum ita sit, jure communi heres tenetur factum & voluntatem defuncti adprobare, si velit heres esse, ut perspicue in *L. cum a matre C. de reivindic.*, & in aliis legibus statuitur. Nec aliter in feudis obtinet; quin inter gratias huic Civitati, & feudorum possessoribus per hujus Regni Principes tributas, illa ex luculentissimo argumento *Pragm. 33. sub tit. de feudis* elicitur, eosdem feudorum possessores posse heredes in toto pretio feudorum onerare: nam cum per hanc Civitatem, & Barones Catholico Regi Philippo II. preces porrectæ fuissent, ut ipsis liceret, posthabitis in feudis fœminis proximioribus,

 ma-

masculos remotiores, dummodo per jura Regni succedere potuissent, admittere, inter alias causas, ut animum Regis flecterent magis magisque, adductas, ea annectitur, posse feudorum possessores ipsas fœminas usque ad valorem feudi gravare. Atque fuit rescriptum, placere S. R. & Catholicæ Majestati quoad feuda hereditaria. Hinc elucet, persuasum fuisse Principi, leges communes sequuto, inesse feudorum possessoribus illam facultatem, atque eandem tacite adprobasse in feudis; quibus conditio hereditaria jungeretur; atque hoc jure Barones omnes usi sunt, atque utuntur. Sed cum de filia testatoris, cui successio feudi debebatur, tractaretur, onus pretii exsolvendi non totum, sed ad legitimæ portionis usque fines coercuit.

In causa Majoratuum Familiæ de Bologna. Die 26. Februarii 1779.

Referente Reg. Cons. Vespoli, cum interventu Ducis Toritti, Marchionis Regii Consiliarii D. Hippolyti Porcinari, & Regii Consiliarii D. Vincentii Boraggine Adjunctorum,

Conditio, quæ acquisitioni Majoratus adjecta est, non semper repetita intelligitur in progressu.

Conditio, quæ perpetuam in designato loco residentiam præscribit, pro non scripta habetur.

S.C. pronunciavit: *Nullum jus competere ad Majoratus institutos per qu. Ducem D. Nicolaum Bologna Secundogenitis de linea Ill. Principis Camporealis possessoris dictorum Majoratuum, aliisque descendentibus ab eodem, in casu discessus ab hac Civitate Primogenitorum descendentium dicti Ill. Principis possessoris eorundem Majoratuum.*

Ratio decisionis desumitur tam ex fundatione Majoratuum, de quibus agitur, quam ex apertissimis legum dispositionibus.

In fundatione Majoratuum habetur, quod deficientibus masculis de Familia de Bologna hujus Civitatis, vocantur masculi de eadem Familia de Bologna de illis domibus, quæ tum degebant in Civitate Panormi, modo, & ordine sic expresso, nempe: *ed essendo in detta Città di Palermo più stipiti della nobile Famiglia di Bologna, che però per futura chiarezza ha voluto, e vuole detto*

detto Signor Duca D. Niccolò, che debba godere nel caso suddetto il beneficio di detti due Majorascati, in primo luogo il primogenito del Signor Principe di Sebuci Bologna, legittimo, e naturale di Palermo, o che tenesse luogo di primogenito, e suoi figli, e discendenti mascoli legittimi, e naturali da primogenito in primogenito; ed in caso che in quel tempo di mancanza della linea mascolina della Famiglia nobile di Bologna di questa Città, si ritrovasse estinta la linea mascolina di detto Signor Principe di Sebuci, ovvero nessuno di essi volesse venire in questa Città a risedere; in tal caso ha voluto, e vuole esso Sig. Duca D. Niccolò, che debba subentrare al godimento suddetto il figlio primogenito legittimo e naturale di casa Bologna del Signor Principe di Camporeale, o chi terrà luogo di primogenito, e suoi discendenti mascoli da primogenito: e come che detto Sig. Duca D. Niccolò espressamente vuole, ed ordina, che quello della Famiglia nobile di Bologna della Città di Palermo, dovrà subentrare al godimento di detti due Majorascati, debba esso, e suoi discendenti risedere in futuro per sempre in questa Città di Napoli; che però in caso il primogenito di detto Signor Principe di Camporeale, o chi in quel tempo terrà luogo di primogenito della sua Casa, non volesse, o non potesse venire quì in Napoli per aprire, o ravvivare la casa Bologna in questa Città; in tal caso debba godere detto beneficio il secondogenito della casa di detto Signor Principe, o terzo, o ultragenito.

Et cum ob obitum absque filiis, aliisque masculis agnatis ultimi Ducis Palmæ D. Ascanii de Bologna, factus est casus extinctionis omnium masculorum de Familia de Bologna hujus Civitatis, majoratus spectaverunt ad masculos de Familia de Bologna de domibus degentibus in Civitate Panormi, servata inter eos supradicta lege prælationis a Fundatore Majoratuum præscripta. Sed quia domus Ill. Principis Sebuci, quæ primum locum obtinebat,

jam

jam reperiebatur extincta, datus est locus vocationi domus Ill. Principis Camporealis, ac proinde personæ ejusmet Ill. Principis Camporealis D. Petri de Bologna, quippe qui primum gradum in suamet ipsa domo repræsentabat. Qua de re potuit statim ipse Ill. Princeps Camporealis D. Petrus de Bologna petere declarationem spectantiæ in sui beneficium Majoratuum prædictorum, ut jam sibi delatorum, ac immissionem in bonis, iisdemque Majoratibus, subjectis, & utrumque quam facillime in M.C.V. obtinere: nam ipse Ill. Princeps cum tota ejus familia jamdudum domicilium transtulerat in hanc Civitatem.

Cum deinde idem Ill. Princeps Camporealis animadverterit, posse fortasse in posterum jurgia, & dissentiones oriri inter ejus descendentes ob illud caput dispositionis Fundatoris Majoratuum, in quo de residentia in hac Civitate loquebatur, prudenter agens, recursum habuit primum ad S.R.M., & postea ad S.R.C., petiitque declarari, durante ejus linea, suisque descendentibus in possessione Majoratuum (nam quæ post extinctos Bononios de Panormo, familiæ extraneæ admittuntur, absque onere residentiæ invitantur) non posse primogenitos, omnesque alios possessores Majoratuum molestari in casu non residentiæ in hac Civitate eorumdem possessorum.

Et dato Curatore Secundogenitis descendentibus ab eodem Principe Camporealis, & instructo cum eo solemniter processu, factisque probationibus per eumdem Ill. Principem Camporealis, esse jam extinctas omnes alias domos Familiæ de Bologna Civitatis Panormi, præter tantummodo unam ipsius Principis Camporealis, scilicet & illos quoque de Bologna Civitatis Panormi, vocatos post extinctionem domus Principis Camporealis: cum ad decisionem causæ ventum esset, S.R.C. consideravit ante omnia, conditionem prædictam in hac Civitate cum pœna in non residente non acquisitionis eorumdem Majoratuum, & cum vocatione secundogeniti, ac immediati successoris, dummodo

modo & ipse eamdem residentiæ legem subire vellet; fuisse litteraliter conceptam in casu ingressionis Majoratuum in illum de Familia de Bologna Civitatis Panormi, qui primum succederet, extinctis masculis de Familia de Bologna hujus Civitatis: nec unquam in progressu lineæ ejusdem masculi de Bologna de Panormo, in qua fuissent majoratus jam ingressi, eandem legem residentiæ in hac Civitate cum eadem consideratione controventionis, pœnaque ejusdem fuisse æque litteraliter sancitam: itaut videretur, quod conditio residentiæ implenda tantummodo esset ab Ill. Principe Camporealis, utpote ab eo, per cujus personam, in extinctione jam secuta masculorum de Bologna hujus Civitatis, Majoratus ingressi sunt Familiam de Bologna Civitatis Panormi: ac proinde quum tempore mortis dicti Ill. Ducis D. Ascanii ipsemet Princeps residens in hac Civitate cum tota ejus Familia inventus sit; jam quoad eum, hoc est, quoad ingressum, conditio residentiæ omninò impleta reperiatur.

In progressu autem descendentes vocantur cum ordine primogenituræ in perpetuum, absque quo, si non resederint in hac Civitate, comminata contra eos legeretur pœna privationis possessionis Majoratuum; quinimo nec & in eodem primo acquirente de Familia de Bologna de Panormo exprimitur casus controventionis cum pœna amissionis Majoratuum, postquam Majoratus & ille jam adquisivisset. Nam post primum ingressum (quo in casu negari haud potest legem residentiæ in forma conditionis fuisse præscriptam, & cum pœna non acquisitionis Majoratuum contra eum, qui noluisset residentiæ legi parere), in reliquis casibus vix generatim residentia inculcatur, uti a Fundatore optata ob reviviscentiam in hac Civitate eorum de Familia de Bologna jam hic extincta. Controventio itaque, vel potius non paritio voluntati Fundatoris cum pœna, hoc est cum exclusione a Majoratibus, fuit solummodo explicata in unico ingressu ante adqui-

quisitionem Majoratuum, nempe cum ageretur de non lucrando eosdem Majoratus: nunquam vero in progressu, præsertim cum de amissione lucri jam facti tractaretur: ac proinde cum in casu nostro Ill. Princeps Camporealis, antequam Majoratus adipisceretur, jam residens in hac Civitate cum tota ejus familia habebatur; conditio, in illo vero casu a testatore præviso, in forma specifica jam omnino impleta reperiebatur.

Consideravit insuper S. C. non esse recurrendum ad protritum illud, quod quandoque conditiones expressæ in institutis, habeantur repetitæ in substitutis, argumento *L. 73. ff. de hered. instit.*, *& L. unic. Cod. de cad. toll.*; nam id intelligi potest, dummodo non obstat contraria disponentis voluntas, quæ semper præsumitur, quando repetitio absurdas, absonasque consequentias secum ferret, ut in casu præsenti eveniret, in quo admissa, ob non residentiam, pœna privationis Majoratuum in eo, qui jam illos adquisivisset; necessario admitteretur & illud sane absurdissimum, scilicet, ut etiam omnes descendentes ejusdem in perpetuum fruitione Majoratuum privarentur, saltem eo casu, quo tum non essent adhuc procreati: & ecce per culpam patris insons linea omnino exclusa, & perpetuo punita inspiceretur; id quod satis superque est ad excludendam quamcumque præsumptam conditionis repetitionem.

Sed haud est prætermittendum, quod pro excludenda præsumpta repetitione colligitur ab iisdem instrumentis fundationum Majoratuum. In his enim habetur, quod quando Fundator voluit de controventione haberi ratio etiam in progressu, & successores post factam quoque adquisitionem pœna aliqua ob controventionem affici; tum id expressit. Fundator etenim postquam suis in Majoratibus enumerasset illas omnes vocationes, quas supra vel transcripsimus, vel indicavimus; præcipere voluit suis propriis descendentibus, ne lites, quæ fortasse inter eosdem

oriri

oriri possent, in Forum adducerent. Ac proinde remisit eos his in casibus ad Gubernatores Sacri Montis Misericordiæ; nec hic restitit, sed statim ad controventionem, quæ accidere fortasse poterat, se convertit, pœnaque privationis illos, qui eam incurrerint, punivit. Ergo Fundator in morem habebat prævidere controventionem, etiam in progressu, ac successores controvenientes pœna privationis multare. Igitur si quum de residentia locutus fuisset, atque super hoc articulo longum sermonem instituisset, nunquam in progressu, & quoad successores, vel controventionem, vel pœnam amissionis Majoratuum nominavit, quamquam & eodem tempore in ingressu millies utrumque, & prævisum, & cautum, & expressum ab eodem fuerat; valere omnino debet regula juris, quod id tantum noster disponens voluerit super residentia, de qua disputatur; quod ab eo litteraliter declaratum fuit, *L. unic. §. sin autem in fin. C. de caducis toll.*

Quod si minime placuisset stare verbis, mentique Fundatoris Majoratuum, quin autumari libuisset, residentiam etiam in progressu; & post adquisitionem Majoratuum impositam fuisse cum pœna controventionis; tunc legum dispositiones præsto sunt in favorem Ill. Principis Camporealis: nam in celebri *L. 71. §. 2. ff. de condit. & demonstr.* Jurisconsultorum Princeps Papinianus scriptum reliquit, hujusmodi præcepta, ut in Civitate aliqua domicilium haberetur (quemadmodum esset hoc, quo de agitur, nam de sola residentia in hac Civitate tantum locutus fuit Fundator Majoratuum) in Ingenuis Jure Romano minime substineri, ob illam fortasse rationem, quam tradit Jurisconsultus Ulpianus, quod non multum a specie servientium differunt, quibus non est facultas recedendi, *L. 2. ff. de liber. dom. exhiben.* Cui sententiæ non adversatur Priscus Javolenus in *L. 30. §. 4. ff. de leg. 3.*; cum ibi admittitur legatum factum uxori, *dum* (hæc sunt verba legis) *cum filio suo Capuæ erit*; nam in hypotesi

hujus legati Pater est, qui ita legat; residentia exprimitur in forma conditionis, nempe dum uxor cum filio suo Capuæ moraretur; agitur de legato annuo, in quo onus residentiæ nihil grave secum fert, nam in annuis legatis tot sunt legata, quot anni; & demum, quod potissimum est, residentia Matri injungitur in beneficium proprii filii; circumstantia, quæ etiam sola, omnem dubietatem evellebat.

Responsum itaque Papiniani speciei nostræ tantum congruit, ac proinde facit, ut si etiam haberi posset pro repetita, quin etiam pro expressa in descendentibus Ill. Principis Camporealis lex residentiæ in hac Civitate cum pœna controventionis minime tamen posset substineri, præsertim favore secundogenitorum, aliorumque ad Majoratus eosdem vocatorum, itaut alicui eorum contra non residentem possessorem Majoratuum dari posset actio, vel ad adigendum illum ad residendum, vel ad id quod interest, vel demum ad revindicandos ab eo Majoratus, utpote ab eodem ob non residentiam jam amissos.

His omnibus accedit (valde notandum in judicio, de quo agitur, cum secundogenitis compilato), quod si secundogenito, aliisque ad Majoratus vocatis dari posset actio in casu non residentiæ possessoris Majoratuum; hoc tum demum locum habere posset, cum & secundogenitus residens esset. At quia hoc in casu Familia de Bologna jam reviviseeret in hac Civitate: ergo non posset amplius primogenitus possessione Majoratuum excludi, vel Majoratibus spoliari: nam ex residentia in hac Civitate secundogeniti, victoria primogenito pareretur, quin tum statim conditio residentiæ, Familiæ de Bologna Civitatis Panormi imposita, impleta reperiretur, eo vel maxime quia Ill. Princeps Camporealis, ejusque descendentes jam Nobilibus Sedilis Nidi inveniuntur allecti, atque ideo inter Cives Neapolitanos perpetuo sunt adnumerandi.

Perpensis igitur hisce, aliisque quamplurimis rationibus,

bus, quæ tam ex facti hypotesi, quam ex jure haustæ, depromptæque fuere; censuit S.C. nullum jus competere secundogenitis de linea Ill. Principis Camporealis, aliisque ex eodem descendentibus in casu discessus ab hac Civitate possessoris Majoratuum institutorum a qu. D. Nicolao de Bologna seniore.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag.

In causa Ill. Marchionis D. Josephi Schisani cum Ill. Marchione D. Francisco Gaudiosi. Die 6. Martii 1779.

Referente Regio Consiliario Gamboa,

S. R. C. sequentem protulit sententiam: *Absolvendas esse partes ad invicem ab impetitis, verum ex deposito in actis existente liberentur ducati centum Ill. Marchioni Gaudioso, ultra alios ducatos centum ab eodem retentos ex causa expensarum funerum, & ultimæ infirmitatis, ceteræ vero quantitates liberentur in beneficium D. Josephi Schisano. Neutram partem in expensis*. Jure quidem merito S. C. ita decrevit; habuit enim præ oculis *text. in L. quod in uxorem C. de negot. gest.*, quo expresse statuitur, expensas funerum non esse cedendas in præjudicium viri, expensas vero ultimæ infirmitatis juxta commune DD. placitum, & decisionum exempla, si eæ sint magni valoris ex dote per virum restituenda esse deducendas, adeout causæ juxta facti circumstantias sunt definiendæ, quæ sane concurrunt in præsenti themate ob longam infirmitatem defunctæ Ill. Marchionissæ D. Josephæ Schisani, ut post alios scribit *Card. de Luca de dote disc.* 68. His itaque perpensis, pariterque probationibus hinc inde confectis respectu prætensæ restitutionis bonorum corredalium partes ad invicem esse absolvendas existimavit.

Funerum expensæ recte a marito petuntur; quæ vero ultimam infirmitatem respiciunt, juxta facti circumstantias reficiendæ sunt.

U.J.D. Xaverius Falanga Act. Mag. — Salvator de Nicola Scriba.

In causa D Victoriæ, & D. Joannæ de Avanzo cum D. Philippo de Caro, & D. Leonardo Marinelli. Die 20. Martii 1779.

Pacta instrumento dotali apposita circa dotium restitutionem sunt omnino servanda.

Cum de infructuosæ rei restitutione agatur, mora ex persona, non ex re committitur; unde absque interpellatione non incipiunt usuræ, aut fructus deberi.

ANno 1689. tabulis nuptialibus Francisca Guarino, & D. Agnellus de Avanzo, Andreanam de Avanzo filiam eandemque sororem Honuphrio de Marino nuptui dantes, dotem eidem constituerunt ducatorum 500., scilicét ducatos 220. in pecunia, reliquam in supellectili, auro, argento, vestibus, & aliis hujusmodi; adjecto pacto, ut si dissolvi per mortem viri matrimonium contigisset, ipsi Andreanæ, ejusque filiis, & his deficientibus, dotantibus restituenda esset, prout soluta erat, scilicet in pecunia, & reliquis bonis, tum, cum reddi debuissent, æstimandis, ut si quid pretii diminutum esset, etiam in pecunia suppleretur: Hoc insuper addito, ut liceret Andreanæ de medietate earum dotium disponere. Eodem anno Francisca Guarino suo, & ejus filii Agnelli nomine dotem, prout polliciti erant, persolvit; pecuniam dixit esse sibi, & filio communem, supellectilem, aliasque res se dare, nullo de filio addito verbo; adjecitque, dotem restituendam esse ipsi Andreanæ, ejusque heredibus & successoribus. Defunctis dotantibus, nec natis ex Andreanæ nuptiis filiis, etiam Honuphrius de Marino, Andreanæ vir, anno 1747. decessit, qui instituto ejus testamento herede Cœnobio pauperum puellarum sub titulo S. Mariæ Puritatis, cavit, ut uxori cuncta supellex, omneque aurum, argentum, vestes, lecta, & reliqua instrumenta domus loco dotis darentur, & præterea menstrui, quoad viveret, ducati octo pro antephato, & omni eo, quod ad eandem pertinere potuisset. Heres Honuphrii voluntati testatoris morem gerens, prout statuerat, dotem Andreanæ satisfecit, & insuper ducatos quadraginta donavit. Triennio fere post Andreana diem suum obiit, heredemque scripsit impuberem Josephum de Caro Phi-

lippi

lippi filium, in cujus domo una simul manebat, & decreto Judicis, ut in possessionem bonorum heres mitteretur, inventario confecto, curavit pater. Fere vix mortua Andreana, Nicolaus, & Joseph de Avanzo heredes ab intestato D. Agnelli de Avanzo, alterius ex dotantibus, M. C. adeuntes, Josephum de Caro interpellarunt pro restitutione medietatis dotium Andreanæ solutarum, & causa in S. C. translata, judicium prosequutæ sunt sorores Victoria, & Joanna de Avanzo, cessis sibi per actores juribus, non pro medietate, sed pro quarta parte earundem dotium. Et ne forte actio in heredem proposita ob tenuitatem patrimonii per Andreanam relicti eluderetur, in jus etiam convenerunt Cœnobium pauperum puellarum sub titulo S. Mariæ Puritatis, Honuphrii de Marino heredem, quod ejus administratores nulla cautione adhibita, male Andreanæ dotem persolvissent. Termino Partibus ad probandum, quæ sibi viderentur, dato, atque transcurso, & causa relata, Senatus in illam sententiam, quæ præscripta est, ivit, & jure. Tabulæ enim nuptiales dotantibus dotem, deficiente absque filiis Andreana, pro medietate vindicabant. Igitur quarta pars ejusdem ad Agnellum de Avanzo, ex dotantibus alterum, ejusque heredes, cujusmodi erant Nicolaus, & Joseph de Avanzo, & eorum loco, cessis juribus; Victoria, & Joanna de Avanzo, pertinebat: pacta enim dotalia sunt servanda, ut *L.* 1. *C. de pact. conv.* statuitur, & in aliis legibus. Condemnavit etiam Senatus heredem ad fructus a die petitionis; de pecunia enim, & aliis rebus infructuosis cum ageretur, mora ex persona, non ex re committitur, ac proinde absque interpellatione non incipiunt usuræ aut fructus deberi, ut jura perspicua sunt in *L.* 3. *&* 2. *de usur.* *L.* 91. §. 3. *ff. de verb. oblig.* *&* *L.* 26. *ff. sol. matrim.*, quin sæpe etiam mora ex re interveniente, a die petitionis debentur, ut ex *L.* 3. *sentent. Pauli tit.* 10, habetur. Frustra dicebatur per Josephum de Caro, si quæ

pars

pars dotis restituenda esset, non excedere debuisset ducatos 55., qui quartam partem 220. efficiebant, quod pecunia tantum pro dote soluta, communis Franciscæ Guarino, ejusque filio esset, & reliqua bona solius Franciscæ. Nam licet non fuisset expressum, res illas exrra pecuniam pro dote datas, communes utriusque dotantis esse; attamen Francisca Guarino in instrumento satisfactionis ipsarum dotium, absente altero dotante, facto, professa erat, se suo filiique nomine satisfacere: qua de re aut reliquæ res in dotem datæ communes etiam reputandæ erant, aut si fortasse communes non fuissent, pro communibus placuit haberi. Præterea si quid adhuc obscurius in ipso instrumento deprehenderetur, id ex tabulis nuptialibus supplendum foret, in quibus convenit, dotem utrique dotanti restituendam, prout & promittebatur, & solvenda erat, & jura facti quæstionem in arbitrio judicantis relinquunt, *L. 1. ff. de Sen.Conf. Turpill.* Quod postremo loco objiciebatur, vires patrimonii Andreanæ, deducto præcipue ære alieno, non suppetere; de hoc ratio habenda erat in discussione heredis; unde factum, fuisse in bonis hereditariis condemnatum. Non est visum Senatui de actione adversus heredem Honuphrii de Marino mota decernere, nisi herede Andreanæ discusso, ea enim actio subsidiaria est, idcircò suo tempore reservata.

Referente igitur Regio Consiliario Corradino,

S. C. pronunciavit: *Condemnandum esse D. Josephum de Caro ad solvendum dictis magn. Victoriæ, & Joannæ de Avanzo ducatos 125., cum usuris, sive fructibus a die petitionis, ad rationem ducatorum quatuor pro singulis centum, super bonis hereditariis dictæ qu. Andreanæ, salvis juribus eisdem Victoriæ, & Joannæ contra Conservatorium pauperum puellarum sub titulo S. Mariæ Puritatis, discusso heredo qu. Andreanæ. Neutram partem in expensis condemnando.*

U.J.D. Xaverius Kalanza AB. Mag.

In

In causa Annæ Esposito cum sororibus de Caruso. Die 18. Junii 1779.

Viso supplici libello Annæ Esposito viduæ Cajetani Caruso, libellis magn. Curatoris, ac omnibus actis,

Referente Reg. Cons. Malena,

S.R.C. pronunciavit, *deberi viduæ Annæ Esposito quartam ex hereditate qu Cajetani Caruso ejus viri in usufructu tantum, ac pro summa ducatorum* 1400., *ex quibus ducati* 1000. *eidem Esposito assignentur super annuis introitibus pecunia hereditaria dicti qu. Caruso acquisitis, reliqui vero ducati* 400. *super pecunia penes acta deposita, atque ab hereditariis debitoribus exigenda, pariterque in emptionem implicanda; salvis juribus pupillæ Mariæ Cajetanæ Caruso pro redditione computorum, exacta tutela.*

Quarta ususfructus æque debetur indotatæ uxori ex viri hereditate, ac ei, qui dotem adeo exiguam habuit, ut illius fructus ne parca quidem alimenta præbeant. Ex facti autem circumstantiis potest quarta illa imminui.

Decisionis ratio novissimis Justiniani Constitutionibus innititur, nempe *Nov.* 53. *&* 117., unde desumpta *Auth. præterea C. unde vir, & uxor*; quibus & hæc successionis species recepta est, ut cum conjux locuplex decedat, superstes vero inopia laboret, hic cum liberis communibus; alteriusque matrimonii, si tres sint, vel pauciores, in quadrantem succedat, sin plures, virilem, æquam scilicet cum singulis partem accipiat, jure tamen ususfructus. Cum itaque Cajetanus Caruso unica suscepta filia, hereditateque, prout hominis conditio ferebat, satis diviti relicta, diem suum obierit supremum; contra vero superstes ejus uxor nimia urgeatur egestate, quemadmodum ex probationibus legitime institutis colligitur; explorati juris est, ei quartam ususfructus ex hereditate viri deberi.

Poterat sane scrupulum injicere, quod inter dictum Caruso, atque Annam Esposito do... tabulæ, pactionesque nuptiales intercesserint, lex autem uxorem indotatam, matrimonium absque dote exprimat. Verum enim vero ex legis mente, ex communi Interpretum sententia, idem juris est in muliere indotata, atque ea, quæ exiguam adeo

adeò dotem habuit, ut ne alimenta, parce quidem, frugaliterque possit suppeditare: idque in præsenti causa adamussim accidit, cum dos Annæ Esposito ducatis non amplius quadraginta constiterit.

Reliquum est, ut decisionis ratio exponatur, cur S. C. non integram hereditatis quartam, juxta calculum Scribæ causæ, sed ducatis ferme 600. deminutam, viduæ assignandam putaverit. Id plura effecerunt. Primo conditionis viduæ Annæ Esposito ratio habita est, cujus alimentis, imo & doti congruenti ea summa ducatorum 1400. satis prospectum esse S. C. credidit. Deinceps cum eadem Esposito supplici libello, quo judicium adversus Antonium Santoro in S. C. instituit, non levem injecerit suspicionem, permulta se ex hereditate ejus viri occuluisse; quumque ejus filiæ pretium argenteæ supellectilis ei traditæ, reficere debeat, necnon summas, ob patrocinium ei præstitum, U.J.D. D. Antonio Arnone, & D. Michaeli Carrano solutas, & denique dos ducatorum quadraginta jure merito sit imputanda: quæ omnia magn. Curator comparitione complexus est: ne hæc exactius ad trutinam revocari oporteret, quartæ imminutione compensanda esse S.C. censuit.

U.J.D. Joannes Maria Graziano Act. Mag. -- Sebastianus Ricca Scriba.

In causa D. Julii Cæsaris Lionetti cum Ven. Monasterio PP. Prædicatorum Terræ Montisfmurri. Die 18. Junii 1779.

Cum nulla mortis cogitatio ad donandum impulerit, sed executio tantum donationis ad mortem donantis dilata fuerit, inter vivos facta donatio censetur: quare sola voluntatis mutatione revocari nequit.

Visa supplicatione D. Julii Cæsaris Lionetti, donatione facta qu. Attilio Lionetti a D. Ferdinando ejus patruo, ac oblatione ipsius D. Ferdinandi, ætate annorum octoginta duorum facta Monasterio PP. Prædicatorum Montisfmurri,

Referente Reg. Cons. Caraso,

S. R. C. pronunciavit: *Nulla habita ratione prædictæ oblationis, condemnandum esse Ven. Monasterium Rev. PP. Prædicatorum Terræ Montisfmurri ad relaxandum bona contenta*

tenta in prædicta donatione de anno 1703. in beneficium D. Julii Cæsaris Lionetti filii & heredis ipsius Attilii, servata forma ejusdem donationis, una cum fructibus perceptis a die oblationis, nulliter factæ, liquidandis, pro quibus fiat calculus per Scribam causæ, inspectis probationibus jam factis, & requisitis Partibus: necnon condemnandum esse pariter idem Ven. Monasterium ad reficiendum supradicto Julio Cæsari omnes deteriorationes factas in bonis prædictis; pro quibus deteriorationibus fiat pariter relatio per Scribam causæ, requisitis Partibus, ad finem providendi per S. R. C.; & condemnandum esse similiter Ven. Monasterium ad litis expensas. Hujusmodi decisionis rationem reddunt ea, quæ sequuntur.

Actio donationis revocandæ ex ingrati animi vitio, donanti datur, non item ejus heredi.

Possidentibus communiter presbytero D. Ferdinando, Julio Cæsare, & Roberto Lionetti fratribus, Terræ Montismurri in Lucaniæ Provincia, aliqua fructuosa, amœnaque prædia, cum vineis, olivetis, & hortis, turri, seu domo delitiarum, ac cella vinaria, omnibus utensilibus ad vinum faciendum, atque servandum prædita, in restrictu ejusdem Terræ, & præsertim in loco vulgo nuncupato *S. Gio: Battista*; necnon alium fundum rusticum, cum hortis, agris, atque bovili in alio loco vulgo appellato *lo Ferolito*, die 18. Februarii anni 1703. præcitatus D. Ferdinandus ab amore ac benevolentia motus erga Attilium ejus nepotem, filium Julii Cæsaris sui fratris, donavit inter vivos eidem, cum clausula irrevocabiliter, ad habendum post mortem omnia prænarrata bona; reservavitque tantummodo facultatem disponendi de ducatis triginta; onus vero imposuit præfato Attilio, ut usquedum vitam degerent Julius Cæsar, & Robertus pater, patruusque ipsius donatarii, insimul cum eis dicta bona donata possideret, & in egestate constituti, eosdem aleret.

Robertus itidem die 12. mensis Junii anni 1723. confirmavit donationem confectam Attilio a Sacerdote D. Ferdinando, ipsique pariter donavit nedum suam quotam &

portionem dictorum prædiorum, verum etiam aliqua bona a seipso cum peculio castrensi acquisita. Unde Attilius tam vigore binarum donationum, quam uti heres Julii Cæsaris ejus patris prædefuncti, bona omnia ipsorum fratrum acquisivit, fuitque illorum vere dominus, ac legitimus possessor justo cum titulo; eo magis, quod super portione dicti D. Ferdinandi creditum habebat ducatorum quinquaginta constitutum Isabellæ de Laurentiis, matri dicti Attilii, contemplatione matrimonii contracti cum Julio Cæsare.

Quamquam vero donationes præfatæ fuerint irrevocabiliter inter vivos ad habendum post mortem, attamen ob communionem habitam inter ipsos fratres, & nepotem, continuavit hic in pacifico possessu prædiorum prædictorum per annos vigintitres, qui computantur ab anno 1703. usque ad annum 1726., quo tempore optantes PP. Prædicatores Conventus sub titulo SS. Annunciatæ, ac Divi Dominici Terræ Montismurri prædia prædicta acquirere, dictum presbyterum D. Ferdinandum induxerunt, ut quandam apparentem simulatamque venditionem illorum eis faceret. Quod præsentientes ipsi Robertus, atque Attilius patruus & nepos, recursum habuerunt ad Episcopalem Curiam Tricaricensem loci Ordinariam, exposuerunt que proprietatem dictorum bonorum penes Attilium adesse, nullamque dicto D. Ferdinando remansisse facultatem alienandi, præter illam disponendi de ducatis triginta tantum: Qua de re remedium petierunt, ac providentiam, ne prædia donata distrahere auderet. In sequelam cujus instantiæ fuit ab illa Episcopali Curia dicto D. Ferdinando præscriptum, quod ad nullum actum devenirer, nisi conscia & consulta ipsa Curia, sub pœna nullitatis &c.

Hoc Episcopalis Curiæ præceptum fuit non solum minime prospectum, immo dolose spretum. Enimvero hac inhibitione haud obstante, præfatus D. Ferdinandus, ut Patribus obtemperaret, qui illi suadebant, ut eorum Religio-

ligionem ingrederetur cum oblatione bonorum ejus, habitum religiosum induit; suam nedum personam dicavit, sed insuper omnia prædicta bona Monasterio donavit sub conditionibus aliquibus ab ipsis PP. necessario adimplendis. Vigore igitur præcitatæ donationis eodem die petierunt PP. e manu Curiæ localis immissionem in possessionem bonorum oblatorum, quam facillime obtinuerunt; eodemque tempore fuit præscriptum Attilio, & Julio Cæsari juniori patri & filio, ne ad bona prædicta amplius accederent: qui videntes sese taliter expoliatos non solum portione per D. Ferdinandum donata, sed etiam aliis ipsi Attilio pertinentibus tam uti filio Julii Cæsaris senioris, quam veluti donatario Roberti ejus patrui, statim in dicta Curia locali comparuerunt, adducendo eorum jura, & allegando inter cetera nullitatem ac invaliditatem oblationis Monasterio factæ, tum quia dictus D. Ferdinandus utpote ætate cadente ac decrepita annorum octoginta duorum, sui minime compos erat, tum quia bonorum illorum amplius dominus non existebat ob donationem eorumdem nonnullis ab hinc annis Attilio factam. A quibus rationibus mota dicta Curia, fuit per ipsam provisum, quod redacto mandato ad Conventus favorem expedito ad jus & justitiam, Procurator ipsius in biduo jura sua proponeret, & interim se abstineret a laborando, & laborare faciendo in dictis prædiis, sub pœna amissionis laborum.

Adversus hoc Curiæ localis decretum remedium appellationis ad Judicem secundarum produxerunt PP., & interim continuaverunt in minus justa possessione bonorum, ad quam tuendam coram dicto Judice causarum secundarum exceptionem rei judicatæ proposuerunt, exhibendo quoddam falsum decretum definitivum ab Officiali Camerario, seu *Camerlengo* prolatum super quibusdam actis omnino falsis ab eodem, corruptione mediante, conditis de proprio caractere intra paucos dies in cubiculo P. Prio-

 ris,

ris, cujus decreti tenor est sequens: *Donationem initam per Rev. D. Ferdinandum Lionetti sub die* 18. *mensis Februarii* 1703. *ad beneficium magn. Attilii Lionetti ejus nepotis, esse revocandam, prout præsenti definitivo decreto revocamus, & declaramus esse nullius roboris & firmitatis, & omnia bona ipsius Rev. D. Ferdinandi cedere ad favorem Ven. Monasterii Divi Dominici Terræ jam dictæ ex causa oblationis; & proinde dictum Ven. Monasterium fore & esse manutenendum in possessione omnium bonorum donatorum in ejus beneficium per dictum Rev. D. Ferdinandum, prout manuteneri mandamus.*

Exhibito per PP. dicto decreto, ac cognita eorum machinatione cum præfato Camerlengo, Attilius reputans se multum gravatum, recursum habuit ad Regiam Provincialem Audientiam Materæ, querelamque exposuit de falsitate contra auctorem, & fautores ejusdem. Regia Provincialis Audientia super deductis præcepit Act. Mag. Agnello Battipaglia, ut informationem caperet, qui super loci faciem constitutus agnovit, ac plene probavit falsitatem a dicto Camerlengo patratam, cum conniventia, atque auxilio dictorum PP.; & in relatione data se excusavit, reum in vinculis non restrinxisse, quia fugitivum.

PP. interim, ut se, eorumque causam subtraherent a Regia Provinciali Audientia, Ill. D. Vespasianum Andreassi Montismurri tunc utilem possessorem, suaserunt, ut pro tuendis juribus feudo annexis, penes Audientiam instaret, causam prædictam locali Curiæ remitti, eo magis quod reus reperiebatur sponte præsentatus in carceribus dicti loci. Cui petitioni annuendo Regia Audientia, prævia Fisci Patroni instantia, fuit resoluta petita remissio.

In hoc rerum statu, defunctis tam dicto Camerlengo reo, quam Attilio actore, amplius causa prædicta suum progressum non habuit; tanto magis, quod Julius Cæsar junior Attilii filius, prædiis spoliatus, necessaria vexabatur paupertate. Die tandem 18. Februarii 1776. in S. R. C. pe-

petiit nedum reivindicationem prædiorum prædictorum, verum etiam eorum fructus, deteriorationum refectionem, ac omnes litis expensas. Cui petitioni fuit impartitus terminus ordinarius, & expletus etiam in gradu repulsæ. In ipso præter publicas scripturas productas, & acta originalia primæ, secundæque instantiæ, necnon transumptum criminalis informationis; adsunt insuper probationes octo testium, per quos nedum actio bene fundatur, verum etiam deteguntur tam annuales fructus ex prædiis prædictis percepti, quam eorum deteriorationes. Et licet ex parte Monasterii fuerint factæ aliquæ probationes, non sunt tamen habendæ in aliqua consideratione, quoniam repugnant publicis scripturis, & præterea veniunt testes omnes in gradu repulsæ reprobati.

Prænarrato facto plurima associantur jura pro dicto Julio Cæsare Lionetti, nam donatio ejus patri facta de anno 1703., quam PP. Prædicatores dicunt causa mortis, est vere donatio irrevocabiliter inter vivos, prout præcipiunt *LL. 27. & 35. §. 2. ff. de mortis causa donat. L. 1. ff. de donat. & L. 4. 5. & fin. C. de revoc. don.* In ea enim mentio mortis non fit tanquam causa motrix dictæ donationis, sed tantummodo respicit executionem ejusdem quoad usumfructum, quoniam cum bona reperiebantur ei assignata pro Sacro Patrimonio, nequibat aliter donare ob præscriptum *S. Conc. Trident. sess. 21. cap. 2. in medio*.

Præterquam quod idem Monasterium pro tali eam agnovit, dum malis artibus revocationem, nullitatemque prætextu, ac vitio ingrati animi procurare prætentaverit. Enimvero si donatio causa mortis fuisset, sola voluntatis mutatio, absque alia quavis causa ad illam revocandam sufficeret. Cum igitur quæ D. Ferdinandus Attilio donaverat, ostenditur fecisse per actum irrevocabiliter inter vivos, evenit per consequens, quod illa prior valida, firmaque remaneret, & nulla prorsus, ac invalida oblatio, seu posterior donatio Monasterio facta, eo magis, quod facta

facta perhibetur in contemptum præcepti prohibitivi Episcopalis Curiæ sub pœna comminata, quod operatur nullitatem oblationis sine necessitate sententiæ, *L. 102. D. de reg. jur.* Nec favet Monasterio inveterata possessio, quam allegat, etenim quæ ex dolo processerunt nunquam præscribit tempus, & habentur tanquam a sui principio nulla, prout in *L. 1. ff. quorum bonor. & in tot. tit. ff. de dolo malo.*

Quibus omnibus addi debet, totum processisse cum falsitate manifesta a Judice Camerario patrata, ac proinde tam oblationem, quam definitivum decretum nulla fuisse, inter omnes convenit. *L. Divus Adrianus 33. ff. de re judic.* Si ergo vigore hujus legis esset nulla sententia a Judice prolata super falsis scripturis, ac testimoniis, cum quibus fuerit Judex delusus, atque deceptus ad judicandum; quid igitur dicendum de Judice corrupto ad tale scelus patrandum?

Addatur etiam, quod si donatio posterior Monasterio facta, haud vitiosa fuisset, semper tamen pro resoluta haberi debet, ob in illa appositas conditiones minime adimpletas, uti ex *text. in L. 2. C. de condict. ob causam dator.*, & in *L. generaliter 10. C. de revoc. donat. v. vel quasdam &c.*

Porro autem, si erga donantem donatarius ingratus inveniatur, itaut injurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel vitæ periculum aliquod ei intulerit, quibus de causis si fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, donanti licet donationem revocare. Hoc tamen beneficium respicit solummodo primas personas, ceterum neque filiis eorum, neque successoribus hoc beneficium conceditur, *L. 1. 7. & fin. C. de revoc. donat.* Quomodo igitur poterat Monasterium in judicio petere donationis nullitatem, cum ei deficeret actio?

Julio Cæsari itaque jura omnia tandem subveniunt pro revindicandis prædiis, de quibus fuit spoliatus a PP. Prædicatoribus, & multum conferunt Regiæ leges de mense Septembris 1769. & Junii 1770.

Ex

Ex jam dictis demum clare inspicitur, PP. Prædicatores nedum malæ fidei possessores, verum etiam temere litigantes fuisse: jure merito idcirco Senatus prædia cum fructibus restituere, deteriorationes reficere, litisque expensas solvere illos coegit, sicuti fieri proclamant leges omnes, & præsertim *L. mater tua 3. L. domum 5. & L. 22. C. de rei vindic. L. litigator 2. C. de fruct. & lit. expens. L. 5. C. eod.*

Bernardus Priscolus.

In causa Rev. D. Antonii Mariæ Russo cum magn. Gratia Perrotta, & aliis. Die 6. Aprilis 1779.

Cappellania, quæ mere laicalis est, Seculari Sacerdoti, Regulari excluso, concedenda.

INstitit in S R.C. Rev. Sacerdos Secularis Neapolitanus D. Antonius Maria Russo, in præsentiarum Primicerius Cathedralis Ecclesiæ Gallipolitanæ, petiitque ad se pertinere celebrationem Missarum Capellaniæ Laicalis fundatæ, atque in testamento clauso relictæ per qu. Claram lo Mastro in anno 1711.; cui quidem petitioni se opposuit Gratia Perrotta, asseruitque Capellaniam modo dictam pertinere ad ejus filium Paschalem Genziano, qui licet nondum esset prima tonsura initiatus, attamen quia præsentatio, sive nominatio Capellani pro Missarum celebratione ad eam pertinebat, tamquam a fundatrice vocatam, propterea usquequo ad Sacerdotium ejus filius non pervenisset, nominavit, sive præsentavit Rev. Fratrem Michaelem Angelum Perrotta Ordinis Religiosi Divi Francisci de Paula. Super hisce enim mutuis petitionibus die 27. mensis Januarii 1778. per tunc qu. Dom. causæ Commiss. fuit terminus summarius impartitus. Fuit enim in actis exhibita ordinatio, sive fundatio Capellaniæ prædictæ per supradictam Claram lo Mastro in suis tabulis testamentariis clausis facta. At quia ex lege per eamdem Claram fundationi Capellaniæ dicta ratio uniuscujusque contendentium pendet; ideo operæ pretium esse ducitur in medium afferre quic-

quicquid fundatrix circa juspatronatus tam activum, quam passivum, ut vulgo dicitur, statuit præscripsitque. Mandavit enim suis heredibus erigendam fore Capellaniam pro Missa quotidiana celebranda, cum honorario, sive stipendio, vel si dici placet, cum eleemosina annuorum ducatorum 72., percipiendorum ex redditibus cujusdam domus in prædictis tabulis testamentariis descriptæ, atque designatæ; statuitque pro primo Capellano Franciscum Perrotta suum pronepotem filium Philippi nepotis, & præscripsit, ut præsentatio sive nominatio Capellani juris esset ipsiusmet Philippi, & primogenitorum masculorum ex ipso descendentium; quibus deficientibus, ad filias primogenitas ejusdemmet Philippi pertineret; verum enim vero expresse mandavit semper præferendos fore Sacerdotes gradu proximiores dicti Philippi, & primogenitorum descendentium tam ex masculis, quam ex fœminis modo quo antea dictum est; præferendosque pariter Sacerdotes natu majores semper fore concursu alterius Sacerdotis etiam gradu proximioris, sed natu minoris, in Sacris celebrandis, ut liquido ex testamento prædicto constat. Explevit deinde Missarum celebrationem dictus D.Franciscus Perrotta quoad vixit; deinde D.Joseph Perrotta filius pariter Philippi; quo D. Josepho defuncto in anno 1777., concertatio orta est inter supralaudatum D. Antonium Mariam Russo, & Gratiam Perrotta circa pertinentiam jurispatronatus passivi Capellaniæ prædictæ. Liquet enim ex actis, Philippum Perrotta per qu. Claram del Mastro, primo vocatum ad juspatronatus activum dictæ Capellaniæ, quinque reliquisse filios, nempe modo dictos Rev. D. Franciscum, & Rev. D.Josephum Sacerdotes Seculares, quique successive celebrationem Missarum Capellaniæ explevere, Januarium, Rosam, & Carminam. Ex Januario enim ortus est supradictus Frater Michael Angelus professus in Religione Minimorum Divi Francisci de Paula; ex Rosa progenitus est Rev. D.Antonius Maria Russo actor; ex Carmina tandem nata

nata est præfata Gratia, quæ in hac concertatione contendit juspatronatus prædictum. Et licet ex filiis dicti Philippi nullus adsit alius masculus descendens, præter modo dictum Fratrem Michaelem Angelum, & Gratia propterea sit filia præfatæ Carminæ, quæ primogenita filiarum fœminarum Philippi fuit; nihilo secius contentio est circa pertinentiam jurispatronatus passivi, cui namque addicenda sit celebratio Missarum. Porro ex lege fundationi Cappellaniæ dicta luculenter visitur, præferendos semper esse Sacerdotes gradu proximiores, & natu majores in sacris celebrandis, nulla facta distinctione inter agnatos, & cognatos; & jure quidem merito, quia supradictus Philippus Perrotta fuit cognatus, non vero agnatus Claræ fundatricis Capellaniæ. Ex gradu proximioribus tam Philippi, quam ejus filiorum prælaudatus Rev. D. Antonius Maria Russo adest, qui Sacerdos secularis est. Et quanquam frater Michael Angelus Perrotta sit agnatus, & in gradu æquali cum Rev. D. Antonio Maria; attamen hic est illo natu major, ut ex baptismatis fide liquet. Insuper ex fundatione elicitur Capellaniam explendam esse per Sacerdotes seculares, minime vero per regulares, eo magis quia cum sit Capellania mere laicalis, ut expresse dispositum fuit per fundatricem, non potest illa, nisi per Sacerdotes seculares expleri; nam tam ex Canonici juris præceptione, quam ex Tridentinæ Synodi sanctione statutum est *secularia secularibus, & regularia regularibus* esse conferenda; multo magis, quia Regulares tanquam adscriptitii substinent onus celebrationis missarum propriis Ecclesiis relictarum. Porro quando in explendis Capellaniis jurispatronatus passivi nulla per fundatorem facta sit distinctio inter agnatos, & cognatos, & solum sint præscriptæ prærogativæ proximitatis, ætatisque, hæ tantum servandæ sunt, ceteræ vero parvipendendæ, ut ex argumento sive ratione *L. Maximum vitium*, *Cod. de liberis præteritis*, & *Novella de herede, & falcidia*, *Cap. nullam*, perspicue docent *Alphonsus Perez*

rez de Lara in tractatu *de Anniversariis, & Capellaniis lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 33., ceterique. His igitur perspectis,

Referente Regio Consiliario Palmieri,

S.R.C. decrevit: *Celebrationem Missarum Capellaniæ erectæ, atque fundatæ per qu. Claram lo Mastro, adimplendam esse per Rev. D. Antonium Mariam Russo, ad eumdemque spectare ab hodie in antea, & quoad vixerit, pro cujus effectu liceat, & licitum sit prædicto Rev. D. Antonio Mariæ celebrare prædictas Missas quotidianas per se, & non per alios; atque pensionarii, & reddentes domus in testamento dictæ Claræ descriptæ solvant, & correspondeant in beneficium ejusdem annuos ducatos 72. etiam ab hodie in antea. Nil in expensis.*

Nicolaus d'Alessio Scriba.

---

* *In causa hereditatum qq. Joannis Baptistæ, Francisci, & Joannis Baptistæ senioris Lanni. Die 27. Augusti 1779.*

Referente Reg. Cons. Palmieri,

Jurispatronatus proprietas præscribitur cum quadraginta annorum spatio tres peractæ sint præsentationes.

Inspectis omnibus actis, S.R.C. pronunciavit: *Juspatronatus laicale sub titulo Divi Antonii Viennensis, existentis in Terra Paulisiorum, pertinere jure hereditario ad Franciscum Antonium, atque Annam, & Theresiam Lanni, dividendum tamen in stirpes, non vero in capita, tamquam ab eorum adscendentibus fundatum, atque dotatum;* nam etiamsi desit fundatio ejusdem jurispatronatus, comperitur tamen ex actis, eosdem Actorum adscendentes extitisse in continua ipsius jurispatronatus quasi possessione, prædecessores Rectores, sive Capellanos præsentando, atque nominando, præsentationesque prædictas effectum, & exequutionem habuisse. Explorati enim juris est, præscribi proprietatem jurispatronatus semper ac sint exacti quadraginta anni, in quorum intervallo tres sint peractæ præsentationes, quæ Rectorum, sive Capellanorum installationem sortitæ sint, ut præclare elicitur argumento *cap.* 3. *extra de*

de cauf. poffeffion. & proprietat.; docetque clariffimus vir *Francifcus de Roye*, aliique viri eruditi; proindeque rite, recteque S. R. C. fuam hanc profert fententiam.

In caufa D.Francifci, D.Januarii, & D.Ferdinandi Ferraro cum Creditoribus qq. D.Dominici, D.Theodori, & D.Emmanuelis Ferraro. Die 6. Novembris 1779.

Referente Reg. Conf. Avena,

Infpectis actis, & teftamento qu.D.Francifci Ferraro, S.R.C. fequentem protulit fententiam: *Bona quæ obvenerunt a dicto qu.Francifco Ferraro, pro medietate pro nunc fpectare, & fpectaviffe in beneficium D. Januarii, & aliorum filiorum mafculorum qu. D.Theodori, una cum fructibus pro quantitate, & tempore liquidandis; pro quorum liquidatione in biduo audiantur Partes, falva provifione facienda fuper alia medietate, Partibus plenius auditis.*

Nomine collectivo vocati, vocati cenfentur ordine fucceffivo, & per vulgarem fubftitutionem.

Cum voluntatis urgentes conjecturæ concurrunt, filii in conditione pofiti, videntur difpofitive vocati.

Ratio decifionis hæc eft: D.Theodorus, & D.Dominicus Ferraro, ejufque filii, & defcendentes in infinitum fuerunt, poft obitum heredum in ufufructu inftitutorum, vocati nomine collectivo, ideoque cenferi debeant vocati ordine fucceffivo, & per vulgarem tantum, *L. unum ex familia 67. §. 2. de leg., & fideicomm. 2.*, juxta Cumanum in *L.Gallus §.quidem recte ff. de liber. & pofthum.* Accedit & expreffa teftatoris voluntas, ubi ftatuit in ultima ejus teftamenti parte: *Item io predetto Teftatore ... la fuddetta foftituzione non intendo, che fia fedecommiffaria;* adeoque voluit effe vulgarem. Tempore obitus D. Rofæ Ferraro, ultimæ ex heredibus ufufructuariis, jam D.Theodorus vita functus erat; unde fubftitutionis vulgaris vi, filii mares ejufdem D. Theodori veniunt ad hereditatis medietatem Francifci teftatoris. Prætereа, quum filii D. Theodori fuerunt in conditione pofiti, nonnullis argumentis cenfendi funt hominis difpofitione vocati ad dictam medietatem, quæ pertinere debebat ad D. Theodorum ejus patrem. Equidem, eo quia foli filii mares fuerunt pofiti in

in conditione, ob masculorum prædilectionem, potius existimandum, Testatorem voluisse, ut succederent ejus ex judicio, quam sola legis dispositione. Altera ratio est, quum & ipsi filii in altera testamenti parte liberaliter, & dispositive reperiantur vocati; & tandem, quia Testator expresse vocavit ejus filias fœminas, unde inverisimile est, non vocasse etiam & masculos; præcipue quum de maribus in fœminarum exclusione expressam mentionem Testator fecerit, *L.85. ff. de hered. instit.*, *& L.66. ff. de leg.*, *& fideicomm. 2.*, *& argum. textus in L. cum avus 102. ff. de condit.*, *& demonstrat.*, *& L. 30. cum acutissimi C. de fideicomm.*

U.J.D. Franciscus d'Amora Act.Mag. -- Flaminius Starace Scriba.

In causa D. Josephi dello Litto cum Ven. Monasterio S. Mariæ Sanitatis hujus Civitatis, & heredibus D. Francisci Colasanto. Die 22. Decembris 1779.

Referente Reg. Cons. Boraggine,

In dubio redimibilis potius, quam irredimibilis reputandus est census.

S. R. C. pronunciavit: *Censum annuorum ducatorum 5., & ass. 20., olim debitum a D. Josepho dello Litto super domo in ejus patrimonio deducta in beneficium Ven. Monasterii S. Mariæ Sanitatis hujus Civitatis, fuisse & esse redimibilem: ac proinde Monasterium prædictum manuteneatur in possessione exigendi dictum censum, & liceat magn. heredibus qu. Francisci Colasanto emptoris dictæ domus reemere, si voluerint, prædictum censum ad rationem ducatorum 5. pro centeno, juxta relationem magn. Tabularii Attanasio: ideoque liceat iisdem heredibus ex ducatis 674., qui penes eos remanserunt ex causa residui pretii domus prædictæ, retinere duc. 224. pro capitali pretio dicti census; ac etiam alios ducatos 100. pro capitali alterius census ann. ducator. 3., debiti Ven. Cappellæ SS. Annunciatæ erectæ in Ven. Ecclesia Divi Joannis Majoris hujus prædictæ Civitatis. Et de reliquis ducatis 355. heredes prædicti de Colasanto faciant depositum penes acta Patrimonii, una cum*

cum interusurio, ad rationem annuorum ducatorum 4. *pro centeno, a die possessionis, calculando a Scriba causæ, partibus requisitis. Nihil pro expensis.*

Neque enim ex instrumentis de annis 1583. & 1689., neque ex peritia qu. Tabularii Stendardo, neque ex apochis, ut loquuntur, Banci de annis 1697. & 1751. constat, censum prædictum annuorum ducatorum 11. & ass. 20. esse emphyteuticum: nec ad rem facit peritia magn. Tabularii del Gaiso de anno 1756., ex asserto ordine oretenus confecta; quia de ea nulla unquam fuit habita ratio, quum posterius decreto Domini causæ Commiss. appretium domus in patrimonium deductæ qu. Tabulario Attanasio rite fuisset ordinatum; quod mox alio decreto firmatum remansit. Neque obstat, qu. Tabularium Vecchione aliter sensisse; nam ejus peritia respexit actionem retractus a qu. Francisco Colasanto institutam, de qua S. C. nullam habuit rationem.

Præterea emptor Cajetanus Scaramuzza, quamvis in ejus oblatione de prædictis peritiis mentionem fecisset, pretium tamen obtulit duc. 3651., contentum in peritia dicti Attanasio, qui censum annuorum duc. 11. 20. æstimavit, deduxitque ad rationem duc. 5. pro centeno, quæ ad qualitatem redimibilem tantum referri poterat: quod etiam apertius apostillis magn. Curatoris, ab oblatore acceptatis, fuit explicatum; ideoque quum dictum Ven. Monasterium nec de titulo emphyteutico, nec de possessione docuerit, ad normam decretorum, censum prædictum redimibilem esse declarandum, optimo jure S. C. censet. Siquidem posthabita quæstione, an emphyteusis sola scriptura interveniente constituatur, prout plerique magni nominis interpretes docuerunt innixi auctoritate *L.1. C. de jur. emphyt.*, exploratum est, in dubio (an scilicet census de quo agitur irredimibilis sit censendus, vel potius consignativus, seu redimibilis) pro libertate semper esse respondendum, *L.51. ff. de condit., & demonstr.*

& in

& in obscuris id, quod minimum est, sequendum esse, *L. 9. ff. de reg. jur.*

Contra vero de qualitate, & natura emphyteutica alterius census ann. duc. trium, debiti Cappellæ Beatissimæ Annunciatæ erectæ in Ven. Ecclesia Divi Joannis Majòris hujus Civitatis, plane constat ex dicto instrumento de anno 1583.; ac proinde heredibus de Colasanto capitale dicti census ad rationem duc. trium pro centeno retinendi ex pretio dictæ domus, S. C. potestatem fecit.

At quia nequeunt iidem heredes & rem & pretium retinere, idcirco ipsos ad solvendum Patrimonio interusurium pro residuo pretio, a die possessionis teneri extra omnem dubitationis aleam est.

Franciscus Sanseverino Scriba.

In causa filiorum Dominici Amoroso, & D. Angeli Siniscalchi cum D. Sebastiano Gajano. Die mensis 1780.

Referente Reg. Cons.

Alienato usufructu, nulla datur proprietario fundi prælatio.

S. C. pronunciavit: *Reos in præsenti causa conventos absolvendos esse, & absolvi debere ab impetitis pro parte D. Sebastiani Gajano. Neutram partem ad expensas litis esse condemnandam.*

Ære alieno pressis filiis Dominici Amoroso, apud quos usufructus erat cujusdam territorii, sic dicti *Sanseverino*, a Curia locali, instantibus creditoribus, venalis fuit expositus anno 1767.; indeque sub hasta quæsivit usumfructum illum D. Angelus Siniscalco, & a Curia in ejusdem possessione positus.

Ex hujusmodi alienatione jus sumit D. Sebastianus Gajano fundi proprietarius petendi in S.C. cecidisse alienantes ab usufructu legato, ipsumque consolidari proprietati penes ipsum existenti, & in omnem eventum præferri in quæsitione ususfructus ejusdem D. Angelo Siniscalchi emptori. Utrumque nobis visum est jurium dispositioni pugnare. Et

Et profecto, quoad primum attinet, potissimum cum agamus de formali usufructuario, planum est, nullum habere fundamentum in jure prætensam caducationem; cum imo nulla obsistente testatricis prohibitione, neque lege caducitatis indicta, statutum in jure est, eum, cui ususfructus legatus est, etiam invito herede posse illum extraneo vendere, *L. 74. ff. de usufructu*, *L. 13. §. usufruct.* *L. 45. ff. eodem*, *Institut. tit. de usufr. §. finitur*.

Ab hisce fundamentis scatet quoque imbecillitas secundi assumpti petitæ prælationis: Equidem cum traditum sit in jure, alienari posse usumfructum, invito domino, patet heredi proprietario prælationem dari non posse; præcipue cum prælatio odiosa sit, & restringenda potius, quam amplianda, *L. dudum C. de contrah. empt. & vendit.* Nec facessit argumentum ductum a dominio directo habente prælationem in alienatione emphyteusis: etenim inter primum, & secundum non eadem subest ratio, & omnino diversa sunt juris fundamenta. Ex *L. equidem 3. C. de jur. emphyt.* habetur non posse emphyteutam fundum censitum alienare sine consensu domini, qui, si alienetur res emphyteutica, præferatur; contra vero cautum ex supra recensitis legibus est, posse usufructuarium usumfructum, etiam invito domino, alienare.

Cum itaque detur expressim a jure prælatio directo domino, non autem detur proprietario, & in primo cautum sit non posse rem emphyteuticam alienari, nisi requisito domino, & hic illud fieri licere etiam invito proprietario, desunt fundamenta, quibus de casu ad casum aptari possit legis argumentum.

Potissimum, quod pro emphyteusi viget ratio condominii directi, & utilis super eodem fundo; contra vero habemus ex *L. 25. ff. de verb. signif.* usumfructum non dominii partem esse, sed servitutem; quod etiam fundatur in *Instit. d. tit. & l. recte dicimus ff. de verb. signif.*; Nihil omnino refragrante Constit. *Sancimus*, ex qua nulla

la crui potest ratio ad assumptum : Nam non dato condominio, societas non datur, & fructus non afficiuntur fructuarii, nisi ab eo, vel ab alio ejus nomine separentur a terra, ut habetur in *L.14. ff. de usufruct.*

His accedit ratio æquitatis in subjecta materia non parvipendenda, dum iste de Siniscalco emptor usufructus ab anno 1767. sub hasta optima fide ductus quæsitum usumfructum meliorato fundo multum exinde auxisset. Quibus omnibus perspectis Senatus supradictam fecit sententiam.

In causa Rationis cantantis *Andrè, Forquè, & Felice, & Josephi Portanova, ac Ferdinandi Ancora, cum Creditoribus Patrimonii Antonii Toralbo. Die 21. Januarii* 1780.

Qui mercem vendidit, conventa in ejus beneficium illius hypotheca, donec pretium persolutum fuerit, ceteris creditoribus emptoris super eadem merce præfertur.

DEducto in S. R. C. patrimonio Antonii Toralbi, qui mercatorum foro cessit, formatoque creditorum concursu, instirere penes acta ejusdem Patrimonii Societas, sive Ratio appellata Andrè, Forquè, & Felice, & Societas Josephi Portanova, & Ferdinandi Ancora, petieruntque, ipsis faciendum esse satis de eorum creditis consequendis a modo dicto Patrimonio, videlicet ipsa Ratio, sive Societas Andrè, Forquè, & Felice de duc. 600. & ass. 12., & eadem Ratio Portanova, & Ancora de duc.483. & ass.5. pro pretio aliquarum mercium præfato Antonio Toralbo venditarum. Dixeruntque, ipsos omnes in tributum cum ceteris creditoribus super Patrimonio Antonii Toralbi abeundos non esse; cessare enim in ipsis, inquierunt, actionem tributoriam : sed ex pretio earumdemmet mercium adhuc existentium per ipsos Antonio Toralbo venditarum, tamquam creditores potiores satisfaciendos esse, præ ceteris creditoribus, institerunt; ex quo merces non secus venditæ fuere, nisi, quoad pretium illarum solveretur, ipsis venditoribus essent pignori, seu hypothecæ obligatæ.

Super

Super hac enim per Societates modo dictas edita actione, auditis ceteris creditoribus, fuit datus terminus summarius; indeque fuerunt exhibitæ syngraphæ venditionis mercium, ex quibus comperitur, easdem merces venditas specialiter obligatas fuisse venditoribus, quoad pretium solutum fuisset; emptoremque vero confessum fuisse, illas precario possidere, quousque pretium factum satis fuisset. Ex hoc inito pacto inter venditores, & emptores mercium, ut juris civilis œconomia præscribit, liquido constat, venditores mercium in creditum non abiisse, sive ut Pragmatici loquuntur, fidem de pretio mercium venditarum Antonio Toralbo non habuisse, quousque pretium solveretur.

Insuper ex attestationibus quinque testium in termino examinatorum liquet tam existentia, quam earumdem mercium venditarum identitas. Creditores vero alii, quamquam in omnibus judicii partibus fuerint auditi, probationem aliquam ex opposito producere minime satagerunt.

His igitur sic præhabitis, videndum est, num æquum, vel iniquum sit, creditores hosce, venditoresque in tributum vocari cum ceteris creditoribus super patrimonio Antonii Toralbi, vel potiores eos habendos esse super pretio ipsarum mercium per ipsos venditarum, & huc usque existentium. Porro ex *Ulpiano* patet in *L. Julianus* 13. *§. offerri* 8. *ff. de actionib. empti, & vend. Venditorem quasi pignus retinere posse eam rem, quam vendidit*. Cum igitur venditor rem venditam, quoad pretium solvatur, sibi pignori, seu hypothecæ obligatam esse cum emptore convenit (ut verbis utamur ejusdem *Ulpiani* in *L.* 1. *§. ult. de reb. cor. &c.*) in tributum eum vocari cum ceteris creditoribus, iniquum esse, juris canon statuit. En Romanæ Prudentiæ definitio per eumdem *Ulpianum* tradita in *L. Procuratoris* 5. *§. sed si dedi* 18. *ff. de tributoria actione. Sed si dedi mercem meam vendendam, & extet, videamus, ne iniquum sit, in tributum me vocari?*

Et siquidem in creditum ei abii, tributio locum habebit: enimvero si non abii, qua res venditæ non alias desinunt esse meæ, quamvis vendidero, nisi ære soluto, vel fidejussore dato, vel alias satisfacto, dicendum erit, vindicare me posse.

In præsenti enim concertatione liquido constat, pro mercibus venditis non abitum fuisse per venditores in creditum Antonii Toralbo emptoris; imo expresse conventum patet, eas in pignus retentas fuisse per venditores, quoad pretium earumdem solutum fuisset. Igitur merito per eosdem venditores illas a manu emptoris vindicari posse.

Referente igitur Reg. Conf. Palmieri,

S. R. C. decrevit: *Merces in actis deductas, & per supradictas Societates Anton Toralbo venundatas, vendendas esse, prout præsenti decreto definitive venu exponendas esse statuit, appretio illarum præcedente, & præmissis bannis, & cum auctione; pretiumque ex illis perveniendum deponendum esse in publico Banco hujusce Civitatis, & penes acta S. R. C., exindeque ex eo satisfaciendas esse Societates modo dictas de creditis per easdem consequendis; salvis juribus ceteris creditoribus tam super remanenti pretio illarum, si quod superest, quam super aliis bonis in S. R. C. deductis, & forsan deducendis.*

D' Amora Act. Mag. — Giordano Scriba.

In causa D. Cajetani d'Alterio cum D. Ignatio d'Alterio. Die 12. Februarii 1780.

Referente Reg. Conf. Targiani,

Donatio inter vivos, *ob caussam*, & *remuneratoria*, in fraudem Consuetudinis facta non censetur; etsi usumfructum donator sibi reservaverit.

S. C. pronunciavit: *Bona contenta in donatione facta a qu. Rev. D. Januario d' Alterio non subjacere deductioni medietatis bonorum antiquorum; Verum respectu duc.* 2000. *in eadem donatione reservatorum, & in testamento dispositorum, eosdem duc.* 2000. *subjacere providentiæ Consuetudinis, per contributum tamen pro rata valoris bonorum sito-*

fitorum intra , & extra districtum . Neutram partem in expensis &c.

Etenim agitur de donatione irrevocabili inter vivos, quæ haud infirmatur ob usumfructum reservatum , ut depromitur ex *L. quisquis*, & ex *L. si quis argentum §. sed & si quis C. de donat.*; non autem agitur de donatione aliqua causa mortis, aut de bonis testamento relictis, de quibus dumtaxat loquitur Consuetudo *Et si testator*; nec ulla fraus, quæ fiat Consuetudini , aut simulatio deprehenditur ; & licet ex reservato usufructu in instrumento donationis conjectura, & fraudis argumentatio a nonnullis Doctoribus concipiatur; præsens tamen quæstio omnem explodit fraudis suspicionem , tum inspecto tempore , & inspecta qualitate clericali donatoris , tum quia versatur circa donationem, quæ facta fuit ob causam, & continet remunerationem, quæque perfecta fuit vera & reali traditione, non illa quæ ministerio legis inducitur , & improbatur altera Consuetudine *Instrumenta donationum de instrumentis confectis per Curiales Neapolitanos , & fide eorum* . Ducatos vero 2000. subjacere providentiæ Consuetudinis , per contributum tamen , utpote qui testamento fuerunt relicti ex dispositione laudatæ Consuetudinis *Et si testator*, nemo inficias ibit.

Cajetanus Colella Scriba.

In causa Ven. Collegii Scholarum Piarum Duciffæ cum Leopoldo de Blasio. Die 8. *Aprilis* 1780.

Referente Reg. Cons. Corradino.

S.R.C., inspectis omnibus actis, sequentem protulit sententiam: *Bene fuisse appellatum per Ven. Collegium Scholarum Piarum , & male fuisse judicatum per M. C. V.*; *ac proinde debitæ exequutioni demandetur antecedens decretum ipsius M.C., interpositum sub die* 30. *Junii* 1770., *in rem judicatam transactum, juxta illius seriem, conti-*

Proprietate ab Ecclesia acquisita ante promulgationem legis , quæ *amortizationis* dicitur, licet usufructus postea consolidetur, dispositionis caducitati locus esse nequit.

nentiam, *& tenorem*; *salvis tamen juribus Leopoldo de Blasio*, *si quæ competunt*, *adversus Patrimonium in S.C. deductum Januarii Califano pro satisfactione celebrationis Missarum per idem Ven. Collegium sequutæ ex propria pecunia*; *qui Leopoldus teneatur continuare solutionem annui reditus conventi super sorte ducatorum 900. per dictum Januarium Califano debiti*. *Neutram Partem in expensis*.

Rectius M. C. priori ejus decreto 2. Kal. Julii anni 1770. interposito rem definierat. Sebastianus Valentinus hujus Civitatis supremis tabulis anni 1761., herede usufructuaria Marianna ejus sorore relicta, bona hereditaria vendi jussit, & tam pecuniam, quæ ex venditione cogeretur, quam quæ in septem saeculis circiter ducat. 3000. servabatur, voluit in tutam emtionem converti, deductis ducatis 1800., quos statuit dari Collegio Patrum Scholarum Piarum, degenti in loco, ubi vulgo dicitur *alla Duchessa*, ut per eosdem etiam in emtionem tutam impenderentur, ex cujus reditu Sacrum in eorum Ecclesia quotidie fieret pro expiatione peccatorum ipsius testatoris, & aliorum conjunctorum: qui fructus ex emtione per heredem facienda acquireretur, præscripsit, ut cederet ipsi heredi, donec viveret, demta parte, quæ responderet quantitati ducatorum mille, cujus usufructum legavit ejus fratri patrueli Ignatio Valentino; quibus obeuntibus, bona emenda, & reditus ad idem Scholarum Piarum Collegium perveniret pro tot Sacris in ipsamet Ecclesia celebrandis. Varias insuper pecuniarum quantitates ad trecentos usque ducatos, ejus fratri Paulo, qui tunc dicti Collegii Rector erat, socero, & uxori legavit, cui præterea ejus supellectilem, annulos, gemmas. Testatore paulo post jam defecto, Marianna ab ipso heres instituta M.C. adiit, atque præfata, sibi damnosum testamentum fratris, in cujus bonis antiquis (quæ nulla erant) ex hujusce Civitatis Consuetudine medietas sibi ipsi deberetur, obtinuit, ut fieret adnotatio, & protestatione præmissa, ne id suo præ-

præjudicio verteretur, decretum præambulum, ut in possessionem fraterni patrimonii mitteretur. Huic jurgio aliud accessit viduæ testatoris, quæ petiit, uti pauper, quartam uxoriam super bonis viri; quibus adnotatis, non ducati 3000. circirer reperti sunt, sed circiter 2000. Jurgia hæc transactione, quæ sequenti anno 1762. inita fuit, fuerunt composita. Convenit, ut loco ducatorum 1800. pro institута Capellania 1200. Collegio Scholarum Piarum darentur; 300. Annæ Aversæ testatoris viduæ, præter supellectilem; minueretur quantitas pecuniæ legatæ fratri, & socero; & deponi ducatos 900., eosque in aliquam tutam emtionem converti, cujus proprietas esset ejusdem Collegii, fructus, quoad viverent, ad heredem institutam, & ad Ignatium Valentinum pertinerent pro portionibus inter se divisis, quorum altero præmoriente, pars defecta superstiti accresceret: & utroque defuncto, cum proprietate, quæ Collegii erat, coalescerent ad usum per testatorem præscriptum. Transactio executionem habuit, ac ex ducatis 900. emptio comparata fuit ducatorum annuorum 33. & assium 75. a D. Januario Califano, interveniente in contractu Rectore dicti Collegii, confirmatis, quæ de proprietate, & fructu in transactione convenerant. Res nullam habuit dubitationem usque ad annum 1770., tunc cum lata antecedenti anno lege, quæ acquisitionibus locorum piorum contraxit habenas, prosiluere Marianna Valentino, ejusque conjux Leopoldus de Blasio, atque judicium in M. C. instituerunt, petentes, ut decerneret, ad ipsam Mariannam spectare ducatos 900., uti fratris heredem, non ad Collegium Scholarum Piarum, cum onere tamen Sacrorum celebrandorum juxta testatoris mentem, & initam transactionem, atque id cautum recenti Principis edicto. Quod petierunt conjuges, obtinuere eodem anno: nam M. C. decrevit, spectavisse & spectare tam proprietatem, & usumfructum dictæ Mariannæ Valentino, non obstante substitutione (non satis bene hoc verbo obtruso)

truso) in beneficium Ven. Collegii Scholarum Piarum, stantibus Regalibus ordinibus, cum onere tamen dictæ Mariannæ celebrationis Missarum, servata forma conventionis initæ sub die 3. Aprilis 1762. Vita functa Marianna Valentino, cui creverat usufructus portio, debita ejus patrueli Ignatio Valentino, qui prædecesserat, en denuo in scenam judiciariam prodire ejus virum Leopoldum de Blasio. Hic in M. C. anno 1777. edidit donationis instrumentum ipsi antecedenti anno factæ dictorum ducatorum 900., & fructus per Januarium Califanum venditi, atque postulavit, ut & ducati 900., & ipsi reditus sibi addicerentur, ratus, non officere decretum jam latum per M. C., uti adversum Principis recentioribus edictis, arbitrio heredis relinquendam esse celebrationem Sacrorum, scilicet (hoc enim intellexisse compertum est) cum tota hereditas bis Sacris celebrandis per testatorem reperiretur absumta. Lite de more judiciorum contestata, M C. anno 1778. decrevit pro actore, qui ex fructu ducatorum 23., & ass. 75. ex ducatis 900. derivante jussit præstare Collegio Scholarum Piarum annuos duc. septem, & ass. 20. pro celebratione trigintasex Missarum quotannis &c. Devoluto pro appellatione judicio in S. C., frequens ivit Senatus in illam sententiam, qua primum M. C. decretum jussit executioni demandare, idque jure, ut visum est. Primo, si testamentum Sebastiani Valentino perpendatur, non totam hereditatem in Sacris faciendis, quod recentibus edictis vetabatur, absumsit; nec officere, minorem pecuniæ quantitatem adinventam, quam ipse pronunciasset paucos ante dies, quæ facile, ut sæpe experimento discimus, sequuto testatoris obitu, direptionem passa erat. Dein, si illa quantitas attendenda sit, quæ adnotata fuit, atque credendum sit, testatorem tam crasso errore lapsum, ut duplo majorem eandem fateretur, adhuc non consequitur, totam hereditatem in iis Sacris faciendis absumptam, nam per transactionem inter Partes initam Ca-

Capellania 1800. ducatorum ad 1200. fuit cohibita, uti & legata reliqua imminuta, itaut ipsa heres Marianna quoad vixerat ejus frater patruelis Ignatius, parte fructus coemti ducatis 900. ex Januario Califano, & post Ignatii obitum, toto potita fuisset. Sed nec nostri Principis edicta hac in re anteactas respiciebant hominum voluntates, quæ effectum sortitæ essent, quin expresse voluit, ne turbarentur, ita liceat exprimi, compositi cineres. Et in casu proposito usque ab anno 1762. ducatorum 900. proprietas addicta jam fuerat Collegio Scholarum Piarum, & quod magis ex transigentium voluntate. Et transactiones vim rei judicatæ obtinere, in *L. 20. C. sub tit. de transact.* statuitur; quin & *L. 17. eod. tit. C.* habetur, causas, vel lites transactionibus legitimis finitas, Imperiali Rescripto resuscitari non oportere: & hujusmodi transactio longe præcedebat illa Principis edicta. Transactionem res judicata sequuta est, quam rescindi, etiam sub specie instrumentorum postea repertorum, exemplo grave esse, dicit *L. 4. C. de exemt. rei judic.*

Joannes Maria Graziano Act. Mag. -- Vincentius Milone Scriba.

In causa heredum D. Michaelis Angeli Porzio cum Rev. Fratribus S. Mariæ vulgo dicta del buon successo. *Die 18. Julii 1780.*

Legatis fundi fructibus, sive illorum parte legata, fundus idem hypothecæ subjectus favore legatarli intelligitur; ideoque redimibile non est legatum.

VIsis libello D. Petri Guariglia, & decretis Domini causæ Commiss., quibus ordinatum fuit, faciendum esse depositum duc. 628. & ass. 57. per heredes qu. D. Michaelis Angeli Porzio pro capitali, seu potius pretio annuorum duc. 22. legatorum per qu. D. Hyacintham Ossorio in ejus testamento anni 1671., exsolvendorum ex fructibus & redditibus domus collocatæ in hac Civitate, in regione S. Catharinæ de Siena, pro explenda celebratione missarum anno quolibet per Rev. Fratres Nationis Hispanorum Conventus S. Theresiæ, seu S. Mariæ vulgo dictæ *del buon successo*; visisque demum ceteris actis, Re-

S.R.C. decrevit: *Annuos duc. 22. modo dictos esse prorsus irredimibiles, seu inaffrancabiles, tanquam onus impositum per D. Hyacintham Offorio testatricem super dicta domo, & fructibus, seu redditibus ejusdem, in perpetuum adimplendum pro celebratione missarum: proindeque suspensis decretis depositum decernentibus, heredes qu. D. Michaelis Angeli Porzio solvant & correspondeant anno quolibet in beneficium Rev. Fratrum dictos annuos duc. 22. ex redditibus enunciatæ domus, retentis penes se ex pretio ejusdem domus ducatis 628. & ass. 57., & Dominus Commissarius provideat super deductis per D. Petrum Guariglia contra heredes qu. D. Bonifacii Samper.*

Comperitur enim ex actis, D. Hyacintham Offorio legasse Rev. Fratribus ex redditibus totius domus annuos ducatos 22. pro explenda celebratione missarum in perpetuum; idcirco domus eadem juris ministerio est perpetuo hypothecata pro dictis duc. 22.; nam ut ait Papinianus in *L. fundus 9. ff. de ann. legat.*, censetur testatorem pignus esse velle fundum, de cujus fructibus, seu redditibus annuum legatum relinquit; idcirco ipse fundus perpetuo est hypothecatus in beneficium legatarii pro annuo legato; a quo Papiniani responso non dissentit Justinianus in *L. si quis 35. §. 1. C. de donat.* Merito igitur S.R.C. decernit legatum supradictum annuorum duc. 22. esse irredimibile.

Priscolus.

In causa Curatoris Angelæ Nocerino cum Agnello, & aliis de Nocerino. Die 27. Septembris 1779.

Cum extincta linea unius ex filiis, descendentes ex altero testator vocaverit, fœminæ unius lineæ a masculis alterius non excluduntur.

MAtthæus Nocerino decessit, relicta filia, quam patrueles ejus de Nocerino repellere a bonis avi Berardini Nocerino conabantur obtutu fideicommissariæ substitutionis ab eo demandatæ. Licet enim Berardinus bona penes

nes ejus filios, & nepotes ex filiis, eorumque descendentes masculini sexus manere cavisset, subdidit attamen, ut extincta linea alterius ex filiis, portio deficientis superstitibus accresceret. Verbum itaque *linea*, quo usus est testator, æque masculos, atque fœminas complectitur. *L. Triphon. ff. de gradib. & affinit. L. 2. & 12. ff. de legit. heredib.*; eo vel magis quia æquitati dissonum videbatur, prætermissa filia, ad masculos alterius lineæ saltitare, *Nov. 91. tit. 3. Imp. Just. §. his igitur*. Ex quibus censuit S. R. C. Angelæ filiæ unicæ Matthæi Nocerino, utpote sub nomine lineæ comprehensæ, possessionem bonorum avi vel ipsa viva non esse prorsus denegandam. Hinc

Referente Regio Cons. Criscenio,

pronunciavit: *Bona quæ remanserunt in hereditate qu. Matthæi Nocerino, quæ eidem obvenere ab hereditate qu. Berardini ejus patris, spectavisse, & spectare in beneficium Angelæ Nocerino; salvis juribus Agnello, aliisque de Nocerino, si quæ competunt, secuto obitu ejusdem Angelæ.*

Leopoldus Paolella Scriba.

In causa D. Michaelis Pisano cum D. Lelio, & D. Andrea Pisano. Die 11. Aprilis 1780.

Referente Regio Cons. Potenza,

S.R.C., visis omnibus actis, pronunciavit: *Deberi D. Michaeli Pisani tertiam partem medietatis capitalium relictorum in beneficium D. Isabellæ Pisani a qu. D. Lælio Pisani seniore ejus patre, una cum fructibus a die secutæ divisionis inter dictum D. Michaelem, & D. Lælium Pisani juniorem ejus fratrem, calculandis per Scribam causæ. Quoad cetera vero prætensa, & deducta per dictum D. Michaelem super iisdem capitalibus ex causa prætensi fideicommissi, idem D. Lælius ejus frater absolvatur ab impetitis. Neutram partem in expensis. Necnon visis comparitione, decretis Domini causæ Commiss., relatione magn.*

Qui donat senio jam confectus, & procreandæ soboli impar, in fraudem Consuetudinis donare videtur.

magn. Tabularii , & omnibus actis , S. C. declarat , ex rata pretii domus, & viridarii in Civitate Surrenti, debita D. Michaeli Pisani, deducendas esse pro rata meliorationes in actis deductas pro eo quod fuit impensum.

Ita censuit S. C. eo quod D. Isabella Pisani, cum donaret D. Lælio Pisani ejus nepoti, senio erat confecta, & soboli procreandæ impar; itaut potius in fraudem Consuetudinis *Etsi testator*, quam ex urgenti causa, omnia bona sua in unum D. Lælium contulisse videatur. Eapropter S. C. visum est, successionem in capitalibus ab ea donatis reducendam esse ad normam præfatæ Consuetudinis, & D. Michaeli Pisani uni ex tribus fratribus ratam addicendam eorumdem capitalium, in quam vigore patriæ legis successurus fuisset.

Censuit itidem S. C. in testamento qu. D. Lælii Pisani senioris respectu eorumdem capitalium nullum adesse fideicommissum, cum nulla in eo videatur ordinata quoad successionem in dictis capitalibus fideicommissaria substitutio. Ad expensas vero quod attinet pro meliorationibus in actis deductis lata fuit sententia juxta *L. domos ff. de leg.* 1.

Amora Act. Mag.

In causa inter Ill. Ducem Celentiæ, & Universitatem Carunculi, cum Universitate, & Civibus Terræ Lisciæ. Die 19. *mensis Junii* 1780.

Referente Regio Cons. Starace,

Qui sibi, non qui alteri possidet, temporis beneficio juvari potest.

S. R. C. decrevit: *Super omnibus hinc inde deductis tam per Ill. Ducem Celentiæ, quam per Homines, & Cives Terræ Lisciæ, infra quatuor dies audiantur Partes; Et interim prædictus Ill. Dux utatur jure suo; Verum Cives prædictæ Terræ Lisciæ, qui coluerunt agros in judicio deductos, non amoveantur, nisi expleto currenti anno.*

Universitas, ac particulares Cives Terræ Lisciæ die 27. mensis Januarii anni 1751. in Regia Audientia Teatina manuteneri in possessione colendi quoddam territorium

rium *Papecoli* nuncupatum, petierunt; ex eo quod pluribus ab hinc sæculis eorum majores, permissu tunc Ducis Celentiæ dicti territorii domini, de inculto cultum suis laboribus reddiderunt. Translata inde causa in S.R.C., ipsa Universitas Lisciæ quæstionem de dominio ejusdem territorii excitavit, asserendo quod tanquam vera domina & patrona in eo jus habet seminandi, pascendi animalia cujuscumque generis, lignandi, & denique faciendi omnes actus dominicales, quos ab immemorabili sine ulla perturbatione semper exercuit. Sed impartito per Regium Consil. Romano tunc causæ Commiss. summario termino, ad finem videndi quisnam lite pendente esset in possessione manutenendus, dicta Universitas Lisciæ proprietatis quæstionem consulto neglexit, & iterum ad suorum civium jus pro perpetua colonia defendendum surrexit. Subjunxit tamen in prædicto territorio jus vicinitatis, hoc est jus pascendi, lignandique eosdem cives acquisivisse. Econtra Celentiæ Dux suum ejusdemmet territorii dominium ostendendo, nullam super illud jus Civibus Terræ Lisciæ neque prætensæ perpetuæ coloniæ, nec lignandi, aut pascendi competere defendebat.

Satis enim quoad dominium superque ex quodam instrumento diei 4. mensis Aprilis anni 1557. compertum est, præfatum territorium, *Papecoli* nuncupatum, de pertinentiis Terræ Carunculi ad ipsiusmet Universitatem pertinuisse; Adeout eadem illud aliquibus Civibus Terræ Palmularum per annos quatuor locatum dedit, variis in dicto instrumento adhibitis pactis, & conditionibus. Post vero multos annos cum Dux Celentiæ D. Julius Cæsar Caracciolo se ejusdem Universitatis in summa ducatorum 4140. creditorem faceret; & cum econtra ipsa Universitas ad hujusmodi debitum satisfaciendum pro viribus suis, ut dixit, impar esset, eidem Duci inter alia corpora enunciatum territorium in solutum, & pro soluto illam ob causam tradidit, etiam variis in instrumento, quod die 13. mensis

Septembris anni 1609. fuit stipulatum, adhibitis.

Quod tamen ad comprobandum dominium prædicti territorii penes Ducem magis urget, est sextuplicata ejusdem Universitatis confessio. Tantum enim abest, quod hæc ullam de proprietate probationem protulisset, quod immo tam in judicio, quam extra contrarium patefecit.

Hercule in judicio, cum primum in Regia Provinciali Audientia comparuit, non aliud deduxit, nisi quod sui Cives in dicto territorio jus perpetuæ coloniæ acquisierint, ex eo quod eorum Majores de inculto cultum reddiderant, *corrispondendo puntualmente ogn' anno a detti Ill. Duchi, ed in particolare all' odierna Ill. Duchessa di Celenza il terratico di tutte quelle biade, che vi seminavano*.

Inde, ut hanc convalidaret assertionem, quam etiam in memoriali Præfecto Aulæ Commiss. præsentato ratam habuit, copiam cujusdam supplicationis sub die 23. mensis Maji anni 1755. tunc temporis Duci porrectæ, & Rescripti, quod in calce illius dedit, exhibuit. Ex quibus luculenter apparet, ex supplicatione scilicet, Cives, qui dictum territorium colebant, tumbolos centum, & ultra frumenti pro terragio in beneficium Ducalis Cameræ contribuere; Et ex Rescripto, quod *ogni qual volta l' Università della Liscia farà obligo di pagare li terraggi alla casa di tutti quelli coloni seminano nel territorio della terra di Carunchio, l' Erario Dezio Conte non gli dia molestia, e che li faccia seminare in detto territorio*.

Et quod majus est, in dicto summario termino, quem his non obstantibus compilare assumpsit, articulavit, & per testes ab ipsa productos probavit, *che per quel terreno, che seminavano essi Cittadini della Liscia, corrispondevano il terratico agl' Ill. Possessori di Carunchio, e suoi Erarj*.

Idem etiam extrajudicialiter, & verbis magis apertis fassa fuit. Nam dum lis in S.R.C. agebatur, congregatis

in

in publico Parlamento sub die 23. mensis Octobris dicti anni 1751. septuaginta duobus Familiarum capitibus, hoc est tota dictæ Terræ Lisciæ Universitate, in eo unanimiter, & nemine penitus discrepante conclusum remansit, expediens esse, & rationi consonum *di togliere ogni lite coll' Eccellentissima Sig. Duchessa di Celenza per la pretenzione, che detta Università aveva di reintegrarsi nel possesso del territorio nomato li* Papecoli, *per esser detta pretenzione notoriamente insussistente, atteso il detto possesso è stato sempre dell' Ecc. Casa di Celenza diretta padrona del sopradetto territorio di* Papecoli.

In supplicatione insuper, quam pro enunciatæ conciliaris Conclusionis executione dictæ Ill. Ducissæ porrexit, etiam expresse declaravit *di non voler più litigare, e proseguire nel S.C. coll'Ecc. Vostra il litigio sopra il territorio di* Papecoli, *per essersi considerato maturamente di essere insussistente la pretenzione, che l'Università teneva di reintegrarsi nel possesso di coltura sopra detto territorio*. Unde in gratiam petendo, ut ipsius Civibus cultura territorii prædicti concederetur, securitatem pro solutione terragii cujuscumque speciei etiam publico mediante instrumento obtulit.

Et tandem, impartito supradicto summario termino, cum in eodem decreto a Regio Consiliario Romano tunc causæ Commissario fuisset etiam præscriptum, ut prædicta Regia Audientia Provincialis personam sibi melius visam pro cultura ejusdem territorii, & pro fructuum recollectione præeligeret, sicuti Scriba ad hoc opus destinatus mandatum relaxavit, ut Partes suspectorum notulam darent; ita dictæ Terræ Lisciæ Camerarius, ejusque frater Sacerdos D. Crescentius de Lallo prædicto Scribæ responsum dederunt: *non tenere persona alcuna per sospetta per la coltura di dette vettovaglie, ma che detta Ill. Duchessa era padrona di eliggere, e nominare chi meglio era di lei piacere, giacchè loro non anno veruna pretenzione, nè*

nè jusso, o ragione sopra detti territorii di Papecoli, *per essere assolutamente di detta Ill. Duchessa; e se la medesima voleva, che li terraggi si fussero portati in questa Terra nel suo Fondaco, secondo si è praticato per lo passato, o in qualunque altro luogo, sarebbero stati prontissimi senza la minima contrarietà.*

Si ergo verum est id, quod Imperatores Diocletianus, & Maximianus in *L. ad probationem*, *Cod. de loc. & cond.* rescripserunt: *Indicia*, nempe, *certa, quæ jure non respuuntur, non minorem probationis, quam instrumentorum continent fidem, quo jure si de proprietate domus ambigis, negotiumque integrum est, uti non prohiberis*, quanto fortius in præsenti casu, ubi non solum præfata instrumenta, sed tot, tantæque post ea Universitatis Terræ Lisciæ judiciales, ac extrajudiciales confessiones concurrunt?

Ipsiusmet Universitatis Advocatus hanc agnoscens veritatem, prout honesti sui moris est, huic puncto palam in Aula cedere non dubitavit; solum proinde institit, ut perpetuæ coloniæ jus in Civium prædictæ Terræ beneficium declararetur. Et in hoc etiam articulo S. C. diu, seduloque immoratum fuit.

Equidem ex actis clarius, quam par sit, apparet, quod in anno 1557., quando dicta Universitas Terræ Carunculi præfatis Terræ Palmularum Civibus dictum territorium locatum dedit, idem territorium erat, prout nunc est, partim cultum, partim sylvosum; & quod pars, quæ culta erat, a Civibus Terræ Carunculi ferebatur. Pactum enim inter eandem Universitatem Terræ Carunculi, & Conductores enunciati territorii fuit initum: *Che tutte le Terre non volessero lavorare li Homini di Carunchio se possano dare ad lavorare ad Forastieri, a chi parerà, e piacerà ad essi Affittaturi ad loro modo; ma quelle Terre, che lavorano li Homini di Carunchio non se le possano levare.* Rursum innotescit, quod in anno 1609., quan-

quando eadem Universitas Carunculi in solutum dedit prædictum territorium Ill. Duci D. Julio Cæsari, simile pactum fuit in instrumento appositum: *Che detto Signor Compratore non possa levare le Terre a quelli*, idest Civibus Terræ Carunculi, de quibus sermo habebatur, *che le tengono, per darle a coltivare ad altri, volendole coltivare essi*. Ex quibus deducitur, quod territorium prædictum tunc temporis erat jam cultum, & a Carunculi Civibus serebatur: & quod proinde falsum omnino sit, idem a Civibus Terræ Lisciæ de inculto cultum suis laboribus reddirum fuisse.

His adjungitur, ipsam Lisciæ Universitatem in dicto publico Parlamento congregatam, dum lis magis ardebat, fassam fuisse, *esser la pretensione, che detta Università aveva di reintegrarsi nel possesso del territorio nominato li* Papecoli *notoriamente insussistente, atteso il detto possesso è stato sempre dell' Eccellentissima Casa di Celenza diretta Padrona, con la facoltà di farlo coltivare a chi l' è paruto, e piaciuto, come dalle concessioni*. Quod similiter in præfata supplicatione dictæ Ill. Ducissæ Celentiæ pro executione supradicti Parlamenti porrecta confirmavit, ibi etiam expresse confitendo *di essere insussistente la pretensione, che l' Università teneva di reintegrarsi nel possesso di coltura sopra detto territorio, per esser questo assolutamente di V. Ecc., che ave la piena facoltà, come Padrona assoluta di farlo coltivare a chi pare, e piace, secondo ha fatto per lo passato, senza che detta Università, e Cittadini coloni abbiano potuto, e possano pretendere alcuna ragione di possesso sopra detto territorio, per esser semplici superficiarj, e come tali si dichiarano poter sempre essere amossi dalla coltura del detto territorio, senza poter pretendere sopra di esso azione alcuna*.

Cum ergo nullo possit dubio verti, dominium dicti territorii post cessionem in solutum factam ab Universitate Carunculi Duci D Julio Cæsari, semper fuisse penes Celentiæ

tiæ pro tempore Duces, Civesque Terræ Lisciæ tantummodo in illius cultura precario permansisse, hos proinde nullum jus præscriptum ostentare posse dignoscitur. Textus enim est expressus in *L. male agitur*, *Cod. de præscript*. 30. *vel* 40. *ann.*; ubi sic statuitur: *Male agitur cum Dominis prædiorum, si tanta precario possidentibus prerogativa defertur, ut eos post quadraginta annorum spatia qualibet ratione decursa, inquietare non liceat . . . Eos autem possessores non convenit appellari, qui ita tenent, ut ob hoc ipsum solitam debeant præstare mercedem. Nemo igitur, qui ad possessionem accedit, diu alienas res tenendo, jus sibi proprietatis usurpet, ne cogantur domini, aut amittere quæ locaverunt, aut Conductores utiles sibi fortassis excludere, aut annis omnibus super dominio suo publice protestari*. Temporis porro beneficium juvat iis, qui sibi, non iis, qui alteri, hoc est precario possident, *cum Lex Constantiniana*, sicut in citata lege exprimunt Imperatores, *jubeat, ab iis possessoribus initium non requiri, qui sibi potius, quam alteri possederunt*.

Minoris denique roboris est illa, quæ fuit adjuncta prætensio, prædictos Cives Terræ Lisciæ jus vicinitatis, idest jus pascendi, ac lignandi in dicto territorio acquisivisse. Nullus enim est, qui ignoret, quod in alterius fundo nascitur, illius esse, adeout invito Domino in ejusdem fundum animalia ad pascua sumenda immittere non liceat, ex *text. in LL.* 1. 2. *&* 3. *Cod. de pasc. publ.*, necnon in *L. pratum*, & ibi *Gloss. ff. de verb. signif.* Et proinde si immittantur, expelli sine injuria licite possunt per *L. Quintus ff. ad L. Aquil.*, eandem ob rationem, quod herba, sive arbor, qui in alterius fundo nascitur, illius est cujus est fundus, juxta *L. qua ratione, & L. adeo, § fin. ff. de acquir. rer. dom.*

Et licet aliqui sint inter Scriptores, qui autumant, ex duplici causa jus istud acquiri posse, pacto scilicet, aut per præscriptam servitutem; utraque tamen in casu, de quo

quo agitur, evanescit. Prima namque, cum nulla inter Partes conventio usque adhuc exhibita sit. Et secunda, quia potius contrarium liquet ex actis. Liquet enim ex prædicto instrumento cessionis in solutum inter dictum Ducem D. Julium Cæsarem, & Universitatem Carunculi stipulato, præter alia, pactum illud fuisse initum, *che acciò li Homini della Terra predetta possano attendere alla coltura con la comodità necessaria, sia lecito alli Cittadini di detta Terra di Carunchio, tanto quelli, che coltiveranno in detto territorio delli Papecoli come territorio serrato, e parare li bovi, e vacche domite, senza che siano tenuti per essi animali a pagamento alcuno di fida, o altro; e così ancora possano far pascolare nel territorio predetto franchi, e far mietere erbe per bestie di soma, e sella, che serviranno per uso di detti Cittadini.* Quod certe nequaquam fieri potuisset, si territorium prædictum esset alterius servituti obnoxium; & non *territorio serrato.*

Hinc sicuti Universitas Terræ Carunculi semper in eodem territorio animalia Civium Terræ Lisciæ tempore æstivo, scilicet a S. Angelo mensis Maji ad S. Angelum mensis Septembris fidavit, ab iisdemque fidam exegit, prout constat non solum ex dictis Universitatis Extimis, ubi iidem Cives Terræ Lisciæ, qui fidam solvebant, descripti leguntur, verum etiam ex computis ejusdem Administratorum pro tempore, ubi illa introitata inspicitur; ita eandem fidam fuisse a Duce Celentiæ pro reliquo anni tempore semper exactam, ultra testes in supradicto summario termino productos, non minus, quam ex solemni confessione dictæ Universitatis, Civiumque ejusdem Terræ Lisciæ, tam ante judicium cœptum, quam post, & in majore ejusdem calore, clarescit. Revera ante judicium cœptum, & proprie sub die 23. mensis Maji anni 1735. in indicata supplicatione Ill. tunc temporis Duci porrecta, utique pro animalibus culturæ addictis fidam præstare renuerunt, sed respectu aliorum cujuscumque speciei solitam fidam

fidam solvere se promptos esse fassi sunt. Et post judicium, immo in majore ejusdem calore, omnibus in publico Parlamento congregatis, etiam id quod intererat, se soluturos præstiterunt, *per la fida de' rispettivi animali di ogni genere secondo il solito, a riserba de' bovi aratori, che coltivano la divisata Difesa*.

Propterea indemnibus relictis juribus Universitati, ac Civibus Carunculi juxta relatum instrumentum cessionis dicti territorii stipulatum eandem Universitatem inter, ac Ducem D. Julium Cæsarem, S. R. C. decretum desuper expressum interponere censuit.

Buonocore Act. Mag. -- Russo Scriba.

In causa interpositionis decreti præambuli ab intestato qu. Rev. D. Agnelli Ciampitelli, ut ex actis, Die 28. mensis Junii 1780.

Referente Dom. Regio Consiliario Patrizio, cum interventu Dom. Aulæ Præfecti Paoletti.

In directum judicium differenda sunt quæ altiorem quæstionem habent.

Viso decreto per M. C. lato junctis Aulis die 17. Augusti anni 1779. in hæc verba concepto: *Interponatur præambulum Rev. qu. D. Agnelli Ciampitelli ab intestato in bonis sitis extra districtum hujus Civitatis pro duabus ex novem portionibus in beneficium D. Januarii, & D. Rosæ Ciampitelli fratris, ac sororis ejusdem patruelium, utpote filiorum qu. Marci Antonii Ciampitelli: pro aliis quatuor portionibus in beneficium D. Jacobi, D. Carminæ, & D. Theresiæ Ciampitelli, nempe pro duabus ex dictis quatuor portionibus in beneficium D. Jacobi, & D. Carminæ, & pro reliquis duabus in beneficium D. Theresiæ, una scilicet jure ejus proprio, ac altera ex juribus renunciationis ei factæ a D. Angelo Ciampitelli ejus fratre, pariter fratrum, & sororum patruelium dicti qu. D. Agnelli, quippe filiorum qu. Nicolai Ciampitelli: Pro aliis duabus portionibus in beneficium D. Francisci, & D. Albertæ Pelosi, fratris, ac sororis amitinorum dicti qu. D. Agnelli,*

gnelli, ac filiorum nempe qu. D. Angelæ Ciampitelli, servata tamen forma conventionis inter eos initæ. Et pro reliqua ex dictis novem portionibus in beneficium D. Theresiæ Mazzacane sororis amitinæ dicti qu. D. Agnelli, filiæ qu. Constantiæ Ciampitelli.

Quo vero ad bona intra districtum sita, tam quæsita ab ipso D. Agnello, quam quæ ei obvenere a patre, vel ab quo ex linea paterna, interponatur ejusdem præambulum pro duabus ex novem portionibus in beneficium patruelis D. Januarii Ciampitelli, una nempe ejus nomine proprio, ac altera ex persona D. Rosæ Ciampitelli ejus germanæ sororis, cum onere tamen eam dotandi: Pro aliis quatuor ex dictis novem portionibus, stante eorum consensu, ac conventione, *in beneficium patruelium D. Jacobi, D. Carminæ, & D. Theresiæ Ciampitelli, pro duabus scilicet in beneficium D. Jacobi, & D. Carminæ, & pro aliis duabus favore D. Theresiæ tam proprio jure, quam uti renunciatariæ D. Angeli ejus fratris. Pro aliis duabus portionibus in beneficium amitini D. Francisci Pelosi, una nempe jure ejus proprio, ac alia ex persona D. Albertæ Pelosi ejus germanæ sororis, cum onere tamen adimplendi conventionem habitam cum dicta D. Alberta, ac pro eo in beneficium D. Januarii, D. Jacobi, D. Carminæ, & D. Theresiæ Ciampitelli, servata forma consensus ejusdem D. Francisci, ut ex comparitione in actis exhibita: Et pro reliqua ex dictis novem portionibus in beneficium D. Theresiæ Mazzacane sororis amitinæ.*

Respectu denique bonorum intra districtum pariter sitorum, quæ eidem qu. D. Agnello obvenerunt a matre, vel ab aliquo ex linea materna, interponatur pro nunc præambulum ejusdem pro tribus ex octo portionibus in beneficium D. Angeli Antonii, & D. Josephi delle Donne ex persona qu. D. Cajetani delle Donne eorum defuncti patris, & ex personis pariter D. Dominicæ, & D. Eleonoræ amitarum eorumdem, ac ex eorum juribus in beneficium D. Januarii, &

& D.Theresiæ Ciampitelli, servata forma instrumenti cessionis inter eos confecti. Pro alia ex dictis octo in beneficium D.Deodatæ de Marino Baronissæ S.Luciæ. Pro alia portione in beneficium D.Octaviani Valva. Pro sexta portione in beneficium Marchionis D. Matthæi Valva filii, & heredis qu. D.Joannis Baptistæ, renunciatarii D.Virginiæ ejus sororis consanguineæ Monialis Professæ in Monasterio Benedictinarum Civitatis Salerni: Et pro reliquis duabus ex dictis octo portionibus in beneficium D. Roderici, & D. Benedicti Caldora; Verum pro prætensis pro parte dictorum conjunctorum ex parte matris, an scilicet inspicienda sit proxima, vel remota, sive immediata, vel mediata causa obventionis bonorum, & an fratres de Caldora indiscriminatim admittendi sint in omnibus bonis maternis, salvis eorum juribus, Partes adeant S. R. C. penes acta hereditatis dicti qu. D. Agnelli Ciampitelli. Respectu vero portionum prætensarum nomine D. Rosæ, D. Scholasticæ, & D.Annæ Caldora, capiatur summaria informatio, auditis omnibus interesse habentibus; facta interim obligatione per prædictos D.Januarium, & D.Theresiam Ciampitelli, D.Deodatam de Marino, D.Octavianum, & D. Matthæum Valva, ac fratres de Caldora de non alienando, & de restituendo etiam fructus, donec aliter per M. C. fuerit provisum, constito de existentia, ac de pari proximitate dictarum D. Rosæ, D. Scholasticæ, & D. Annæ Caldora. Pro exequutione tamen decreti Regii Consiliarii D. Horatii Guidotti, non consignetur fides, neque copia hujus decreti, nisi consulto prius S.R.C., sive dicto Regio Consil. Guidotti Commissario.

Visis insuper Regia decretatione, quæ extat in actis: Nullitatibus productis adversus decretum M.C.V.: Supplicationibus de verbo faciendo in S.R.C.: Visaque pariter supplicatione porrecta in ipso S.R.C. nomine magn. D. Octaviani Valva, & magn. D. Adeodatæ de Marino Baronissæ S.Luciæ, ac omnibus actis: S.R.C. decrevit:

Pri-

Primam, & secundam prædictarum nullitatum obstare: ac proinde remissa est causa eidem M. C., quæ tamen respectu decreti præambuli qu. Rev. D. Agnelli Ciampitelli in bonis intra districtum hujus fidelissimæ Civitatis existentibus, tam ab eo quæsitis, quam quæ eidem obvenere a patre, vel ex paterna linea, provideat, quod interponatur decretum in beneficium magn. D. Januarii, D. Jacobi, ac D. Theresiæ Ciampitelli uti renunciatariæ Rev. D. Agnelli Ciampitelli, etiam ex personis (stante eorum consensu) suarum sororum, quæ pariter fuerunt dotatæ: Decretum vero præambuli ipsius qu. Rev. D. Agnelli quoad bona similiter posita infra districtum hujus Civitatis, quæ ei a matre, vel ex linea materna obvenere, interponatur, etiam attento Partium consensu, pro tribus ex quinque portionibus in beneficium magn. D. Angeli Antonii, & D. Josephi delle Donne ex personis qu. D. Cajetani delle Donne, suarumque sororum, ac pro eis in beneficium magn. D. Januarii, & D. Theresiæ Ciampitelli, servata forma conventionis inter eos initæ; & pro reliquis duabus ex prædictis quinque portionibus in beneficium magn. D. Roderici, ac D. Benedicti Caldora: Salvis tamen utrisque juribus in S. C. penes acta hereditatis tempore immissionis in beneficium prædictorum de Caldora pro declaratione, an eis debeatur pro duabus portionibus etiam in bonis, quæ ex hereditate qu. D. Nicolai delle Donne, & ejus utraque linea pervenerunt qu. D. Theresiæ ipsius filiæ, matri defuncti Rev. D. Agnelli Ciampitelli.

Respectu denique prætensorum pro parte, tam magn. D. Theresiæ Mazzacane, & magn. D. Cajetani de Martino, D. Vincentii Mariæ Vitolo, D. Paschalis, D. Philippi, & D. Januarii Mondelli quoad bona paterna intra districtum; quam Ill. Marchionis D. Matthæi Valva, D. Octaviani Valva, & D. Adeodatæ de Marino Baronissæ S. Luciæ circa bona materna pariter intra districtum, ac etiam super deductis pro parte magn. Curatoris D. Jacobi, &

& D. Theresiæ Ciampitelli quoad renunciationes qqn. D. Martiæ delle Donne, & D. Constantiæ Ciampitelli, etiam respectu decreti præambuli circa bona extra districtum hujus Civitatis in beneficium prædictæ magn. D. Theresiæ Mazzacane per M. C. interpositi, infra quatuor dies audiantur Partes penes acta hereditatis deductæ in S. C., quo termino pendente, supradicti Ciampitelli, & Mazzacane non alienent respective, & se obligent quoad fructus pro quotis hereditatis a prædictis Mazzacane, de Martino, Vitolo, Mondelli, Valva, & de Marino respective prætensis.

Depositum insuper pro pœna nullitatum, restituatur.

Quæ enim contra patrueles, atque ex latere matris præcipue maternæ agnationis Rev. D. Agnelli Ciampitelli conjunctos, M. C. decreverat, dubia agnovit S. C., atque a summariissimo immissionis in possessionem *ex L. fin. C. de Edicto Divi Hadr. toll.* judicio aliena, ut patet cuicumque, qui verba, & mentem Neapolitanarum Consuetudinum circa successiones ab intestato favorem familiarum, unde bona defuncto obvenerunt, prospicientium, moremque fere semper judicandi servatum sedulo prosequatur. *Ea igitur de longinquo petenda, cum altiorem quæstionem haberent, prolixioremque tractatum, differenda erant in directum judicium, ex L. 3. §. 13. ad exhibend., & L. 13. §. 3. ad Trebell.*; etsi de mero juris articulo ageretur, ut frequentissimis, atque accuratioribus rerum judicatarum exemplis testantur *Mastrill. dec. 217. n. 9., Sanfel. dec. 75., Anna singular.* 470., *& Capyc. dec.* 10.

Jure hinc rectoque judiciorum ordine servato, integra decreta fuit successio in bonis Consuetudini subjectis utriusque lineæ conjunctis masculis, & præsertim agnatis, quibus nihil erat adversum: Atque amitinæ pro bonis paternis, aliisque pro bonis maternæ lineæ, etsi æquo gradu conjunctis, ex fœmina tamen descendentibus, quibus renunciationes fœminarum agnatarum etiam objiciebantur, ordina-

dinaria dies extitit indicta apud acta hereditatis deductæ in S. C., quo pertinentia (de qua ordinarie agitur) non immissio maternorum bonorum per eosdem conjunctos maternæ lineæ petita fuerat.

Ne tamen præteritione, qua M. C. decretum laborabat, jura filiorum & nepotum amitinarum præmortuarum pro bonis paterni generis eodem jure agentium quid detrimenti caperent; utque satta tecta servarentur jura masculorum maternæ agnationis, quoad naturam bonorum, quæ ab avo materno, ejusque linea defuncto D. Agnello obvenerunt: illa censuit S. C. uno eodemque ordinario judicio comprehendere, hæc, tempore immissionis tribuendæ conjunctis ex latere matris alienæ agnationis, decernenda reservare.

Cetera denique, quæ M. C. continet decretum, probanda visa sunt, utpote juri, praxique judicandi conformia; decretum scilicet præambuli circa bona defuncti extra districtum posita hujus Civitatis, atque summaria informatio (explenda tamen in S. C., ne continentia causæ dividatur) de existentia, ac pari proximitate D. Rosæ, D. Scholasticæ, & D. Annæ Caldora respectu portionum maternorum bonorum eorum nomine prætensarum.

Granita Act. Mag. -- De Luca Scriba.

In causa hereditatis qu. Ill. Ducis D. Francisci Caracciolo, cum magn. interesse habentibus, ut ex actis. Die 5. Junii 1780.

Creditum, cujus solutio Neapoli promissa est, licet debitor alterius sit Civitatis, inter bona districtus, Consuetudinique obnoxia numeratur.

MOrtuo D. Francisco Caracciolo, institutis testamento heredibus D. Nicolao, & D. Maria Antonia Coscia, nonnulli hereditatem in S. R. C. deduxerunt: scilicet Marchio S. Angeli ad Scalam renuntiatarius; D. Antoniæ Salvi Monialis filiæ D. Nicolectæ Caracciolo, petiit in istius bonis, quæ prædicto D. Francisco obvenerunt, legitimam, & Trebellianicam quartam dictæ D. Antoniæ pertinentes, necnon legatum eidem D. Nicolectæ relictum a qu. D. Anna

na Paravagno ejus matre : Marchio Annojæ a matre defuncto cognatus , ut ſibi medietas bonorum antiquorum ex parte matris addiceretur, inſtitit: medietatem quoque bonorum antiquorum ex parte patris , quæ defuncto obvenerunt, D. Philippus , & D. Nicolaus Pallavicino fratres, quippe qui eidem defuncto a patre cognati, petierunt. S. R. C. ordinario termino dato, & rite recteque compilato, die 2. Junii 1767. decernendum cenſuit: Marchioni S. Angeli ad Scalam deberi legitimam, & quartam Trebellianicam in bonis qu. D. Nicolectæ Caracciolo, & legatum eidem D. Nicolectæ relictum a D. Anna Paravagno ejus matre, una cum fructibus liquidandis a die mortis D. Nicolectæ ejuſdem: ſpectaviſſe & ſpectare Marchioni Annojæ medietatem bonorum antiquorum, quæ defuncto D. Franciſco ex parte ejus patris obvenerunt, una cum fructibus a die mortis ejuſdem D. Franciſci liquidandis : Fratribus denique de Pallavicino pariter cum fructibus a die mortis ipſiuſmet D. Franciſci ſpectaviſſe & ſpectare medietatem bonorum antiquorum, quæ eidem D. Franciſco ex parte ejus patris pervenerunt. Pro quibus liquidationibus in biduo Partes audiri ſtatuit.

Hanc ſententiam quum gradu nullitatum revocari heredes ſcripti inſtitiſſent, idem S. C. re iterum, ac maturius perpenſa , ſententiam ſuam exequendam eſſe dixit, abſque tamen deductione Trebellianicæ.

Quum a decretis hujus Supremi Senatus tertio non liceat provocare, oppoſitis tam ab heredibus ſcriptis, quam a D. Joſepho Savinetti qu. D. Franciſci Caracciolo legatario, qui legati ſui aſſecurationem petiit, non obſtantibus, ad ſententiæ exequutionem devenire oportuit. In hac exequutione multæ quæſtiones ortæ ſunt ; ambigebatur. enim inter Partes: I. an legitima in bonis D. Nicolectæ Caracciolo, deductis vel ne prius ære alieno, & funerum impenſis , Marchioni S. Angeli ad Scalam eſſet ſolvenda : II. an reliquum hereditatis ejuſdem D. Nicolectæ inter

bona

bona libera D. Francisci ejus fratris, an inter antiqua, quæ ei ex sorore obvenere, adgregandum foret: III. an æs alienum hereditati D. Nicolectæ debitum a magn. D. Benedicto Tabasso, & D. Rinaldo de Rinaldo Capuanis, inter bona sita intra, vel extra hujus Civitatis districtum esset adnumerandum: IV. quæ deductiones faciendæ essent a bonis, quæ a patre, & ab aliis ex paterna linea defuncto obvenerunt, antequam medietas consuetudinaria proximioribus ex parte patris daretur: V. demum an pactum Nobilium Capuani, & Nidi in tabulis nuptialibus qu. D. Adrianæ Pallavicino, defuncti aviæ, conventum, & per quam eidem defuncto Pallavicini fratres sunt cognati, istis obstaret. Necnon S. C. die 13. Januarii 1775. super I. & IV. expositarum controversiarum declaravit: legitimam in bonis qu. D. Nicolectæ Caracciolo Marchioni S. Angeli ad Scalam satisfieri debere, deductis prius ære alieno, ac funerum impensis, & quæcumque debita; & onera relicta a qu. D. Josepho Caracciolo patre dicti D. Francisci deduci a toto asse hereditario ipsius D. Josephi, ac per contributum satisfieri, tam ab heredibus scriptis ab eodem D. Francisco, quam a vocatis a providentia Consuetudinis; idemque servari quoad æs alienum contractum a D. Francisco Caracciolo, mediantibus instrumentis venditionum annuorum introituum; Reliquum vero æs alienum, aut mutui causa, aut alia de ratione debitum ex illis bonis, de quibus ipse D. Franciscus libere poterat disponere, fieri debere satis. Quoad II. & III. dixit, quod partibus plenius auditis, suam declararet providentiam. Super V., ut in biduo audirentur partes, decrevit.

Termino compilato, S. C. & provisiones reservatas interpretavit, & pactum Nobilium Capuani, & Nidi, sequenti decreto explicavit:

Referente Regio Conf. Caruso,

S. C. declarat, duo credita hereditaria qu. D. Nicolectæ Caracciolo, quæ obvenerunt qu. Francisco Caracciolo ejus fra-

fratri, contra magn. Tabaſſo., & Rinaldo, conſtito ex ſcripturis ſolutiones tertiarum, ſive intereſſe, promiſſas in hac Civitate, comprehendenda eſſe inter bona Conſuetudini ſubjecta, & reliquum hereditatis dictæ qu. Nicolettæ declarat pariter S. C. aggregandum eſſe inter bona antiqua quæ obvenere qu. D. Franciſco Caracciolo a prædicta D. Nicoletta, ac proinde Conſuetudini ſubjecta, deducta tamen legitima debita Ill. Marchioni Salvi, prout in decreto prædicto.

Necnon S. C. declarat, pactum Nobilium Capuani, & Nidi contentum in capitulis matrimonialibus qu. D. Adrianæ Pallavicino non officere exequutioni ſententiæ diei 2. Junii 1767.

Ac pariter quoad deducta per D. Joſephum Savinetti exequatur ſententia prædicta diei 2. Junii 1767., & tandem reſpectu deductorum pro parte Ill. Marchionis Anuojæ, cum effectu procedatur ad expeditionem cauſæ.

Ita S. C., & non immerito. Quamvis enim magn. Tabaſſo, & Rinaldo debitores hereditatis D. Nicolectæ Caracciolo Capuani ſint, tamen eorum æs alienum, ut Neapoli conſtitutum habendum eſt; ſcriptum eſt enim: contraxiſſe unuſquiſque in eo loco intelligitur, in quo ſolvere ſe obligavit, *L. 21. ff. de obligat. & act.*; hinc S. C. ſemper decrevit, æs alienum, cujus ſolutio Neapoli promiſſa eſt, inter bona intra diſtrictum hujus Civitatis ſita habendum eſſe, ut videre eſt penes *de Franchis dec. 93.*

Integram hereditatem, quæ a D. Nicolecta Caracciolo D. Franciſco ejus fratri obvenit, inter bona antiqua ejuſdem D. Franciſci eſſe adgregandam, S. C. inſpectis verbis Conſuetudinis *Etſi teſtator, ſub tit. de ſucceſſ. mortuorum ſine filiis ex teſtamento*, non dubitavit; ibi legitur: *Civem Neapolitanum ſine filiis decedentem poſſe de bonis paternis, & maternis, & aliis ab agnatis, & cognatis ſibi obvenientibus diſponere juxta velle, uſque ad medietatem ipſorum, reliqua alia medietas perveniat ad proximiores agnatos, & cognatos.* Hinc

Hinc quum D. Francifco Caracciolo bona a D. Nicolecta forore fua pervenerint, nulli dubium, de his usque ad medietatem ipforum difponere potuiffe, aliamque medietatem proximioribus conjunctis ex parte patris pertinuiffe.

Pactum Nobilium Capuani, & Nidi, matrem ab inteftata filiorum fucceffione excludere, inter omnes conftat. At fratres Pallavicini non a matre D. Francifci Caracciolo ei conjunguntur, fed ab iftius avia ei funt ex parte patris cognati; ideoque in eorum favorem, tamquam proximiorum, medietas bonorum antiquorum erat decernenda; nec huic declarationi ab anno 1767. jam factæ, ac in rem judicatam tranfactæ, pactum fupradictum officere ullimode poteft.

Deducta a D. Jofepho Savinetti exequutionem fententiæ fupradictæ retardare non poffe, S. R. C. vifum eft; D. Jofeph Savinetti enim legatarius eft D. Francifci Caracciolo; hinc ab iftius heredibus legatum petere debet, & in illis bonis, de quibus teftator difponere poterat. At præfata fententia & anteriorum hereditatis onerum fatisfactionem præcipit, & a Confuetudine Neapolitana vocatis bonorum medietatem, in qua nullum jus, nullaque actio D. Jofepho Savinetti pertinet, defert. Qua de re S. C. oppofitis per eumdem D. Jofephum non obftantibus, jure merito exequutionem fuæ fententiæ die 2. Junii 1767. latæ mandavit.

Vincentius Bafile Act. Mag. -- Januarius Manzi Scriba.

In caufa fratrum de Buonfini cum D. Donatantonio Provvidi. Die 21. Aprilis 1779.

Referente Reg. Conf. Capecelatro.

Donatio extraneo facta in liberorum fraudem, recte revocatur.

S. R. C. pronunciavit: *Heredes Antonii Pomante abfolvendos effe a petitis pro parte D. Donati Antonii Providi.*

Antonius Pomante Oppidi Chiovani fenio prope confectus, atque acerbo filiorum interitu mente fere abalienatus,

narus, unicæ filiæ Matthæo Buonfini nuptæ absentia tristis, domum desolatam, bonaque sua in dies dispergi gemens, indignatione adversus generum æstuans, bile tandem, qua facile solebat, abreptus, quum domi forte Donati Antonii Providi Terræ Sossiciæ inveniretur, vinoque ibi incaluisset, blanditiis ac subdolis assentationibus ab eo ductus, die 28. Junii anni 1772. sanguinis sui oblitus, per tabulas sollemnes omnia propemodum bona præsentia & futura donatione inter vivos irrevocabili eidem, modo superstes sibi esset, profusissimo impetu donavit. Idem vero paucis post mensibus ad mentem rediens, donatarii fraudes, qui vel ante mortem fortunis se omnibus exspoliare properabat, advertens, pacta donationis, conditionesque frustra cecidisse dolens, donationem omnem revocare statuit, quemadmodum repetitis vicibus rescidit in Donatæ filiæ suæ, nepotumque beneficium.

Hæc sunt in causa, quæ sane ex actis novimus in S. C., dato termino, concinnatis, hinc Donato Antonio Providi petente, ut in possessione bonorum Antonii Pomante retineatur; illinc Donata Pomante instante, ut nulla omnino patris in Providi beneficium donatio declaretur. Verum enimvero dubitandum non est, contra pietatis officium se patrem in hac donatione gessisse. Erant ei haud tenues facultates, filiorum potissimum laboribus atque industria adauctæ: erat ei unica filia: modica vix huic constituta dote, bona omnia, nec præsentia modo, sed & futura, extero cuidam, quem ne nomine quidem forte noverat, profusa largitione donavit. Num quid inofficiosius, immo & inhumanius? Certe quidem, si veteres illi Romani Jurisconsulti, unde jus civile prodiit, ab inferis exsisterent, furiosum hunc hominem, si cetera argumenta desint, hoc ipso dictitassent, qui sic maligne in gnatam suam sine causa insævisset. Etenim ii ipsi sunt, qui adversum eum, qui iniqua exheredatione, vel præteritione, tam pessime de cognatis quibuscumque suis, nedum de filiis,

filiis, ut *Val. Max. VII. 7.* docet, judicasset, ex solo bono & æquo inofficiosi testamenti querelam olim invexerunt. Quapropter Philippus etiam Augustus *L. 1. C. de inoffic. donat.* constituit, ut, si quis in extraneos, vel, si mavis, in quosdam filios universas facultates suas donationibus exhauserit, paucas vix uncias reliquis filiis relinquens, his inofficiosi testamenti forma subveniretur. His accedit, Antonium Pomante senem bilosæ indolis, solitudinis tædio, irarum impetu, & vini calore excitum, domi ipsiusmet donatarii, in hanc haud probandam donationem prorupisse. Num ex sanæ mentis consilio eam profectam censebimus? Sapienter quidem Paullus in *L. 48. ff. de diversis reg. jur.* de istiusmodi hominibus loquens ait: *Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit judicium animi fuisse, siquidem ex perpetuitate animi deliberatio præsumitur*; quæ sane in donante nostro non spectatur, qui post paucos menses ad se reversus, ac præteritam insipientiam dolens, rectæ rationis igniculis concitatus, omnia ad pristinum revocavit. Ad hæc, Antonius Pomanre ira adversus generum excandescens, alios quoscumque magis ad bona omnia sua invitavit, quam filiam uxorem ejus, ad quam, natura ipsa clamante, illa pertinebant. Anne alterius odio prægravari alter potest? Id quod profecto horruit Justinianus, quum in *L. 33. C. de inoff. testam.* Pauli sententiam explodens ait: *Hoc iniquum judicantes, ut alieno odio alius prægravetur, penitus delendum esse sancimus*. Præterquamquod indignationem istam, quæcumque ea fuerit, haud diu mansisse, compertum est: & jura sciscunt, ut secuta reconciliatione cuncta ad pristinum redeant, *L. 4. ff. de adimendis, vel transfer. legat.*, adeout Alexander Imperator *L. 5. C. famil. ercisc.* sanxerit, ut in domini potestate esset, mitigata ira, mutare quod in servos suos iratus in testamento caverat. Itaque quum nihil legalius sit propriis filiis ad paternam successio-

sionem, *Nov.* 89. *cap.* 5., atque hic agatur de donationibus adversus extraneos in filiæ prole onustæ fraudem; quumque quod bonum æquumque est, cordi semper sit S. C. Patribus, actis omnibus mature perpensis, scripturisque, quotquot allatæ sunt, attente perlectis, eam revocandam omnino *arg. L.* 8. *C. de revoc. donat.* censuerunt.

U. J. D. Euphebius Girardi Act. Mag. -- Paschalis Conti Scriba.

In causa D. Michaelis Cessa cum D. Francisco Paulo de Nicastro. Die 11. *Februarii* 1780.

Ex institutione substitutionis interpetratio sumitur.

In collateralium successione renunciatio, quam mater fecit, liberis nocet.

Transactio nec ob immodicam læsionem rescindi potest.

LUdovicus Aprile cum quatuor masculos, & unicam filiam fœminam haberet, Carolum nempe ex primo, D. Josephum, D. Dominicum, D. Petrum Antonium, ac D. Feliciam Aprile ex secundo matrimonio natos, sub die 23. Julii anni 1655. suum in scriptis condidit testamentum, instituendo heredes universales, ac particulares nedum dictos masculos, sed & prædictam ejus filiam fœminam pro æquis portionibus; mandando tamen in masculorum portionem reciprocam inter ipsos, casu mortis cujuscumque in pupillari ætate, vel sine liberis, itaut, exclusa absolute fœmina prædicta, portio morientis adheresceret filiis masculis superstitibus, eorumque filiis, heredibus, & successoribus in stirpes, & non in capita, eodem prorsus modo, prout in institutione disposuerat. Prædicto ultimo elogio prælegavit adhuc ad beneficium D. Josephi primogeniti ex secundo matrimonio magnam quamdam domum, sitam in Civitate Sipontina, lege expressa, ut de eadem simplex esset usufructuarius, & post ejus mortem ad usumfructum prædictum succedere deberet filius masculus primogenitus, vel qui locum primogeniti occuparet, ejusque descendentes masculi, ordine primogenituræ semper servato; casu vero mortis ejusdem D. Josephi, vel ejus filiorum, & descendentium masculorum absque filiis masculis, vocavit alterum filium D. Petrum Anto-

Antonium, ejusque filios masculos, & descendentes masculos, ipso ordine primogeniturae servato: Et ipsis deficientibus, ad usumfructum domus praedictae invitavit D. Dominicum, ejusque filios, & descendentes masculos eodem ordine primogeniturae; sicuti casu mortis ejusdem, vel ejus filiorum, vel descendentium masculorum absque filiis, vocavit D. Carolum Aprile unicum filium ex primo matrimonio, ejusque filios, & descendentes masculos primogenitos, & ordine primogeniturae semper inter eosdem servato; & in defectu dicti Caroli, ejusque filiorum, & descendentium masculorum, vocavit omnes filias foeminas ipsius disponentis pro aequis portionibus in stirpes, & non in capita.

Anno 1668. defecerunt omnino filii masculi qu. Ludovici Aprile absque filiis, adeoque vigore substitutionis praedictae hereditas quam maxime diminuta ad beneficium dictae D. Feliciae unicae filiae testatoris tunc existentis delata fuit, quae nupta D. Antonio Cessa septem genuit filios, quinque scilicet masculos, Thomam, Josephum qui in saeculo remansere, Felicem, Carolum, & Michaelem, qui habitum Regulare induentes, ad beneficium praedicti Thomae fratris renunciaverunt, necnon duas foeminas, Corneliam nempe, & Annam, prima quarum a communibus parentibus fuit nuptui tradita D. Francisco Peruzzi, dote ducatorum 2500. constituta, pro cujus effectu facta fuit per eamdem generalis renunciatio; & altera a patre, fratribusque nupta D. Orontio Nicastro, cui pro dotibus ducati 3000. super omnibus bonis constituti fuere, qua de re generalem renunciationem dictae D. Annae futurae ejus uxoris praefatus D. Orontius ad beneficium dotantium, ejusque heredum & successorum promisit, prout secuto matrimonio sub die 17. Januarii 1697. eadem facta, sed in formam non redacta, & nuper in fasciculis reperta fuit, sequenti tamen expressione: *Rinuncia ad ogni parte, porzione, legittima, e beni sì mobili, come stabili, successio-*

ceſſioni, *eredità paterna*, *materna*, *ſororia*, *fraterna*, *zierna*, *averna*, devoluta pro præterito, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, & devolvenda ex teſtamento tantum in forma &c. generaliter &c.

Anno 1722. inteſtatus deceſſit prædictus D. Joſeph, & cum ſuperſtes eſſet præfatus D. Thomas frater, ad cujus beneficium factæ erant renunciationes tam a dictis ejus fratribus Regularibus, quam ſororibus nuptis, obtinuit idcirco præambulum a Curia locali, per M. C. confirmatum, cujus virtute ſub die 12. Octobris ejuſdem anni ſollemne confecit inventarium. Poſt duos ferme annos D. Berlingerius, D. Franciſcus Antonius, & D. Xaverius Nicaſtri filii prædictæ D. Annæ adverſus dictum D. Thomam avunculum inſtituerunt judicium in S. R. C. pro conſecutione ratæ eiſdem ſpectantis tam fideicommiſſorum qu. Ludovici Aprile, quam bonorum hereditariorum prædicti D. Joſeph, verum lis ſtatim finita fuit ſollemni tranſactione, virtute cujus Actoribus fuerunt ſoluti ducati 580., & annulum valoris ducatorum centum circiter, atque ii renunciaverunt omnibus quibuſque eorum actionibus, ac prætenſionibus deductis & deducendis: & pro omni futura validitate ac robore tranſactionis prædictæ fuit, in caſu controventionis, pactum pœnale adjectum, quod firma remanente conventione, nuſquam contra eamdem judicium ingredi poſſet, niſi prius a controveniente acceptum reſtituatur cum intereſſe ad rationem ducatorum ſeptem pro quolibet centenario.

Tali tranſactioni Partes ſteterunt uſque ad annum 1759., quo tempore ſolus D. Berlingerius ex dictis tribus fratribus de Nicaſtri contra eamdem venit, & in medium denuo protulendo antiquas prætenſiones, petiit, quod, nulla habita ratione ejuſdem, utpote læſivæ, fraude, & dolo ex propoſito confectæ, condemnaretur D. Joannes Antonius filius & heres præfati D. Thomæ ad præſtandum in ſui beneficium ratam tam bonorum ad fideicommiſſa Ludo-

Ludovici Aprile spectantium, quam hereditariorum qu. D. Josephi Cessa intestato defuncti.

Fuit talis petitio subjecta termino ordinario, cui D. Joannes Antonius se opposuit virtute pacti in transactione adjecti pro restitutione accepti, ejusque interesse ad rationem conventam a die stipulationis in antea: Sed S.R.C. decrevit, esse ad compilationem termini procedendum, reservata tali exceptione ad merita causæ. Siluit hisce terminis judicium usque ad annum 1776., quo tempore per D. Franciscum Paulum Nicastri filium & heredem D. Berlingerii actio contra D. Michaelem Cessa filium ac similiter heredem D. Joannis Antonii prosecuta fuit; & compilato ex utraque parte termino, ut supra, impartito, re plene discussa, fuit interposita sequens sententia:

Referente Reg. Cons. Mauri.

Partes absolvendas esse ad invicem. Neutram in expensis.

In præsenti causa tria fuerunt dubia in S.C. discussa, primo, num fideicommissum ita a Ludovico Aprile relictum fuisset, ut de masculis æque ac fœminis sentire videretur: Secundo, an renunciatio facta a D. Anna Cessa valeret, & filiis, ac nepotibus præjudicium afferret: Tertio denique, an valida reputanda esset transactio inita inter Thomam Cessa, & Berlingerium Nicastri anno 1722., ac proinde etiam pro restitutione accepti, ex parte D. Michaelis Cessa prætensi, exequenda.

Respectu primi dubii, cum in testamento Ludovici Aprile, tam in fideicommisso universali, & dividuo, quam primogeniali, defunctis masculis de familia, vocata fuit ejus filia Felix Aprile, ejusque heredes, & successores, videbatur fideicommissum etiam fœminis relictum, quippe explorati juris est, nomine heredum, etiam extraneos contineri; sed in hac specie dubitationi locus fuit, an qui heredes, & successores simpliciter in conditione posuit, de masculis tantum sensisse videretur, quando ex aliis testamenti verbis ea capi possit conjectura voluntatis: In insti-

ſtitutione etenim teſtator, propria filia excluſa, in portionibus maſculorum eoſdem tantum ad invicem ſubſtituit, adeoque nepotes fœminas ex alia filia, quas haud dubie, tamquam remotiores, minus dilexit, excludere voluiſſe credendum eſt. Siquidem dici ſolet, ſumendam ex inſtitutione interpretationem ſubſtitutionis, viderique teſtatorem eos in ſubſtitutione prætuliſſe, quos prætulit in inſtitutione, ac eumdem inter ſubſtitutos, quam inter inſtitutos ordinem ſervaſſe, *L. fin. ff. ad Sen. Conſ. Trebell.*, *L. 1. C. de impub. & aliis ſubſtit.* Sicut & illud verum eſt, numquam meliorem eſſe debere conditionem perſonæ, quæ fuerit minus dilecta, *L. Publius 36. §. 1. ff. de condit. & demonſtr.* Et reſpectu prælegati domus magnæ, ſitæ in platea Civitatis Siponti, favore maſculorum facti, præterquam quod legatum in defectu ipſorum, heredibus, & ſucceſſoribus relictum, videri poſſet extinctum, cum appellatione heredum etiam extranei contineantur, *tit. de hered. qualit. & differ.*, *L. 11. C. de heredit. inſtitut.*, *L. 9. ff. de probat.*, apparet in eo teſtatorem habuiſſe rationem domum in familia conſervandi, quo caſu fœminæ excluduntur, cum non poſſit nomen, & familia conſervari per deſcendentes ex fœminis, *L. 1. in fin. ff. de jure immun.*, *L. pronunciatio 195. §. ult. ff. de verb. ſignif.* Ideo in S.C. fuit concluſum, omnibus ſupraſcriptis circumſtantiis concurrentibus, ex dicto teſtamento ſolos maſculos ad bona vocari. Cum etenim in inſtitutione fœminæ excludantur, eadem conditio videtur tacite in ſubſtitutione appoſita, a qua regula non aliter recedi oportet, quam ſi contraria evidenter eſſet teſtatoris voluntas, *L. 66. de legat. 2.*, *L. 24. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.*, *L. 77. ff. de legat. 1.*, *L. 1. C. de impub. & aliis ſubſtit.*, *L. 23. & ſeq. ff. ad Sen. Conſ. Trebell.*, Etſi autem generaliter heredes, & ſucceſſores vocaſſet, expreſſe voluit, ut in ſubſtitutione eadem obſervarentur, quæ in inſtitutione diſpoſuerat. Neque facile quiſquam credendus eſt voluiſſe, ut bona e familia diſſiparentur,

tur ; cum suis masculis descendentibus prodesse, potius quam fideicommissum favore fœminarum instituere testator voluerit. Neque rursum probabile videtur, exclusa a fideicommisso, stantibus masculis, filia instituta, nepotes vocari, nam quo magis remotior est a testatore, eo minus dilectus fuisse præsumitur, *L. omnis 32. alias L. cum ita §. in fideicommisso ff. de leg. 2.*, *L. ult.*, *& ibi not. C. de verb. signif.* Denique respectu legati domus magnæ sitæ in platea Siponti, verba illa heredum, & successorum masculos spectat, cum legatum in principio sit masculinum, fœminabus semper exclusis, quo casu qualitatem masculinitatis in una parte testamenti appositam, in aliis repetitam videri placet, *Bartol. in L. Titia §. ult. ff. de leg. 2.*, *Baldus in L. quemadmodum §. hæc verba ff. ad L. Aquil. & in L. Incivile ff. de lib.*, *& L. qui non militabat §. de hered. instit.*, *L. 3. §. filius intermedias ff. de lib. & postum. L. legatorum 33. §. qui plures de legat. 2.*, *L. quæsitum 78. §. 1. ff. de legat. 3.*

Respectu secundi capitis fuit dubitatum, an renunciatio omnium bonorum a D. Anna Cessa facta, quæ tamen decesserat, superstite etiam fratre, qui postea intestatus decessit, filios excluderet: Et quamvis interpretibus Doctoribus placuerit in defuncti successione, renunciantis liberos, non obstante matris pacto, cum aliis concurrere, ac si renunciatio nulla interfuisset, cum beneficium illud repræsentationis, quod a Justiniani lege habent, *L. ult. ff. de pact.*, non poterit iis auferri facto matris, *§. cum filius instit. de hered. quæ ab intest. deferunt.*, cujus non tam personam, quam gradum repræsentare intelliguntur; est enim ea renunciatio personalis; habetque præterea tacitam illam conditionem, si hereditas deferatur; cum prius sit, ut acquiri possit hereditas, & consequenter, ut sit delata, quam ut ei utiliter renunciari possit, *L. 151. ff. de verb. signif.*; attamen visum est non indistincte id admittendum, cum multum intersit, an de ascendentium, an de colla-

Dd 2 tera-

teralium successione quæratur, cum non eædem rationes utroque casu militent. Plane successio liberorum, non obstante matris renunciatione, nititur fundamento repræsentationis gradus, cum ut superius dictum est, repræsentent gradum, non personam, renunciatio autem sit personalis, nec magis personam renunciantis egrediatur, quam jusjurandum, quod ad eam confirmandam adhiberi necesse est. At in successione collateralium jus repræsentationis olim non habebat locum in descendentibus, *§. 6. instit. de hered. quæ ab intest. defer.* Quamvis autem tale jus a Justiniano porrectum sit ad fratrum filios, expresse tamen cavit, ut tantam acciperent portionem, quantam eorum parens esset habiturus, *Nov.* 118. *cap.* 3. Itaque hoc casu non admittendum est, ut sororis, quæ renunciaverat, prædefunctæ liberi plus juris habeant, quam habuisset eorum mater, si viveret, *L.* 3. *C. de bon. mater.* Adeoque renunciationem a D. Anna Cessa de fratris hereditate factam liberis nocere non est dubium.

Nec obstat pactum in renunciatione appositum, de quo supra mentionem fecimus: *Si rinunzia ad ogni parte, porzione, legittima, e beni si mobili, come stabili, successioni, eredità paterna, materna, fororia, fraterna, zierna, averna, devoluta pro præterito tam ex testamento, quam ab intestato, & devolvenda ex testamento tantum. In forma &c. Generaliter &c.* Renuntians etenim successioni ex testamento, etiam intestatæ videtur renunciasse, cum potior sit causa testati, *L. quamdiu. ff. de reg. jur.*, *L.* :, *ff. de adquir. heredit.* Nec aliud interest inter has successiones, quam quod in prima sit evidens testatoris voluntas, in secunda præsumatur, *L.* 3, *L. conficiuntur §.* 1. *ff. de jur. codicill.*; unde a Theodosio testamentum dicitur judicium auditæ voluntatis, *L.* 2. *de Apostathis in C. Theod.* Præterea hoc modo renunciatio omnino esset inutilis, cum renuncians, non obstante pacto, potest succedere, si instituatur, quoniam eo casu juramentum,

tum, & pactum remittitur, alioquin adimeretur disponendi libera facultas, *Cajus in L. illa institutio 32. ff. de hered. instit.*, *L. si frater §. idem respondit, ff. pro socio*. Adeoque non interpretandum est pactum, prout verba sonant, cum ea interpretatio semper capienda sit, quæ facit, ut actus sit utilis, & aliquid operetur, *L. 12. ff. de reb. dub.*, *L. cogi 16. in princ. ff. ad S.C. Trebell.* Et in specie proposita sic accipiendam esse renunciationem multa suadent, cum ipsi fratres de Nicastro in transactione anno 1724. celebrata fassi sint, matrem generaliter quibuscumque successionibus renunciasse. Quibus verbis consonat alia renunciatio generalis a sorore altera D. Cornelia facta, prævia dote ducatorum 2500., ut omnino incredibile videatur, D. Annam cum majori dote nullam renunciationem fecisse. Denique illud maxime considerandum duxit S. C. in capitulis matrimonialibus D. Orontium promisisse generalem renunciationem, quo casu quamvis nonnulli DD. putant tale pactum nullius roboris esse, cum renunciatio fieri debeat facto ipso, nec possit extendi a persona ad personas; tamen verius est, promittentem obligari, ne heres suus, vel quis ceterorum successorum contra pactum agat; *L. 38. ff. de verb. oblig.* Quare cum ex actis appareat hereditaria qualitas dicti D. Francisci Pauli, dubium non est, debere ipsum promissioni factæ per ejus avum stare.

Respectu denique tertii capitis nihil in transactione reperitur, quod ejus nullitatem arguat. Quamvis etenim læsivam, dolosamque contenderit D. Franciscus Paulus Nicastri, contrarium tamen ex probationibus factis constat. Quippe ex solemni inventario facto anno 1722. liquet, bona hereditaria D. Josephi Cessa, deductis oneribus, valorem ducatorum 3000. vix excessisse; adeo ut si ad successionem ab intestato pro quinta parte admitteretur valor bonorum ad summam ducatorum 600. ascendens, quantitatem ex transactione in beneficium D. Berlingerii cessam non excedat. Quæ autem ex testium depositionibus adver-
sus

sus inventarium probare conatus est, nullius sunt momenti, cum ex testibus in re tam antiqua nullum veritatis judicium desumi possit. Praeterea nec admittendum est, beneficium *L. 2. C. de rescind. vendit.* locum habere in transactionibus, quidquid contra dicat Bartolus, aliique DD. ipsum secuti. Plane transactio ob bonum publicum comparata est ad lites finiendas causa minuendarum litium, quae est favorabilis. Eo magis quia transactio cum nonnisi de partium consensu perficitur, contra placita diuturno tempore firmata minime venit rescindenda, habetque auctoritatem rei judicatae, *L. non minorem* 20. *C. de transact.* At vero res judicata praetextu laesionis licet immodicae non rescinditur, *L. 4. C. de re judic.* Nec lite bona fide transactione sopita, ferendum est iterum de antiquis juribus quaeri, ne remedium finiendis litibus comparatum, earumdem fiat seminarium, *cap. 1. extrav. de transact.* Nec pecunia in transactione datur, tamquam in praeteritum debita, sed ob causam futuram, ne aliquid sequatur, *L. 23. C. de transact.* Magna autem causa est a lite discedere, *L. in summa §. 1. ff. de condict. indeb.* Cum etenim res sit dubii eventus, nullo modo concipi laesio potest, cum explorati juris sit rei incertae nullam posse constitui aestimationem, *L. 29. §. 3. ff. ad L. Aquil. L. 51. ff. de peculio.* Adeoque praetextu laesionis transactionem de incerto litis eventu rescindi non posse interpretibus doctioribus placuit, nititurque praesertim haec sententia verbis Jurisconsulti Scaevolae in *L. 78. §. ult. ff. ad S. C. Trebell.* Nec magis verum est, quod dicitur, dolum dedisse causam transactioni, cum id ex probationibus factis argui nullo modo possit. Arguitur dolus ex calliditate, atque insidiis manifestis, *L. 8. C. de rescind. vend., L. dolum C. de dolo*: Nullae in hoc negotio animadvertuntur insidiae. Indubitati autem juris est ad dolum arguendum qualitatem causae principalis non sufficere, *L. interpositas C. de transact.*; nec nisi ex magna, & evidenti calliditate de dolo actionem dari. *L. & ele-*
gan-

ganter §. ult. ff. de dolo. His accedit, quod actor veniens in judicio cum qualitate hereditaria transigentis, tenetur stare facto defuncti, & minime factum illius potest impugnare; ut ex vulgatis juribus cautum videtur, præsertim in *L. cum a matre C. de rei vindic. cum aliis concordant*.

Postremo quamvis in transactione adjecta sit pœnalis stipulatio de restituendo accepto cum usuris ad rationem ducatorum septem pro quolibet centenario in casu controventionis, id tamen accipiendum est, si effectum habeat, alioquin pro non facta habetur, cum nulla nec existens reputetur actio, quæ ab exceptione repellitur, *dict. L. & eleganter §. servus, L. 40. ff. de reb. heredit., L. 127. de verb. oblig.* Et quamquam clausula in transactione apposita, *rato manente pacto*, efficiat, ut de conatu intelligatur conventum, nimium tamen hac in re legum rigorem remittere fori consuetudo, & æquitatis ratio suadet.

Joseph Antonius Sant' Elia Scriba.

In causa D. Michaelis, & D. Caroli Salerno cum Ill. Marchione Terræ Rosarum D. Xaverio Salerni. Die 4 Aprilis 1780.

Referente Regio Cons. Malena,

S. R. C., visis actis, pronunciavit: *Ex fructibus bonorum majoratui, & fideicommisso subjectorum a qu. D. Horatio Salerni, deberi in beneficium D. Michaelis, & D. Caroli filiorum qu. D. Dominici Salerni, ex dicto D. Horatio descendentium, alimenta eorum vita durante tantum; quæ idem S. C. declarat esse ab hodie in antea taxanda ad rationem duc. sex per quemlibet quolibet mense; & proinde condemnentur Possessores majoratus prædicti ad solvendum in beneficium eorumdem summas prædictas semestratim, cum semestre semper anticipato. Nil pro expensis.*

Subjectis bonis omnibus majoratui, relictisque alimentis filiis secundogenitis, alimenta itidem descendentibus ex secundogenitis debentur.

Cum de majoratu ab ascendente super omnibus bonis instituto ageretur, æquum sane S. C. visum est, descendentium ex filiis secundogenitis pro modo facultatum patri-

trimonii aliquam rationem haberi, ne illi omni prorsus ope destituti, atque omnimode inopia laborantes necessariis carerent alimentis; idque in causa fuit, ut proposita ab actoribus actione, terminus super alimentorum taxatione fuerit impartitus: Neque id in eversionem fideicommissi factum esse dici potest, sed potius ex benigna mentis testatoris interpretatione, qui cum secundogenitis pro victu prospicere voluerit, dicendum est etiam de eorum descendentibus rationem habere voluisse; si enim adhuc viveret, eis alimenta minime denegaret; idemque ab heredibus suis fieri debere suademur, *L.* 82. *de cond. & demonstr.*, qua habemus, testatorem ab heredibus suis fieri jussisse, quod ipse vivus facturus erat: His addi potest *L. mulier §. cum proponeretur ad S.C. Trebell.*, *& Auth. res quæ C. comm. de legat.*, quibus licet dotis, atque donationis propter nuptias expressim mentio fiat, attamen ad alimenta descendentium ex fideicommittente extendi posse, juris, atque æquitatis ratio efficit; namque in omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est, *L.*90. *de reg. jur.*

U.J.D. Xaverius Falanga Act. Mag.

In causa D. Cecilia de Nigris cum D. Laurentio, & D. Carolo de Nigris. Die 28. Julii 1780.

Referente Regio Cons. Caraso,

Cum in fideicommisso a collaterali instituto, extinctis masculis, fœminæ vocentur, earumque descendentes; masculi ex fœminis præferendi non sunt.

S.R.C. pronunciavit: *Quartam partem bonorum quæ remanserunt in hereditate qu. D. Claræ Covelli, & eidem obvenere a qu. D. Joanne Jacobo Lecciso, vigore fideicommissi ordinati, spectavisse, & spectare in beneficium magn. D. Ceciliæ de Nigris, una cum fructibus a die mortis prædictæ D. Claræ liquidandis, pro quorum liquidatione in biduo audiantur partes. Neutram &c.*

Facti series in hac causa hinc inde disputata in S.R.C. hæc fuit: Rev. D. Jacobus Leccifo Civitatis Lycii in Provincia Hydruntina, & Thesaurarius Cathedralis Ecclesiæ dictæ

dictæ Civitatis, in suo ultimo in scriptis testamento, quod erogatum fuit in die 14. Aprilis 1661. manu Notarii Antonii Mariæ Gervasi de Lycio, heredem universalem instituit in omnibus suis bonis D. Gasparem Lecciso suum ex fratre nepotem, prohibens omnem quamcumque alienationem, & distractionem suorum bonorum hereditariorum, & ordinans, ut eadem bona semper ad filios masculos a dicto D. Gaspare descendentes pervenirent, in casu vero deficientiæ dictorum masculorum, voluit, ut fœminæ succederent, earumque heredes & successores ex eorum corpore legitime descendentes, & ita semper in perpetuum observaretur. Mortuo dicto testatore, successit dictus D. Gaspar, qui hereditatem prædictam adivit, & inventarium bonorum hereditariorum adimplevit; ipsoque e vivis erepto, successerunt ejusdem filii, nimirum D. Leonardus, D. Jo: Baptista, D. Jo: Jacobus, & D. Petrus Angelus, qui tres ultimi absque filiis decesserunt, & solum D. Leonardus unicam filiam procreavit, quæ D. Anna Maria nuncupata fuit, & nupta magn. Baroni D. Orontio Covelli, qui genuit D. Hieronymum, D. Paschalem, D. Irenem, quæ claustralem vitam professa renunciavit, & D. Claram. Defunctis vero D. Hieronymo, D. Paschale, & D. Irene absque filiis, solum D. Clara nupta cum magn. D. Dominico de Nigris, functa vita, quatuor filios superstites reliquit, nimirum D. Laurentium, D. Carolum, D. Theresiam, & D. Cæciliam de Nigris, quæ hodie uxor existit magn. D. Paschalis de Riccardis.

Dicta igitur D. Cæcilia, inspectis verbis testamenti qu. Rev. D. Joannis Jacobi Leccíso, & fideicommissi ab ipso instituti, comparuit in S. R. C., & petiit quartam partem bonorum dicti fideicommittentis in sui beneficium, uti quarta filia, & soror respective prædictorum de Nigris. Ad hanc petitionem sese opposuerunt dicti magn. fratres qu. D. Claræ Covelli, & D. Dominici de Nigris filii, dicentes sibi spectare integram hereditatem qu. Rev. Lecciso,

so, cum essent masculi ex fœminis descendentes, exclusis prorsus fœminis, suisque sororibus, ex interpretata mente testatoris, quod masculi ex fœminis orti præferri deberent, & ex dispositione Consuetudinis *In aliquibus*, ubi in Regno decernitur, quod stantibus masculis, fœminæ excludantur. Fuit in hujusmodi causa compilatus terminus, & tandem per S. R. C. partibus auditis, fuit emanata sententia ut supra exposita, ex juribus ut infra dicendis: Per expressum textum in *L. maximum vitium C. de liber. præter.* statutum est, ut fœminæ conjunctim cum masculis succedere debeant æqualiter ad hereditates ascendentium, descendentium, & collateralium, nulla inter eos habita ratione virilis sexus, & ita fuit per Imperatorem Justinianum jus antiquum correctum, quod masculos fœminis præferebat, hæc enim sunt verba dicti Imperatoris: *Sancimus itaque quemadmodum in successionibus parentum, quæ ab intestato deferuntur, æqua lance & mares & fœminæ vocantur, itaut. in scriptura testamentorum eas honorari, & similibus verbis exheredationes nominatim procedere, & contra tabulas bonorum possessionem habere, qualem filius, vel suus, vel emancipatus haberet, ut & ipsa si fuerit præterita ad instar filii emancipati, vel sui, vel testamentum ipso jure evertat, vel per contra tabulas bonorum possessionem stare hoc non patiatur: & hæc non solum in filiabus obtinere, sed etiam in nepotibus, & neptibus, & deinceps observari censemus, si tamen ex masculis progeniti sunt*. Cum igitur nullam diversitatem inter masculos, & fœminas Imp. Justinianus consideravit, sed æqualiter omnes ad quamcumque successionem admiserit, & pro æquali parte dividerit inter masculos & fœminas hereditates ascendentium, & descendentium, & collateralium, ideo S. R. C. dictam decisionem edidit modo quo supra in causa ut supra exposita: Neque obstat in causa prædicta textus Constitutionis Regni nostri *In aliquibus*, ubi masculi fœminis præferuntur,

& istæ

& istæ ab illis excluduntur, in illo enim textu id statuitur favore descendentium, ad successionem ascendentium concurrentium, & dicti descendentes tenentur in illis bonis dotare sorores, amitas, filias, aliasque deinceps fœminas, vel ascendentes, vel descendentes, non vero loquitur dicta Constitutio de successione bonorum collateralium: cum ergo loquatur inibi tantum de successione descendentium respectu ascendentium, ideo casus successionis collateralium remanet sub dispositione juris communis; ubi per textum *Maximum vitium*, omnes æqualiter masculi & fœminæ ad successiones cujuscumque hereditatis vocantur. Cumque nos in prædicto casu successionis collateralium reperiamur, ideo idem textus Imp. Justiniani casui prædicto est aptandus, nec aliter, nec alio modo: Et hoc in casu nostro magis militat, quia Constitutio loquitur ab intestato, & hic agitur de successione ex testamento qu. Jo: Jacobi Lecciso, ubi fœminæ etiam vocantur post masculos familiæ Lecciso: Et circa dictam Constitut. *In aliquibus*, hoc idem confirmant expositores ejusdem, inter quos præsertim Matthæus de Afflicto *iard. num.* 20, cujus verba brevitatis causa hic non subnectuntur. His igitur bene perpensis & discussis, sententia prædicta per S.R.C. edita fuit, etiam de stylo omnium Tribunalium ita judicantium in causis hujusmodi, ex eo quia quarta pars bonorum hereditariorum qu. D. Jo: Jacobi Leccisò spectare debet in beneficium D. Cæciliæ de Nigris a die mortis D. Claræ Covelli, una cum fructibus pro quantitate liquidandis, pro cujus effectu terminus est impartitus.

Cajetanus de Martino Act. — Nicolaus Perrone Scriba.

In causa hereditatis Isabellæ de Marco. Die 1. Septembris 1780.

Junctis Aulis, & referente Reg. Conf. D. Petro Patrizio,

S. R. C. pronunciavit: *Donationem, cum fideicommisso, ac primogenitura, factam a qu. D. Isabella de Marco instru-*

Donationes, quæ secundo conjugi fieri prohibentur, prohibitæ quoque videntur, cum secundi conjugis commodo cedant, etiamsi in alias personas fiant.

strumento diei 19. Januarii 1729. per Notarium Dominicum Ambrosini Civitatis Cajetæ, fuisse & esse nullam, ac valide revocatam per eamdem qu. D. Isabellam ejus testamento anni 1767.; ac proinde bona contenta in donatione prædicta æqualiter dividantur inter filios masculos primi, & secundi matrimonii ejusdem D. Isabellæ, in omnibus servata forma testamenti prædicti, ac Laudi magn. Advocatorum Coiro, & Cianciulli. Neutram partem in expensis.

Isabella de Marco unica majorum suorum heres cum Michaele Nosio, cui vix tredecim annos nata tenella nupserat, omnibus suis bonis dotis causa datis, quatuor filios procreavit, quorum cultui, educationique, post viri obitum, binos annos plus minus domi prospexit. Sed matrem a sobole avertit versutus æque ac venustus juvenis patria Romanus Jacobus Martialis, qui ejus fortunis, omnium indigus, inhiabat; namque illecebris, astuque id effecit, ut, propinquis, necessariisque Isabellæ frustra obnitentibus, eam sibi matrimonio copulatam Neapolim abduxerit. Lites hinc cum priorum nuptiarum filiis super dotis restitutione ortæ, quæ Arbitrorum sententia, cui publico instrumento anno 1728. Partes acquievere, fuerunt finitæ.

Paucis inde interjectis mensibus, anno 1729. donationem, retento sibi usufructu, in alterius conjugii liberos, interveniente secundo viro, contulit, adjecto fideicommisso, quo, masculis filiis tam natis, quam nascituris ex secundo matrimonio sine masculis liberis decedentibus, filiam, atque ex ea descendentes vocavit; liberis primi matrimonii eo obtentu exclusis, quod ii Arbitrorum sententia, ac subsequuto anno 1728. instrumento, quo se læsam fuisse asseruit, adeo magnam maternorum bonorum partem habuerant, ut, ad æqualitatem servandam, solis secundi matrimonii liberis ea donatione consultum iri oportuerit.

Verum simul ac fato cessit secundus vir, sententiam Isa-

Isabella mutavit, &, remotis circumventionibus, ac fraudibus, sui compos matrem agere visa est: anno enim 1761. juramenti, quo donationem firmaverat, absolutionem ab Episcopo Cajetano petiit: Anno 1764. potestatem revocandi donationem sibi eo instrumento reservavit, quo bona donata in emphyteusim concessit: & demum anno 1767. sollemni testamento se jurisjurandi religione solutam affirmans, omnibus, quæ donationis instrumento continebantur, eam ob causam retractatis, quia non sponte, atque voluntate sua donaverat, sed omnia quæ dixerat, feceratque, ex secundi viri suggestione, imperioque processerant, omnes utriusque conjugii filios æquis partibus heredes instituit; ac propositi tenacem toto quinquennio, quo post testamentum vixit, numquam facti eam inde pœnituit.

Matre vero anno 1772. elata, jurgia inter diversarum nuptiarum filios masculos de materna hereditate nata sunt, quæ laudo pariter fuerunt definita; quo nulla donationis, filiis minime dissentientibus, habita ratione, æquis partibus hereditas ex testamento iis addicta fuit; sed, quo fideicommissi obex rite removeretur, decretum est, ut S.C. junctis Aulis, judicium secundum Regni leges subiretur; atque hoc laudum Partes consensu suo probarunt.

Re igitur ad S. C. delata, consentientibus filiis masculis, se opposuit secundarum nuptiarum filia, quæ donationis instrumento filiis masculis tam natis, quam nascituris sine masculis liberis decedentibus, fuerat vocata; objecitque haud improbari *L. hac edictali* eam donationem, qua in secundi matrimonii liberos conjux largita sit plus quam datum fuerit liberis primi matrimonii: Quamobrem. id S. C. examinandum suscepit, an *L. hac edictali* valeat supradicta donatio secundarum nuptiarum, filiis facta, & an lex in secundum virum tantum immodicas largitiones vetet?

Et sane de ejus legis intellectu in contrarias sententias interpretes ivere. Quidam enim ea secundis conjugibus

bus tantum, nullo modo repetitarum nuptiarum filiis, dari relinquive ultra præscriptum modum vetitum esse autumarunt. Quidam contra censuerunt, eam æque secundis conjugibus, ac filiis ex secundo matrimonio natis obesse: quod S. C. olim placuisse testatur *Vincentius de Franchis decis* 435., & exinde totum mundum probasse Pragmatici ferunt. Alii denique, adhibita distinctione, opinati sunt, matri tantum binubæ, non autem patri prohibitum ea lege filiis secundi conjugii quodcumque velit, elargiri, dummodo prioris matrimonii filiis legitimam portionem servet.

Verum, quicquid sit de contrariis interpretum sententiis, S. C. censuit, quamvis legis verbis in solos secundos conjuges immodica largitio prohibita sit, sententia tamen legis in quamcumque aliam personam quoque largitionem prohiberi, per quam secundo conjugi prospectum fuisse appareat: quod ex facti specie judex inquirere debet.

Licet enim Leonis, & Anthemii edicto *L. hac edictali C. de secun. nupt.* conjux transiens ad secunda vota prohibitus dumtaxat sit in secundum conjugem plus conferre, quam uni ex filiis prioris matrimonii dederit, cui minus datum sit; nusquam vero ejus coercita libertas reperiatur plus uni, quam alteri ex diversarum nuptiarum filiis largiendi: eodem tamen edicto, dum si plus quam statutum est, novercæ, vel vitrico relictum, vel donatum, aut datum fuerit, tamquam non scriptum, neque derelictum, vel donatum, aut datum sit, ad personas deferri liberorum, & inter eos dividi jubetur. Additur præterea disertissimis verbis, omnem circumscriptionem, si qua per interpositam personam, vel alio quocumque modo fuerit excogitata, cessare debere; ex quibus verbis, eam edicti esse sententiam patet, ut & quælibet largitio prohibita sit, quæ secundi conjugis commodo cedere videatur, etiamsi in alias personas fiat, per quas ei prospectum fuisse cogno-

gnoscatur; cui rei adstipulatur generica juris regula, quod per me non possum, nec per interpositam, seu suppositam personam possum, *L. aufertur §. quod a Præside ff. de jur. fisc.*, *L. 2. §. 1. ff. de ad. rer. ad civ. pert.*, *L. 3. §. non tantum ff. de donat. inter vir. & uxor. &c.* Quare nisi qua justa causa aliter suadeat, sententia legis vetitum matri binubæ dicendum, plus conferre in filium repetitarum nuptiarum, quam dederit vel reliquerit filio prioris matrimonii, quum ejus ususfructus saltem & administratio secundo viro quæratur.

Ex his igitur S. C. secundum ea, quæ proposita sunt, decrevit nullam fuisse donationem ab Isabella factam, ac jure eam fuisse testamento revocatam. Namque dubitari nequit, eam secundi conjugii filiis donasse, ut viro suo, qui donationis instrumento intervenit, velificaret; idque non tantum ex eo cognoscere licet, quod vel filios forte nascituros, in quos nullus amor matrem ferre poterat, & filiam secundi matrimonii, decedentibus filiis sine masculis, vocaverat, exclusis omnino ex priore matrimonio natis; sed etiam inde compertum fit, quod ipsa mater, elato secundo viro, statim sententiam mutavit, ac postea jurisjurandi religione soluta omnes filios, revocata donatione, quam astu, & circumventione viri extortam fuisse testata est, æquissimo testamento, quale matrem decuit, pariter heredes dixit. Nulla igitur habita donationis ratione, illi testamento vis sua ac fides constare debet, quod secundum Justiniani monitum factum apparet: *Si enim intestatis* (parentibus) *mortuis, lex omnes ex æquo vocat, competens est, eos imitantes legem, non vehementer magnis eos abbreviare minutionibus, erubescentes legem; sic enim erunt boni patres, & nostra digni legislatione: & justi quidem erunt solam legem custodientes. Novell. 22, cap. 48.*

Doct. Xaverius Falanga Act. Mag. -- Salvator de Nicola Scriba.

In

In causa Ill. D. Michaelis Monforte cum Ill. Principe Status Lauri. Die 11. Septembris 1780.

Vi feudalis contractus omnes descendentes ex corpore Adquirentis intra gradus successionis permissæ in infinitum succedunt; ac feudo repudiato, agnati succeduntque; quadere repudiatio jus domino non tribuit noviter concedendi.

SUbfeudum vulgo dictum *di Madama Fiorella* jam olim antiquo Comitatui Nolano subjectum, & ab anno usque 1462. ab Urso Ursino prædicti Comitatus possessore in beneficium Antonelli Monforte concessum, diviso subinde Nolano Comitatu, ditioni Lauritani Comitatus permansit adnexum, & ad hæc usque tempora ab eadem familia de Monforte legitime possidetur. Anno interim 1677. defuncta qu. Victoria Monforte, quæ reperiebatur in possessione dicti subfeudi, successio ejusdem etiam vigore testamenti prædictæ Victoriæ delata fuit in beneficium qu. Mutii Antonii Monforte ejus nepotis ex fratre, utpote filii qu. Caroli jam prædefuncti, qui jamdiu dimisso Hierosolymitani Ordinis habitu, ad nuptialia vota convolaverat. Prædictus vero Mutius Antonius nepos, & successor ipsius qu. Victoriæ, hujus testamentariam hereditatem, & successionem prædicti subfeudi publico instrumento repudiavit, etiam uti pater, & legitimus Administrator Caroli Monforte junioris ejus filii tunc temporis in pupillari ætate degentis, & repudiavit non in manus domini, & in ejus beneficium; sed addita conditione in repudiationis instrumento, quod prædictus Carolus junior ejus filius ad majorem ætatem perductus repudiationem prædictam publico actu ratam faceret; & addita insuper alia conditione, quod successio prædicti subfeudi, attenta allegata repudiatione deferretur legitimis heredibus, & successoribus ab intestato. His attamen minime obstantibus, Marchionalis Camera Terræ Lauri falso autumans, quod vigore allegatæ repudiationis prædictum subfeudum esset legitime in ipsius beneficium devolutum, anno 1682. novam quamdam concessionem effinxit in beneficium prædicti Caroli Monforte junioris tunc in pupillari ætate degentis,

gentis, in qua diviso subfeudo in actis deducto; illius partem consistentem in silva cædua modiorum trigintaquatuor, vulgo dicta *di Casapiana*, sibi reservavit, & insuper feudale servitium, seu adoham ejusdem subfeudi alteravit, & auxit ab antiqua taxa annuorum ducatorum quatuor, & assium 98. ad summam annuorum ducatorum triginta. At prædictus Carolus junior a minori ætate egressus, & mortuo Mutio Antonio ejus patre, nec descriptæ novæ concessioni se acquievit, nec repudiationem ab ipsius patre suo nomine factam ullo modo ratam habuit, imo anno 1710. re in judicium deducta per libelli oblationem, suum prorsus animum declaravit. Intermissum postea judicii cursum Ill. D. Michael Monforte nepos ex filio, & heres prædicti qu. Caroli junioris, & enunciati subfeudi possessor, obtenta spiritus insufflatione, contra Ill. Principem Lauri in S. R. C. est prosequutus, in quo compilato termino ex apertissimis probationibus liquet non modo feudalis servitii incrementum, sed & allegata divisio, & dismembratio subfeudi in actis deducti; itaut de hoc facto etiam ex litigantium consensu dubitari prorsus nequeat. Rebus igitur ita se habentibus, cum in feudali jure exploratum sit, vigore contractus feudalis omnes descendentes ex corpore adquirentis ex providentia legis, & ex pacto investituræ intra gradus successionis permissæ in infinitum succedere. *Cap. 4. in fin. de his, qui feud. dar. poss.*, & durante linea Infeudantem nullo modo posse feudatarii successoribus investituram denegare, *lib. 2. feud. tit. 74.*, consequens est, quod aperta successione subfeudi in actis deducti ob mortem dictæ qu. Victoriæ Monforte, stante existentia prædictorum Mutii Antonii ejus nepotis ex fratre, & Caroli junioris ejus ex fratre pronepotis, minime poterat Marchionalis Camera Terræ Lauri subfeudum prædictum, tamquam ad se devolutum de novo concedere; & præsertim quia cum refutatio non fuisset facta Baroni, sed proxime successuris, idest illis, qui ha-

bebant potentiam succedendi ab intestato, servata forma juris, feudum prædictum uti non devolutum Cameræ Baronali nequiverat iterum concedi a Barone; sed proxime successuri ab intestato debebant illud adquirere iisdem legibus, & conditionibus, quibus qu. D. Victoria fruebatur. Quin etiam multo minus allegata repudiatio per dictum Mutium Antonium peracta ullo modo poterat prætensam devolutionem progignere, tum quia repudiato feudo, exploratissimi juris est agnatos succedere, *Cap. 1. de agn. vel fil. poss. retin. feud.*, tum etiam quia ipso civili jure inspecto, repudiata testamentaria hereditate, fit locus successioni ab intestato, sive successorio edicto *§. 2. Instit. quib. mod. testam. infirm.*, *L. 64. ff. de verb. signif. L. 1. §. 10. ff. de successor. edict.* Ideoque attenta præallegata repudiatione Mutii Antonii Monforte, successio subfeudi in actis deducti ipso jure delata fuit, non modo prædicto Carolo juniori ejus filio, qui repudiationem ab ejus patre peractam nec agnoscere, nec ratam habere voluit, sed & ipsius Caroli junioris filiis, & descendentibus ad septimum usque gradum, inspecto scilicet communi jure feudorum *lib. 1. feud. tit. 1. cap. 4.*, quod in subfeudis planis, & de tabula solet attendi. Quapropter cum ex prædictis satis abundeque constet de nullitate præallegatæ novæ concessionis, præsertim circa dismembrationem feudi in actis deducti, & circa alterationem adohæ, neque ex præstatione anteactis temporibus facta, servata forma novæ concessionis, jus aliquod Cameræ Baronali poterat adquiri in facto antiquo, ubi leges causam ignorantiæ admittunt, *tot. tit. C. & ff. de jur. & fact. ignor.*, præsertim admisso indubitato principio non devolutionis, & nullitatis dictæ novæ concessionis; ex quo mala fides concedentis eruitur, quæ continuatur in suis heredibus, qui succedunt in vitia defuncti, servata forma juris; proposita ideo causa, & re plenius discussa, partibusque pluries auditis, visis denique videndis, & consideratis considerandis,

Re-

Referente Reg. Conf. Storace.

S.R.C. sequentem protulit sententiam: *Subfeudum in actis deductum, nulla habita ratione alterationis adohae, & dismembrationis in eodem factae, & proprie dismembrationis partis, quae vulgo dicitur* Casapiana, *spectare, & pertinere ad Ill. D. Michaelem Monforte possessorem legitimum ejusdem subfeudi, servata forma antiquarum concessionum, & specialiter antiquae taxae adohae; & illius pertinentiarum. Neutram in expensas.*

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. -- Nicolaus Viola Scriba.

In causa D. Cajetani de Gallis cum Ven. Monasterio S. Mariae Magdalenae de Pazzis SS. Sacramenti. Die 27. Septembris 1780.

Referente Reg. Conf. Targiani,

Explicando provisionem reservatam in decreto lato sub die 17. mensis Martii 1779. S.R.C. declarat, quod nulla habita ratione instrumenti transactionis, de qua agitur, Ven. Monasterium S. Mariae Magdalenae de Pazzis SS. Sacramenti hujus Civitatis condemnetur ad solvendum ducatos 680. & ass. 50. in beneficium D. Cajetani de Gallis; salvis tamen juribus eidem Monasterio contra Patrimonium D. Philippi Grassi: & si quae competunt contra alios quos decet. Neutram partem in expensis.

Qui ad solutionem compellitur, non liberatur summae debitae deposito; praecipue cum depositum creditor ignoret.

De re certa transigi nequit; & transactio rite perfecta, quae ob laesionem non rescinditur, rescindi tamen potest restitutionis in integrum remedio.

Facta a D. Philippo Grassi Ven. Monasterio S. Mariae Magdalenae de Pazzis SS. Sacramenti hujus Civitatis venditione domus, quam pretio ducatorum 2100. existimatam in emphyteusim habuit ipse Grassi a D. Antonia Carluccio, constituto annuo canone ducatorum 85.; idem Ven. Monasterium ultro in publico Banco absolvit depositum canonum debitorum, quod ab heredibus D. Antoniae erat comparandum in summa ducatorum 850. & ass. 50. Tum postea petenti D. Philippo Grassi Monasterium ipsum quam libenter accessit liberari ac dimitti depositum illud, licet non fidejussione Magistri Act. Rubino, quam Monasterium quae-

quæsiverat, sed fidejussione Magistri Act. Gerace, quam Regius Consil. Crivelli decreto suo jusserat. Cum vero ipsi Grassi, & Geraee solvendo non essent, actionem contra Monasterium instituit Abbas D. Hyacinthus de Gallis Curator D. Cajetani de Gallis nepotis, & heredis D. Antoniæ Carluecio, & deinde creditum ducatorum 855., & ass. 50. transegit pro summa duc. 170. At vero contra D. Cajetanus de Gallis jam major factus & in integrum restitui petiit, & transactionem certi crediti nullam esse asseruit in S. C. Absoluto judicio, ipsum S. C. die 27. Julii 1776. censuit decreto mandare, quod citra præjudicium jurium partium Ven. Monasterium SS. Sacramenti infra sex menses procuret depositum duc. 850. & ass. 50. contra quos decet; quo termino elapso, providebitur respectu summæ prædictæ, & respectu imputationis duc. 170. per dictum Ven. Monasterium jam solutorum. Deinde die 17. Martii 1779. alio decreto S. C. edixit: Quod Ven. Monasterium SS. Sacramenti infra alios menses sex præcise & peremptorie absque spe alterius dilationis procuret depositum servata forma sententiæ: verum dicto termino elapso, procedatur ad explicationem provisionis reservatæ. Explicando igitur reservatam provisionem protulit idem S. C. die 27. Septembris 1780. sententiam, quæ supra indicitur. Etenim in comperto est, Monasterio credituì obstricto debitum persolvere creditrici Carluccio, haud ejus obligationem deposito submoveri, & tolli posse; eo magis creditrice ipsum depositum nesciente: Solutione enim dumtaxat tollitur omnis obligatio, *tit. Inst. quibus modis toll. oblig. L. solutionis 54. ff. de solutionib.* Huic accedit, quod non cogitur creditor in aliam formam nummos accipere, si ex ea re aliquod damnum passurus sit. *L. 99. ff. de solut. & liberat.* Deinceps quis fateatur oportet, quod Monasterium, cui ultro, & præter id quod fas erat, pecuniam debitam expromere placuit, egit vel imprudenter, vel studio erga Grassi, ut pecunia aliorsum quam in manus

nus creditoris abiret. Præterea creditum D. Cajetani de Gallis certum & indubium cum esset, nullo pacto erat transigendum. Siquidem neminem latet de credito certo haud fas esse transigi: Objectum enim sive materia transactionis sunt res dubiæ & litigiosæ, *L. qui transigit ff. de transact.*, *& L. 2. C. eod.* Si quæ igitur de re certa videntur factæ transactiones, eas dicendum est esse factas sordida concussione, & terrore litis, ac proinde esse rescindendas, proposita actione de dolo, vel actione condictionis sine causa, *L. 1. §. pen. ff. de calumn.*, *L. 4. si sub prætextu* 19. *C. de transact.*, *L. 1. ff. de condict. sine causa*. Denique in præsenti specie consideranda venit læsio ultra bessem: qua læsione si omnis aliqua transactio recte concepta vel minima rationabili causa non rescinditur beneficio *L. 2. C. de rescind. vendit.* juxta mentem aliquot Doctorum, rescinditur profecto ea, de qua agitur, remedio restitutionis in integrum, quod D. Cajetanus fuit expertus, *tot. tit. ff. de in integr. restit.*

U. J. D. Basilius Basile — Ferdinandus Nicoletti Scriba.

In causa gravaminum inter Universitatem Terræ Taviani, & utilem ejus Dominum Ill. Principem Melissani D. Jo: Baptistam Caracciolo. Die 26. Septembris 1780.

VIsa supplicatione oblata pro parte Universitatis Terræ Taviani; ac omnibus actis, præsertim gravaminum capitibus, super quibus singulis S. R. C. ita decrevit:

Quod juri non adversatur, & immemorabili possessione tuetur, Baronibus conceditur.

Referente Reg. Cons. Patrizio.

I. *Baro se abstineat ab exactione duorum carolenorum singulis annis contra unumquemque civem, dum uxorem ducit, & donec vivit uxoratus.* Abhorret hujusmodi velut improba possessio a jure. Ex probationibus constat, hanc exactionem incipere a die initi matrimonii, & desinere in die soluti matrimonii. Sane grave est graviora reddi matrimonia, idque Baronibus speciatim interdictum a *Pragm. 9. de Baronib.*

II.

II. *Idem se abstineat ab exactione annuorum carolenorum sex adversus singulos cives possidentes molendina*. Abest possidendi titulus, & non adest ea immemorabilis possessio, quam ad præscribendum jura naturalis libertatis requirit *Pragm.* 14. *de Baronib.* pro æqua Universitatum, & Baronum juris incolumitate.

III. & IV. *Idem absolvatur ab impetitis; verum pœna damni dati exigatur, prævio decreto Judicis, partibusque auditis: pro gravioribus damnis augustalem pœna non excedat; in levioribus ad damni dati mensuram. Adversus eos, qui assisiæ normam pro observanda annona spreverint, pœna ab Universitate exigatur. Ea vero pœna, quæ sanguinis dicitur, in ducatis sex, accipienda est non pro rixoso jurgio, sed pro vulnere facto cum cultro contundente, sive quibuscumque armis sanguinis effusione vulnus inflictum fuerit: idque etiam rite fiat, servata forma juris*. Ex *Pragm.* 2. *de offic. Bajul.*, *&* 8. *de Baron.*

V. *Idem absolvatur ab impetitis respectu exactionis censuum, sive canonum sub nomine Bajulationis; verum exactio prædicta fiat, dummodo ipse diuturnam habuerit concessionem exigendi, vel concessionem demonstraverit a se alicui factam, cum hoc onere, neque canon per eumdem possit augeri, nisi in casu novæ concessionis*. Non congruit æquitati, quod strictum & conventum est ultra extendi. Ex vulgatis juribus.

VI. *Idem absolvatur ab impetitis; verum ad exercendum Bajulationis officium haud eligatur quis, cui non conveniat tale exercitium, eidemque electo mercedis causa solvantur ab ipso Barone annui duc.* 18.; *neque is teneatur exercere idem officium extra Feudum Taviani, ejusque pertinentias*. Ex *L. illicita ff. de offic. Præsidis*, ex *decis.* 128. *Vincentii de Franchis*, & ex *Novar. grav.* 18. *&* *grav.* 163.

VII. *Idem se abstineat; verum ipse possit uti animalibus, & hominibus Feudi pro cultura ejus territoriorum, intra*

intra Feudi fines existentium, dummodo homines ipsi se ad hoc faciles præbuerint, & soliti sint locare operas suas, pacta tamen prius mercede. Ex Constit. Regni, quæ incipit *Quod nullus officialis.*

VIII. *Idem se abstineat.* Rem non æquam is, qui integram decimam tritici, hordei excussi habet, paleæ decimam, postulat, si potissimum nullam habuerit possessionem, tum quia paleam inter fructus non dicimus, tum quia cum de oneribus præstandis quæritur, id quod minimum est sequimur. Ex argumento *L. 122. ff. de legib.*

IX. *Idem se abstineat.* Convenit sane, ut, petita ab eo licentia, & non obtenta, vindemia libere fiat; isque vini novi decimam siti sumat, non agricolarum, & colonorum expensis, sed propriis sumptibus, ut ne conditio eorum deterior fiat, qui nobis magno sunt adjumento.

X. *Idem se abstineat; ac proinde, facta per civem petitione de terendis recollectis olivis in Trappetis Baronalibus, idem curet, ut omnino intra spatium unius mensis a die factæ petitionis tritura fiat, ne in ejus damnum olivæ marcescant, vel diminuantur; quo termino elapso, & non sequuta ipsa tritura, civi liceat ubilibet olivas excutere.* Diligentissime inquirendum, ne aperiatur locus simultatibus Potentiorum in eos, qui in eorum manu sunt. Ex argumento *L. 1. Cod. ne liceat potentioribus, & Cod. in tit. de his, qui potentiorum nomine. & L. quia de alienatione judicii.*

XI. *Idem se abstineat; ita ut in posterum infra spatium vigintiquatuor horarum, a die certiorationis, teneatur sibi sumere decimam tritici, hordei, aveuæ suis sumptibus in area, deducto tamen semine, quod impensum est, utpote id decimæ non subjiciendum, elapsoque spatio prædicto, liceat civibus coram testibus frumenta metiri, eaque, relicta decima, inferre in propria horrea.* Ut ne invidia, vel odio agat Baro contra vassallos; si enim decima, non detracto semine, solveretur, bis contra univer-

sum

ſum jus ſolveretur. Ex argumento *L. item §. quatenus ff. quod metus cauſa*, *L. jubemus* 14. *C. de Sacroſ. Eccl.*, *&* *L. ſi quis deſerta C. de omni agro deſerto lib.* 11. *§.* 1.

XII. *Idem ſe abſtineat, ita tamen, ut cives utantur fabis, avena, hordeo, antequam ſicca ſint, & etiam uva; illaque omnia recolligere liceat, ſine onere decimæ, ad proprios, & familiæ quotidianos uſus, in modica quantitate, & tali, quæ fraudem excludat.* In decimis exigendis, quod poſſeſſum eſt, ſervatur, ex *Cap.* 1. *de decimis*, *& Novar. gravam.* 103.

XIII. *Idem abſolvatur ab impetitis, verum ſi prædium urbanum, vel ruſticum pluries intra ſolius anni ſpatium vendatur, ſemel decima exigatur, & ſi venditio iterum fiat poſt annum, iterum exigatur.* Sane onera, prout levius accipienda ſunt.

XIV. *Idem abſolvatur ab impetitis.* Certe conſtat de titulo emptionis, & poſſeſſione, accedente Hydruntinæ Provinciæ conſuetudine.

XV. *Idem ſe abſtineat, qui non ſe ingerat, neque directe, neque indirecte in adminiſtratione Univerſitatis, ſervata forma Regiarum Pragmaticarum.*

XVI. *Idem ſe abſtineat, ac proinde electio fiat in publico parlamento, eidemque Baroni liceat confirmare electos, qui habuerint majora ſuffragia.* Si enim ſubeligi poſſent habentes minora ſuffragia, non eſſet libera apud cives electio. Ex *Pragm.* 2. *de adminiſtrat. Univerſit.*

XVII. *Idem ſe abſtineat, qui teneatur emere in loco ſolito comeſtibiles poſt indictionem pretii, uti ceteri cives; iſque ſolum præferatur ceteris civibus ad emendum pro ſe, & ejus familia, ſi opportune petierit.* Ex *Pr.* 15. *de Baronib.*

XVIII. *Idem abſolvatur ab impetitis; iſque tamen exigat crudi lini decimam.* Linum crudum eſt terræ fructus, ex quo decima debetur, politum linum eſt a cura, quam ſuis expenſis quis adhibet, ex quo decima non debetur, cum cura, & induſtria non ſit terræ fructus.

XIX.

XIX. *Idem absolvatur ab impetitis respectu decimæ pretii urbanorum prædiorum; verum liceat civibus pro propriis domibus construendis capere cæmenta in feudi territorio, dicto* la Lama, *prout hactenus consueverunt, dummodo ipsi territorio damnum non inferatur*. Ex probationibus factis in judicio satis constat eosdem fuisse, & esse in hujusmodi possessione, quæ juri non adversatur.

XX. *Idem se abstineat, ac proinde noxii non claudantur in carcere de facto, sed servata forma juris, & Regiarum Pragmaticarum, neque de carcere in carcerem liceat eos transferre extra feudum; nisi pro graviore crimine, & tuta reorum custodia haberi non possit*.

XXI. *Idem absolvatur ab impetitis; verum is teneatur homini cum duobus bobus ad culturam prædii Baronalis uno naturali die laboranti solvere, laboris, & mercedis causa, carolenos duos*. Jus enim nostrum antiqui Juris Feudistici asperitatem ad humaniorem sensum redegit. Ex Regni legum auctoritate, rerum judicatarum confirmatis apud *Præsid. de Franch. decis.* 152.

XXII. *Idem se abstineat; ac proinde liceat civibus animalia pascere, & lignare in locis Feudi rustici Supressani, incultis, & descriptis in Catasto anni 1746., & in omnibus servata forma ejusdem, eidemque Baroni minime liceat mutare statum, & superficiem prædictorum locorum*. Ex probationibus in termino compilatis, ex Capitulo Regni, item *Bovef. ex Pragm. 2. de Baronib.*, ex instructionibus Catast. *p. 2. n. 1.*, ex legibus Regni apud *Frecciam de subfeud. auct. 46. lib. 2. n. 4.*, & apud *Rendell. de pascuis tit. de Baronal. pascuis pag. 65.*, aliosque.

XXIII. *Idem se abstineat*. In judicialibus probationibus deficit probatio tituli, & possessionis; accedente etiam resistentia juris.

XXIV. *Idem absolvatur ab impetitis*. Apparet enim ex iisdem probationibus hoc jus Baronis, jure non resistente.

XXV. *Idem absolvatur ab impetitis respectu juris prohibendi in Trappetis Baronalibus, dempto tamen usu proprio in beneficium civium*. Ex probationibus compilatis. Quæ vero sunt primitiva juris naturalis, veluti usus proprius, æquum non est coarctari, nisi speciali etiam quoad usum proprium Principis concessione.

XXVI. *S. R. C. declarat, quod respectu bonorum, & præstationum eorumdem civium Taviani, & Supressani possidentium bona in Feudo Melissani, observentur provisiones superius ordinatæ, etiam in ipso Feudo Melissani*. Feuda enim Taviani, Supressani, & Melissani uno emptionis titulo, & instrumento continentur; civesque eorum Feudorum majori ex parte intra Feudi Melissani fines bona possident.

XXVII. *Idem se abstineat, excepta decima Remaniæ, pro nunc, & donec aliter fuerit per S. R. C. provisum super universo jure decimandi*. Ex probationibus non constat possessio victualium, & leguminum, quæ mense Martio feruntur, excepta decima Remaniæ, quam Baro possidet inter fruges martiaticas.

Tandem quoad deducta in supplicationibus pro omni frumentorum decimatione, & pro prætensa evictione contra legatarios qu. Ill. Ducis Longani, Partes plenius informent.

U. J. D. Joannes Maria Graziano.

In causa Ill. Principissæ Hyeracii cum Rev. Mensa Archiepiscopali Civitatis Manfredonia. Die 26. Septembris 1780.

Referente Reg. Cons. Vespoli,

Contrario Partium consensu non dissolvitur contractus, si una earum administratoris vicem gerat. Possessorium optime potest a petitorio judicio absorberi.

S. R. C. pronunciavit: *Nulla habita ratione nullitatis instrumenti anni 1658. ab utraque parte deductæ, esse exequendum instrumentum prædictum, servata forma titulationis anni 1743., & proinde cum assistentia magn. Tabularii Schioppa reponantur, & quatenus opus apponantur termini*

mini in instrumento prædicti anni 1743. *descripti , prout dicti termini fuerunt per eundem citatum mag. Tabularium enunciati in dicta ejus relatione . Necnon aperiendam esse clausuram per Rev. Mensam factam in loco dicto* Matinatella. *Et denique respectu omnium aliorum deductorum , & prætensorum per eandem præfatam Rev.Mensam , Ill. Principissam Hyeracii absolvendam esse ab impetitis pro parte dictæ Rev. Mensæ . Et proinde tollendum esse tam sequestrum factum anno* 1747. *de ordine qu. Regii Consil. D. Ignatii de Ferrante , quam sequestrum ordinatum anno* 1768. *in decreto S. R. C. , & terragia penes consignatarios existentia remanenda esse in beneficium dictæ Ill. Principissæ, cui pariter liberandos esse duc.* 1000. *ab eadem depositos virtute decreti S.R.C., ac etiam restituendum esse ipsimet Ill. Principissæ chyrographum pro deposito duc.* 341. *Neutram in expensis .*

Plura deduxit Archiepiscopus Sipontinus contra Ill. Principissam Hyeracii , & Comitissam Montis S. Angeli. Quum lis esset inter Baronem, & cives, ex causa cæsinarum noviter factarum , præsertim in locis , qui dicuntur *li Pontoni di Matinata* , instante Barone cives compelli ad solutionem pœnæ, ad refectionem damni illati , & ad præstationem terragiorum , comparuit Archiepiscopus, deduxitque, se esse in quasi possessione exigendi in loco dicto *Matinata* , eique deberi terragia pro cæsinis prædictis . Verificatis locis prædictis , ac dato termino super possessorio , quum de possessione decidendum esset , deduxit Archiepiscopus ipse causas pariter petitorii hoc modo: Petiit declarari Ill. Principissæ competere tantum in feudo Montis S.Angeli titulum honoris, sive jurisdictionem , sub prætextu , quod ex pluribus Diplomatibus Imperatorum , & præsertim Ludovici II., & Othonis, & ex Bullis Pontificiis appareat , omnia territoria fuisse Ecclesiæ Sipontinæ concessa . Tum , data qualitate feudali defensæ dictæ *de Umbra* , & nemoris circumscripti iis lapidum acervis , qui

qui dicuntur *Marrelle*, reliquum omne territorium Mensæ deberi contendit, & præsertim particularia territoria his nominibus appellata *i Pontoni di Matinata*, & *Matinatella*, & deinde etiam alterum territorium nuncupatum *la Montagna di Montesacro*. Et præterea mandram construere fecit in alio territorio, quod nuncupatur *di Spigno*, quod territorium postea totum sibi etiam deberi prætendit non solum voce, sed etiam allegationibus pro hac causa editis. Denique cum in vim transactionis instrumento anni 1658. initæ inter Comitem Montis S. Angeli, & Archiepiscopum Sipontinum, assignatæ fuissent Mensæ versuræ biscentum duodecim plus minus territoriorum in locis dictis *Matinatella*, *le Granelle*, *Mergole*, *Mendole amare*, *Vignanotici*, & *Terra di Lupo*, ex quibus terragia ipsi exigere quotannis a colonis liceret., Archiepiscopus petiit pro executione dicti instrumenti deberi Mensæ non tantum versuras biscentum duodecim eo instrumento assignatas in locis prædictis, sed etiam loca ipsa, in quibus fuerat facta assignatio, quam maxime illa protenderentur, & alia vicina loca aliis nominibus designata, quorum in illo instrumento nulla facta est mentio.

His omnibus reposuit Ill. Principissa, nullum ex memoratis territoriis a Mensa fuisse unquam possessum; illaque ejus majores, & seipsam possedisse, & possidere servata forma concessionis in feudum factæ a nostris Regibus. Mensam vero Sipontinam id habuisse duntaxat, quod ei fuerat assignatum a Comite Montis S. Angeli præfato instrumento anni 1658., nempe terragia versurarum biscentum duodecim in locis descriptis; quarum versurarum quum facta esset dimensio anno 1742. de consensu Archiepiscopi, & Baronis, appositi inde fuerunt sequenti anno 1743. termini etiam consensu partium, atque pro omnium firmitate, & memoria fuerunt confecta prædictis annis duo publica instrumenta. Attamen, quoniam Archiepiscopus prædictas lites excitando, ipso facto recesserat ab instrumento

mento transactionis anni 1658., etiam se ab eo recedere velle declaravit Principissa, petiitque, nulla prædicti instrumenti habita ratione, condemnari Mensam ad relaxandum terragia versurarum biscentum duodecim, quæ prætextu transactionis dolo, vi, metuque per censuras illatis initæ a Comite Montis S. Angeli fuerat extorta, cui instrumenti nullitati consensum suum etiam Archiepiscopus inde præbuit.

Super his omnibus cum S. C. judicium proferre deberet, ante omnia examinavit, an nullum declarari posset instrumentum transactionis anno 1658. initæ. Et quamvis certum sit, contrario partium consensu contractus dissolvi, ut nulla de iis ratio habeatur, *L.35. ff. de reg. jur.*; S.C. tamen habuit pro vero, Archiepiscopum non potuisse contractum in Mensæ utilitatem legitime initum ex sua voluntate dissolvere; Episcopi enim bonorum Mensæ, sive Ecclesiæ domini non sunt, sed administratores, & veluti tutores, ac proinde eis non licet deteriorem reddere conditionem Ecclesiæ, quæ loco pupillæ haberi debet, *Can.8. C.10. q.2. cap.6. extr. de reb. Ecclesiæ alien. cap.1. extr. de in integ. rest.* Præterea cum Principissa formiter petiisset adstringi Archiepiscopum ad instrumenti observantiam, non permittebatur ei postea idem instrumentum nullitatis arguere. Siquidem statutum jure est, sicut in stipulatione contrahitur, ita judicio contrahi, *L.3. §.11. ff. de Peculio.* Quare nulla habita partium contrarii consensus ratione pro nullitate instrumenti, a quo neutri discedere licebat, decrevit S. C., instrumentum esse executioni mandandum. Circa modum vero executionis dicti instrumenti existimatum est, illud ita observari debere, ut exactio terragiorum Mensæ tributorum non excedat quantitatem eo instrumento conventam, sive dimensionem in eodem expressam; ac proinde non extendatur ultra modum, neque ad ipsa integra territoria in instrumento nominata, super quibus fuit facta certa & limitata assignatio, neque ad alia. Etenim non

non aliter instrumentum executionem mereri potest, sive tota conventio in eo contenta inspiciatur, qua, cum biscentum duodecim versuræ plus minus Mensæ dumtaxat assignatæ fuerint, ea adjecta verba nonnisi modicam quantitatem continent, *L. 192. ff. de verb. sign.*; sive percurratur mandatum Baronis pro conventione perficienda, a quo verba *plus minus* omnino absunt; sive alia conventio præcedenti albarano anni 1654. comprehensa; sive denique attendatur ejusdem instrumenti diuturna observantia, quæ optima cujuslibet contractus interpres est, a partibus per totum fere seculum nunquam contradicta ad annos usque 1742. & 1743., quo tempore stipulata fuere instrumenta dimensionis, & terminationis assignatarum versurarum biscentum duodecim pro exactione terragiorum: quibus instrumentis animadversione dignum est, quod non solum contestatæ sunt partes perpetuam instrumenti anni 1658. observantiam; sed etiam confessæ sunt versuras biscentum duodecim Mensæ assignatas esse undequaque conterminas territoriis demanialibus Baronis; & licet terminorum constitutio in dicto instrumento anni 1743. descripta aliquantum majorem territorii quantitatem Mensæ adjecisset, ut recognovit Tabularius Schioppa, tamen censuit S. R. C. nihil esse immutandum, quia initio litis ipsa Principissa institit potissimum pro terminorum eo instrumento statutorum observantia, & custodia.

Præterea quoad territorium dictum *Matinatella* mandari debuit, ut aperiretur pro executione pactorum eodem instrumento conventorum, eo magis quia recognitionibus per peritos factis innotuit, illud paucis ante annis ab Archiepiscopo fuisse clausum, & exinde arbores fructiferas fuisse insitas. Quibus omnibus accedit, ejus territorii dominium esse Baronis, de quo infra dicetur.

Denique absolvi Principissam oportuit ab omnibus aliis, quæ adversus eam deduxerat Archiepiscopus, tum particularibus libellis, tum articulis in præsenti causa confectis.

Pri-

Primum enim præter ea, quæ transactione fuerant tributa, nihil Mensæ addici æquum fuit, quia clarum & certum apparet jus quasi dominii Baronis in universum feudi territorium. Ex actis enim, & pluribus decretis latis in causis inter Comites Montis S. Angeli, & Universitatem patet, solum Baronem habere jus fidandi herbam, glandes, picem, manna, ligna, & aquam, quæ omnia dominium penes eumdem demonstrant. Et quod ad terragia attinet, patet ex antiquo inventario jussu Raymundi Berlingerii Caroli II. Andegavensis filii confecto, competere etiam Baroni jus exigendi terragia; quorum magis extensa exactio alias pro Barone substineri saltem deberet, uti substituta exactioni fidæ, quæ absque controversia ei competit super territorio inculto & nemoroso; quia & Archiepiscopus ipse non negavit, nemus Montis S. Angeli ad Baronem pertinere, & ex actis litium inter cives, & Baronem, & Mensam actarum, ac ex recognitionibus Peritorum eruitur, totum territorium, exceptis tribus defensis, & fundis particularium civium sitis in loco dicto *Carbonara*, & in planitie territorii dicti *Matinata*, antea fuisse a nemore occupatum; illius vero partes fuisse paulatim ad culturam redactas a civibus tum post incendia, tum per cæsiones factas citra Baronis permissum, imo in contraventionem decretorum S.R.C. ad ejus instantiam latorum, quibus comminatione pœnarum cæsiones pluries prohibitæ sunt. Atque ea territorii cognita qualitas excludit prætensam terminationem nemoris indicatam quibusdam lapidum acervis, qui dicuntur *Marrelle*; præsertim quia ii cernuntur hac illac sparsi tum intra, tum extra nemus, prout hodie extenditur.

His accedit, Archiepiscopos in maximo litium fervore, quæ transacto seculo actæ sunt, terragiorum exactionem non jure dominii prætendisse, sed quodam jure decimandi, quod jus Mensæ acquiri dicebant super territoriis demanialibus Baronis statim ac territoria ipsa ex nemoro-

morosis fiebant post cæsiones arborum recipiendo semini apta, & colebantur per cives; ejus tamen prætensi juris ne allegare quidem Archiepiscopi ullum titulum voluere, vel qualemcumque causam, ex qua conjici saltem posset, quare territoria nemorosa feudalia, postquam per cæsiones redigebantur ad culturam; transirent in dominium Mensæ Sipontinæ, ut Regia Provincialis Audientia Lucerina ad Collaterale Consilium retulit die 23. Septembris anni 1615. Sed totum prætensionis suæ fundamentum Archiepiscopi ponebant in allegata possessione exigendi terragia per quadraginta annos, quæ tamen possessio apparebat semper contradicta, & dubia; quia Barones se opposuerunt exactioni Archiepiscoporum; & non omiserunt ipsi etiam sibi servare possessionem exigendi: adeout Archiepiscopi, prout liquet ex processibus antiquis, summopere studuerint semper censurarum terrore Barones a jure suo tuendo avertere. Quamobrem Collaterale Consilium, visis tum relatione Regiæ Audientiæ, tum aliis documentis pro Barone facientibus, decrevit die 4. Februarii 1647. ipsum Baronem esse manutenendum in possessione, seu quasi exigendi terragia a colentibus territoria demanialia.

Hinc Archiepiscopus Puccinelli utilissimum negotium Mensæ se gerere existimavit, quum transactionem instrumento anni 1658. contentam inivit. Ipse enim in secretiori relatione ad Sacram Congregationem Immunitatis die 13. Julii 1654. missa confessus fuit, se ex scripturis partium cognovisse, impossibile fere esse, ut per viam juris res procederent in Mensæ utilitatem, quia territoria, de quibus erat lis, erant demanialia; adjecitque, sibi proinde opportunissimum videri tempus illud, quo Baro censuris alligatus erat, ad omnes lites generali transactione finiendas.

Contra omnium diplomatum, & bullarum ab Archiepiscopo exhibitarum in hoc judicio, ut territorii dominium Mensæ assereret, nullam rationem habendam esse.

S. C.

S. C. duxit. Quidquid enim fit de productarum veterum chartarum fide, & intelligentia, pro certo, nulla partium contradictione, habitum est, id hodie attendi debere, Civitatem Montis S. Angeli, & territorium a Regia Curia sub feudali nexu recognosci, ideoque inspiciendam esse potissimum investituram die 10. Martii 1491. Consalvo Cordubensi concessam. Ea vero investitura & ex se ampla est, utpote facta de terris cultis, & incultis tam de jure, quam de consuetudine, & aliis quovis modo ad Curiam spectantibus, & declarationem recipit tum ex præcedenti inventario Raymundi Berlingerii, quo adnotata leguntur herbagia, terragia, tum ex subsequuta possessione Baronis, qui in toto territorio, ut dictum est, semper fidavit ligna, herbam, manna, picem, & aquam, & exegit terragia, pro quibus obtinuit etiam manutentionem a Collaterali Consilio, contradicente Archiepiscopo; tum maxime ex eo, quod tunc temporis ipsa Regia Curia agnovit penes Baronem jus fidandi herbam in toto territorio, quum assignaverit Baroni annuos ducatos 507. pro herba, quam in territorio Montis S. Angeli pascunt oves Locatorum Regiæ Dohanæ Menepecudum Apuliæ.

Jure igitur meritoque S. C. id tantum in territorio Montis S. Angeli Mensæ addixit, quod ei servatum fuerat instrumento anni 1658., quum etiam ipsa jurium Mensæ nominatim expressorum reservatio in tali instrumento, & clarius in præcedenti albarano facta ex se innuat, & patefaciat, nil eam præterea possedisse; & re vera, quod signanter attinet ad territoria appellata *Pontoni di Matinata*, & *Matinata*, limitata reservatio certorum enumeratorum censuum super iis in beneficium Mensæ ostendit, ne ipsum quidem Archiepiscopum tunc temporis præsumpsisse, integrorum illorum territoriorum dominium ad Mensam pertinere; qui enim parvulam tantum partem sibi servari contendit, totum a se amovere videtur, *arg. L.* 34. *§.*15. *ff. de leg.* 1. At neque præsumere tale dominium po-

terat; nam pro integris dictis territoriis deest Mensæ omnino quicumque titulus, etiam inhabilis & vitiosus. Contra pro Barone facit non solum annua solutio, quam ei assignavit Regia Curia, præsertim pro illis ipsis territoriis utpote addictis tam pastui pecudum dicto di *Riposo*, quam pastui ordinario locationis *Candelari*, sed etiam illud notabile factum, quod tota ejus territorii planities possidetur a particularibus civibus Montis S. Angeli; Colles vero & valles, quæ planitiei imminent diversis particularibus nominibus distinctæ, licet in maxima parte eorum ad culturam sint redacta, in parte scilicet superiori collium, tamen in reliqua parte, in inferiori scilicet, quæ vallibus includitur, adhuc sunt a nemore occupata, & subjecta omnibus juribus fidæ, quæ ad solam Cameram Baronalem semper pertinuere; quam fidam exigebat Baro etiam ex parte superiori antequam redacta esset ad culturam, & nisi cives præter ejus voluntatem per assiduas in nemore cæsiones eam cultam reddidissent, ut super faciem loci cognitum est, ad præsens etiam exigeret. Quod vero attinet ad alterum territorium appellatum *Matinatella*, nihil Mensæ Archiepiscopus reservavit, præter vineam, & turrim, quas etiam nunc possidet, nec quicquam in eo litium fervore amplius prætendit. De territorio nuncupato *Montesacro* nullum toto instrumento verbum extat. Respectu denique territorii dicti *Spigno*, piscina dumtaxat in eo constructa Mensæ reservata est albarano anni 1654., quæ reservationes pariter removent ipsorum territoriorum dominium. Præterea pro hoc ultimo territorio nuncupato *Spigno*, nedum deest quælibet dominii pro Mensa probatio; sed deficit quoque petitio in scriptis apud acta formiter facta. Imo ipse Archiepiscopus, quum anno 1761. via facti, & terrore censurarum, ut liquet ex relatione Auditoris Regiæ Dohanæ in actis sistente, construxisset mandram in eo territorio, deduxit in S. C. solum jus habendi eam mandram, & pro vero habuit, ipsum territorium esse

esse partem territorii Montis S. Angeli ad Baronem pertinentis.

Et quamvis dum hæc judicabantur, suborta esset dubitatio, num terminus fuisset super omnibus prædictis expletus, stante decreto S. C. diei 27. Junii 1759., quo terminus ordinarius antea datus videtur restrictus ad terminationem, & mensurationem territoriorum contentas instrumentis anni 1742. & 1743., eam tamen dubitationem non magni fecit S. R. C., namque animadvertit, eo decreto noluisse S. C. restringere terminum rite datum super omnibus deductis, & prætensis per ambas partes altero decreto lato die 13. Martii 1759., sed ejus mentem fuisse, ut ab ordinario termino eximerentur controversiæ de aperitione *Matinatellæ*, & de annua nivis contributione, pro quibus tantum Partes de decreto termini querebantur. Quod adeo verum est, ut causæ Commissarius, quo referente latum erat decretum diei 27. Junii 1759., altero decreto diei 22. Novembris 1760., citatis præcedentibus decretis, mandaverit, quod terminus ordinarie datus vigore supradicti decreti de die 13. Martii elapsi anni 1759., & confirmatus vigore citatorum decretorum S. R. C. currere intelligatur ab hodie super omnibus prætensis & deductis in memorialibus per ambas partes præsentatis, atque pro hujus decreti executione partes ipsæ ad compilationem termini processerunt. Cognovit præterea S. C., illam ambarum partium fuisse conformem, enixamque voluntatem, ut omnia eo termino comprehenderentur, quam voluntatem patefecerunt & mutuis supplicibus libellis, & petitionibus, & articulis, & denique recognitione Tabularii tempore accessus facta cum interventu Domini causæ Commiss., quam fieri institere respectu omnium deductorum; adeout earum Advocati & scripserint, & instruxerint Judices super omnibus apud acta deductis.

Resolutum quoque est alterum dubium, an possit definiri judicium proprietatis, quum nondum fuit pronun-

 cia-

ciatum ſuper poſſeſſorio deducto reſpectu territorii appellati *Matinata*, namque exiſtimatum eſt a S. C. ob deductam cauſam proprietatis, & proſecutum petitorium ordinarium judicium, fuiſſe judicium poſſeſſorium pendens ab anno 1747. quoad territorium vocatum *Matinata* a dicto petitorio abſumptum, ut ex *Cap. Paſtoralis de cauſſ. poſſ.*, & ex *Cap. Significaverunt de teſt.* in Foro receptum eſt; qui enim potiora in petitorio jura habet, is utique etiam in poſſeſſorio vincere debet.

Denique cenſuit S. C., non eſſe concedendam reviſionem ultimæ peritiæ petitam ab Archiepiſcopo, cujus petitionis examen decreto S. R. C. reſervatum fuerat ad merita cauſæ. Cognovit enim tali reviſione nil aliud effici poſſe, quam ut cauſæ deciſio graviori partium damno in longius tempus protraheretur; quum omnia dubia propoſita ab Archiepiſcopo ſoluta remaneant aut ab actibus inſpectionum, & obſervationum, in quibus ambarum partium experti conſenſerunt, qui actus in itinerario acceſſus Domini cauſæ Commiſſarii deſcripti ſunt, aut ex documentis apud acta exhibitis.

Thomas Rubinus Act. Mag. — Joſeph Sorrentino Scriba.

In cauſa D. Eligii Liſgari cum Rev. Canonico D. Cæleſtino, & D. Joſepho Pirelli, Die 21. Januarii 1781.

Referente Reg. Conſ. Palmieri,

Legem in jurispatronatus fundatione adſcriptam Fundator ipſe mutare nequit; etiamſi a loci Ordinario licentiam obtinuerit.

Qui bona fide præſentatus, atque inſtitutus eſt a Patrono putativo, non eſt amovendus; quamvis poſtea a vero

S.R.C. ſequentem protulit ſententiam: *Nullam habendam eſſe rationem inſtrumenti diei 21. Decembris anni 1694., ſed firmas, atque immutabiles ſtetiſſe decernit, atque ſententiat leges, conditiones, & vocationes ſtatutas, atque per D. Ambroſium Romano in primo inſtrumento fundationis deſcriptas, ſublata tantummodo abuſiva formula erectionis beneficii Eccleſiaſtici; utpote quæ effectum, & erectionem in titulum beneficii Eccleſiaſtici nunquam conſecuta fuit. Declarat pariter pertinentiam jurispatronatus lai-*

laicalis Cappellaniæ ordinatæ per ipsum Rev. D. Ambrosium Romano spectavisse, & spectare primo loco in beneficium D. Eligii Lisgari tanquam descendentis ex linea masculina Jacobi Lisgari ejus avi, ejusque descendentium ex linea masculina; qua deficiente spectare, & pertinere in beneficium descendentium Elisabeth Lisgari filiæ ipsiusmet Jacobi, ejusque descendentium ex linea masculina, in omnibus servatâ forma supradictæ fundationis. Verum si in posterum tempore cujuscumque vacationis Capellaniæ prædictæ non adfuerit neque Clericus, neque Sacerdos ex descendentibus præfatis dicti D. Eligii, & adfuerit sive Clericus, sive Sacerdos ex descendentibus ejusdem Elisabeth, ipsi admittantur ad consecutionem Capellaniæ vita eorum durante, & usque quo non adfuerit Clericus, sive Sacerdos ex descendentibus D. Eligii. Et demum S.C. declarat Rev. D. Cælestinum Perelli esse manutenendum in quasi possessione præfatæ Capellaniæ, & in perceptione fructuum domus in actis deductæ quoad vixerit. Neutram &c.

Patrono juspatronatus in judicio evincatur.

Subsequentibus rationibus porro S. R. C. duxit ad modo exaratam sententiam proferendam. Rev. Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Lyciensis D. Ambrosius Romanus die 14. mensis Decembris 1689. publico & solemni instrumento irrevocabiliter inter vivos dono dedit palatium per ipsum possessum dominico jure, in Lyciensi Civitate collocatum, Lazaro Lisgari ex sorore nepoti, progenitoque ex Jacobo Lisgari, & ad titulum Sacri patrimonii illud constituit quoad ipse Lazarus vixisset, aliquibus conditionibus, legibusque in eademmet donatione descriptis, statutisque, quas consulto missas facimus, utpote quæ causam, qua de agitur, non facessunt. Deinde cavit, ut ex redditibus ejusdemmet palatii Sacrum fieret, vel mavis, missa celebraretur bis in qualibet hebdomada in perpetuum ubicumque Sacerdoti liberet. Legem exinde dixit, jusque patronatus fundavit, adque hujus exercitium primo prædilexit Rosam Bacone ex ejus sorore neptem, dein Jaco-

Jacobum Lifgari, poftremo Thomam de Fiore fratrem fuum uterinum, defcendentefque ex ipfis ex linea mafculina *tantum*, ordine tamen fucceffivo; hifque deficientibus, defcendentes ex fœminis ex modo dictis Rofa, Jacobo, & Thoma fundator D.Ambrofius ad exercitium jurifpatronatus vocavit, quibus pariter quoquo modo non exiftentibus, juspatronatus, & Sacra facere ad Rev. Capitulum, Clerumque Lyeienfem deferri mandavit. Statuitque, ut femper in miffarum adimplemento præferrentur Sacerdotes, vel Clerici, videlicet primo defcendentes ex Rofa Baeone, deinde defcendentes ex Jacobo Lifgari, tertio vero defcendentes ex Thoma de Fiore, eodem modo quo fupra cautum legitur, nempe primo defcendentes ex linea mafculina, hifque non exiftentibus, defcendentes ex linea fœminina, quique omnes ordine fucceffivo, non autem infimul, & copulative vocati fuere ad juspatronatus paffivum.

Præmonendum fane effe cenfemus, eundem D. Ambrofium Romano aperte declaraffe, fe patronatum fupradictum erigere etiam pro futuris, ut ipfe ait, beneficiatis, qui licet abfentes, Notarius ipfe ex confenfu fundatoris, juspatronatus pro ipfis, non femel, fed bis, terque acceptavit in eodemmet donationis, & fundationis inftrumento; tametfi hujufcemodi acceptationem in hifce fundationibus jus non expoftulet, fundatorefque, ipforumque heredes ad adimplementum compellat, ut ex *Imp. Zenonis L. quæ eft 15. C. de Sacrof. Eccl., & Juftiniani Imp. Novel. 57.* in comperto eft.

His fic folemniter per D. Ambrofium ftatutis, ipfemet juspatronatus innovavit die 21. menfis Decembris 1694., fcilicet lapfo jam, decurfoque quinquennio; etenim alio inftrumento, defuncto tunc temporis Jacobo Lifgari, fuperftitibus fupradicto Lazaro, Nicolao, & Elifabeth ejus filiis, mortuoque pariter Thoma de Fiore, juspatronatus in fequentem modum labefactavit: *Il fuddetto legato laicale*

cale pervenga a detta Rosa Bacone in solidum, & conjunctim *con tutti li figli di detto qu. Giacomo, e discendenti tanto di detta Rosa, quanto delli figli di detto qu. Giacomo mascoli, e femine* conjunctim, *col peso di messe tre la settimana &c.*

Decessit deinde Rosa Bacone absque filiis, eapropter juspatronatus vi primæ fundationis anni 1689. delatum fuit ad descendentes masculos tantum ex Jacobo Lisgari, repulsis exclusisque fœminis. Ex præfato Jacobo progeniti fuere Lazarus, Nicolaus, qui professus fuit Religionem Cœlestinorum, & Elisabeth: ex Lazaro Lisgari natus est D. Eligius, ex Elisabeth vero D. Cœlestinus Perrelli, in præsentiarum Capellanus & possessor supradicti palatii addicti pro dote Capellaniæ, & jurispatronatus. Porro cum Lazarus Lisgari, dimisso habitu & statu clericali, carnale matrimonium contraxisset, modo dictus Cœlestinus Elisabeth Lisgari filius tunc Clericus, ab ejus matre palatium ad titulum Sacri patrimonii, & vi prætensi jurispatronatus consecutus fuit, in cujus possessione huc usque existit.

Interea in S. R. C. institit D. Eligius Lisgari, expetiitque per idem declarari, ad se, suosque descendentes masculos pertinuisse, atque pertinere juspatronatus fundatum erectumque per D. Ambrosium Romano instrumento anni 1689. Excepit D. Cœlestinus Perrelli, illud quoque ad se pertinere ex instrumento anni 1694., quo non solum masculi descendentes ex Jacobo Lisgari, sed conjunctim descendentes ab eo masculi, & fœminæ vocati fuere; cum enim ipse sit filius Elisabeth filiæ fœminæ ejusdemmet Jacobi, eapropter ad ipsum descendentem ex prædicto Jacobo conjunctim pertinuisse & pertinere juspatronatus.

In hisce enim concertationibus S. R. C. decrevit, sententiavitque, nullam habendam esse rationem supradicti instrumenti anni 1694., utpote quod nullo jure suffultum visum fuit. Porro aut ordinatio per D. Ambrosium Romano, quæ continetur instrumento anni 1689., habenda

da est tamquam donatio inter vivos, & hoc ipso uti jam illa perfecta, sine injuria eorum, quibus donatum fuit, revocari non poterat, sanciente *Justiniano* in ipsis juris elementis: *Aliæ autem donationes fiunt, quæ sine ulla mortis cogitatione fiunt, quas inter vivos appellamus, quæ non omnino comparantur legatis, quæ si fuerint perfectæ, temere revocari non possunt. Instit. lib. 2. lit. 7. §. 2.* Neque quoquo modo post temporis intervallum ipse D. Ambrosius illi potis erat qualemcumque novationem afferre, vel conditionem aliquam adjicere, præscripserunt sane *Diocletianus, & Maximianus in L. perfecta 4. C. de donationibus quæ sub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiuntur: Perfecta donatio conditiones postea non capit. Quare si pater tuus, donatione facta, quasdam post aliquantulum temporis fecisse conditiones videatur, officere hoc nepotibus ejus fratris tui filiis minime posse non dubium erit.* Cum igitur fuerit jam perfecta donatio anni 1689.; qua vocati fuere descendentes ex linea masculina tantum Jacobi Lisgari, obesse istis minime potis fuit vocatio per eumdem D. Ambrosium, excurso jam quinquennio, facta descendentium masculorum, & fœminarum.

Vel præfata ordinatio maxime existimanda est tanquam fundatio juris patronatus, & si ita est, leges in fundationis limine adscriptæ, neque ex intervallo alicui mutationi subjacent, neque in minimum convelli queunt; Etenim juris canon ab *Ulpiano* consignatus in *L. Contractus 23. ff. de reg. jur.* firmo talo stat, præscribitque, *legem enim contractus dedit*; lex igitur in contractu conventa, atque statuta retrorsum dari nequit, altero contrahente inscio atque invito. Hinc docent *Antonius Bengeus, & Franciscus Pinsonius in tract. de Beneficiis, Cap. de Canonicis institutionum conditionib. n. 6. & 7. Qualitates quæ fundationis titulo præscriptæ sunt, eo religiosius servandæ sunt. Nam illud certum est, nec illarum conditionum ullam fieri posse remissionem etiam a Summo Pontifice, multo minus*

minus a Patrono . . . Si quid enim adversus fundationem admissum fuisset, appellationis tamquam ab abusu auxilio reparandum esset. Quodque clarissimus *Franciscus de Roye* apprime elucubratus fuit in *Prolegom. ad tit. de Jurepatr. cap. 9. Nec Patronus*, ipse ait, *nec illius heres, nec Ordinarius, nec ipse Summus Pontifex fundationis leges mutare, aut quoquo modo iis derogare possunt. Ac forte verius est eas adhiberi tantum posse in continenti, idest in ipsa fundatione, in ipsius fundationis tabulis, nam illæ solæ conventiones insunt, & contractum informare dicuntur in L. 7. & L. contractus 23. ff. de reg. jur.* Ex isto porro fundationum firmissimo canone in comperto est, suffragari minime potuisse licentiam, seu dispensationem ab Ordinario obtentam per prælaudatum D. Ambrosium Romano pro innovandis, atque mutandis legibus, & jurispatronatus successione in instrumento fundationis anni 1689. præscriptis, conventisque, quas quidem optimo jure S.R.C. servandas, sartasque tectas esse mandavit.

Decrevit insuper, atque sententiavit S. R. C. non esse removendum, neque deturbandum a quasi possessione Sacrorum faciendorum Rev. D. Cœlestinum Perrelli quoad vixerit; etenim explorati Canonum seu melius Decretalium juris est, præsentatum, institutumque bona fide a Patrono putativo, amovendum non esse donec in humanis vitam agat a Beneficio, vel legato Pio, etiamsi deinde juspatronatus a vero Patrono in judicio evincatur, ut manifeste ab *Alexandri III. epistola decretali in Cap. Consultationibus, de Jurepatronatus* elicitur, comperiturque.

His igitur omnibus S. R. C. sedulo perpensis, discussisque, ad supra exaratam sententiam proferendam, dicendamque secundum æqui bonique jus pervenire duxit.

U. J. D. Marcus Ant. Quaranta Act. Mag. — Cajetanus Lucente Scriba.

In causa Ill. Ducis Magdalunensium D. Martii Carrafa cum Ill. D. Diomede Carrafa ejus patruo. Die . . . . 1781.

Qui more Procerum, & Magnatum Regni matrimonium contrahunt, secundum jus commune contraxisse in omnibus videntur, iis exceptis, de quibus conceptis verbis aliter pacti fuerunt.

Quod loco legitimæ portionis debetur, numquam remissum intelligitur, nisi & ipsi legitimæ, ejusque supplemento renuntiatum expresse fuerit.

Qui *livellum* indeminutum fratri suo præstat, item qui fratri suo testamento legat, nulla facta mentione generum eidem præstitorum; donasse præsumitur.

PReces Clementissimo Regi nostro feliciter imperanti obtulit Ill D. Diomedes Carrafa e Magdalunensium Ducibus, quibus petiit, ut compromitterentur laudatissimo, clarissimoque Regalis Cameræ S. Claræ Quinqueviro, ac S. R. C. uni ex quatuor Aulis Præfecto D. Carolo Paoletti concertationes omnes inter seipsum, atque Ill. Magdalunensium Ducem D. Martium Carrafa, ex germano fratre qu. D. Carolo itidem Magdaluni Duce nepotem suum, vertentes; respicientesque tam maternarum dotium successionem atque antephati portionem, quam bonorum extradotalium ejusdem matris legitimam; necnon annuum livellum ducatorum 3500., loco legitimæ a qu. ejus patre Ill. Duce Magdaluni D. Dominico Martio in ejus testamentariis tabulis relictum, & in ipsiusmet D. Diomedis minori ætate non integre solutum; pariterque ut compromitteretur solutio sibi satisfacienda ducatorum 2018. retentorum per Curatores dicti Ill. Ducis D. Martii ejus nepotis pro pretio paleæ, fœni, & avenæ subministratarum equis ipsius D. Diomedis ab anno 1757. ad annum usque 1765., quo tempore adhuc humanam vitam ducebat laudatus Dux D. Carolus ejus frater; & ab eo nunquam prætensorum.

Hisce precibus Clementissimus Princeps annuit suo Regali Rescripto diei 28. Novembris 1778.; pro cujus executione dictus integerrimus Aulæ S.R.C. Præfectus Paoletti arbitrium recepit die 7. Decembris ejusdem anni 1778.

Fuitque porro coram Arbitro edita actio per D. Diomedem, qua institit condemnandum esse Ill. Ducem D. Dominicum Martium suum nepotem, tamquam filium & heredem præfati Ill. Ducis D. Caroli ad sibi faciendum satis paulo ante dictas quantitates, una simul cum interesse ad rationem quatuor pro unoquoque centeno.

Insti-

Instituit igitur D. Diomedes, condemnandum esse Ill. Ducem ad solutionem ducatorum 10000. dotalium qu. Ill. Ducissæ D. Annæ Columna ejus matris, vita defunctæ mense Septembris anni 1745., una cum interesse ducatorum quatuor pro centenis singulis ab die 29. mensis Decembris anni 174., qua nempe die ab hac vita discessit Dux D. Dominicus Martius ejus pater, & vir prælaudatæ Ducissæ D. Annæ. Exposuit enim D. Diomedes, quod initis Romæ capitulis die 10. mensis Julii 1730. ex causa matrimonii contrahendi inter præfatos ejus genitores, fuere dotes eidem D. Annæ constitutæ in ducatis 60000. (licet honoris causa fuissent assertæ in ducatis 100000.); in iis porro fuit expresso pacto conventum, matrimonium contrahendum fore secundum morem Procerum, & Magnatum hujusce Neapolitani Regni, *in eo tamen, quod repugnans minime esset ab eo, quod inferius in ipsismet capitulis expressum reperiretur*. Fuit igitur promissa dotis restitutio eidem D. Annæ, ejusque filiis procreandis ex eo matrimonio, vel quibus de jure restituenda foret; cum pactis tamen contentis in usu, & more Nobilium Sedilium Capuanæ, & Nidi, cui expresse se submissos esse voluere; & cum reciproca renunciatione futuræ successionis filiorum morientium in ætate pupillari, vel quovis alio tempore ab intestato. Deinde fuit appositum sequens expressum pactum: *Volendo solo, che rispetto alla facoltà di disporre della dote, che all' uso de' Proceri, e Magnati del Regno, resta riservata ad essa Eccellentiss. Sig. D. Anna, s' intenda, e sia, che morendo la medesima con figli possa disponere della terza parte di detta dote; e morendo senza figli possa ciò fare della sola metà di essa dote, e l' altra metà ritorni a detto Eccellentiss. Sig. Gran Contestabile D. Fabrizio dotante, e suoi successori*.

Quamquam igitur mos Procerum, & Magnatum in *cap* 3. statuat, mulierem nuptam secundum eundem usum, morientem, superstitibus uno, duobus, vel tribus filiis, pa-

tre etiam vivente, posse testari de duabus partibus suarum dotium, manente tertia pro filiorum legitima; relictisque vero quatuor liberis, vel pluribus, patre quoque superstite, posse testari de medietate tantum dotium, salva alia medietate pro legitima filiorum; Et in *cap.* 4. mandet, successionem filiorum præmorientium in ætate pupillari, vel quandocumque ab intestato, superstitibus parentibus, vel aliquo ipsorum, ipsis deferri eodem modo, quo edicitur in Justinianea novella Constitutione *de heredibus ab intestato venientibus*, vel dici placet *Novella* 118. *cap.*2., unde desumpta est *Irneriana Authentica* (seu cujus alterius sit, de qua re adeundus est præclarissimus *Bynkersoechius* in eruditissimo libro *de Auctore, Auctoribusque Novellarum*) unde desumpta, ut dictum est, *Authentica Defuncto, Cod. ad Sen. Conf. Tertullian.*: nihilosecius in capitulis matrimonialibus non semel, sed bis fuit inculcatum, pactoque apertissimo conventum, matrimonium contrahendum fore more Procerum, & Magnatum, præterquam in intestata, seu legitima successione filiorum, a qua pater, & mater, secundum usum Sedilium Capuanæ, & Nidi, cui sese submisere, ad invicem semetipsos exclusos voluerunt; & pro dotium dispositione facienda per Ill. qu. D. Annam Columna, pariter fuit plane conventum, quod *intelligenda esse deberet* (ut in capitulis legitur) tantummodo de tertia parte, manente reliqua dote pro filiis. At quia dotes qu. D. Annæ fuerunt ducatorum 60000., idcirco de ducatis 20000. tantum potis ipsa erat disponere; ceteri vero 40000. proprii juris filiorum in vim pacti prædicti esse dignoscuntur. Cum igitur quatuor fuerint filii D. Annæ progeniti cum qu. Ill. Duce D. Dominico Martio, D. Carolus nempe, D. Diomedes, D. Theresia, & D. Ruberta; inter ipsos porro ducati 40000. æqualiter dividendi erant secundum prædictum usum Procerum, & Magnatum, seu mavis dicere, secundum jus Justinianeum, quocum coincidit mos Procerum, & Magnatum, ut omnes

Nea-

Neapolitani amplissimi fori Scriptores consentiunt, inter quos videndi sunt præclarissimi *Præses Merlinus controv. 49. tom. 2.*, *Regens Capyciuslatro decis. 35.*, *Consiliarius Joseph de Rosa consult. 65.*, ceterique, quos ne longum faciam, omitto.

Institit deinde D. Diomedes pro portione antephati; sed per errorem hoc assertum, atque expetitum fuit; nam deinde comperto, quod D. Anna ejus mater obierit anno 1745., superstite ejus viro, qui mortem obiit anno 1748., ultro huic petitioni cessit, renunciavitque.

Petiit quoque legitimam bonorum extradotalium ejusdem suæ matris D. Annæ. Instititque enixe pro solutione annuorum ducatorum 3500. ab ejus patre qu. D. Martio Dominico in ejus testamento anni 1748. relictorum pro livello, uti tunc (tempore videlicet prædicti testamenti) illud consequebatur Ill. Cerreti Comes D. Philippus Carrafa, ejusdem D. Martii Dominici germanus frater, patruusque ipsiusmet D. Diomedis; nam a die mortis dicti ejus patris, ad ætatem majorem usque, pro annis scilicet septem, mensibusque sex, fuere tantum soluti duc. 1763. assesque 36., descripti in codice dati, & accepti, seu ut vulgo appellatur, in *bilancio* per Ill. hodiernum Ducem in actis Compromissi exhibito; petiitque propterea reliquas quantitates ad rationem prædictorum annuorum ducatorum 3500., ipsorumque usuras.

Et demum institit, sibi faciendos esse satis ducatos 2018. per hodiernum Ill. Ducem, seu per ejus Curatores, retentos pro pretio paleæ, fœni, atque hordei ejus equis subministratorum ab anno 1757. usque ad annum 1765., quo toto tempore qu. Ill. Dux D. Carolus suapte sponte ductus persuasit eidem D. Diomedi, ut secum viveret, cohabitaretque; nullatenus quoad ipse vixit, pretio prædicto vel petito, vel retento ex annuo livello ducatorum 3500. per ipsummet Ducem fratrem suum exsolutorum.

Contra vero hujuscemodi petitiones excepit Ill. Dux D.Mar-

D. Martius Dominicus, instititque de eis nullam esse habendam rationem. Ac primum cum fuissent capitula matrimonialia qu. Ill. Ducissæ D. Annæ inita secundum usum Procerum, & Magnatum, usum hunc minime differre, ajebat Dux, a Romano jure, seu potius a Justinianeo, quo matrem filios habentem disponere posse de dotibus omnibus, relicta tantummodo legitima filiis; videlicet pro quatuor, vel numero paucioribus, tertia parte dotium; pro ampliori autem numero quatuor filiorum, medietatem earumdem dotium *Justinianus* adsignandam esse edixit in *Novella de triente*, *& semisse*, seu sit *Novella* 18.; unde excerpta visitur *Authentica Novissima*, *Cod. de inoffic. testam.* Cum igitur quatuor remanserint filii D. Annæ, poterat ipsa disponere de duabus partibus suarum dotium, aliam tertiam vero partem pro legitima filiorum vi juris relinquere cogebatur. Ipsa enim D. Anna in suo testamento instituit heredem universalem qu. D. Carolum filium primogenitum, heredesque particulares D. Diomedem, atque D. Theresiam, & D. Rubertam in eo, quod ipsis de jure debebatur, at cum modo dictum Justinianeum jus edicat, statuatque, tertiam dotium partem dandam esse pro quatuor filiorum legitima, ducatos 20000. porro (qui, ut supra explanatum est, sunt præfatarum dotium pars tertia) dividendos fore, instabat Dux, inter filios, prout jus edicit, & ratio flagitat. Igitur D. Diomedi solummodo ducatos 5000. pro legitima maternarum dotium deberi; ceteros vero ducatos 55000. juris esse supradicti qu. D. Caroli, nempe ducatos 40000. ei debitos uti heredi universali ejusdem D. Annæ; ducatos vero 15000. sibi competere, videlicet ducatos 5000. pro sua legitima præfatæ tertiæ partis dotium; reliquos vero 10000. uti cessionario & renunciatario D. Theresiæ, & D. Rubertæ, pro legitima quarum iidem ducati 10000. jure erant æstimandi.

Excepit similiter idem Ill. Dux, nullum jus compete-
re

re D. Diomedi tam pro antephato qu. D. Annæ Colonna ipsius matris, quam pro extradotalibus ejusdem bonis; etenim eadem D. Anna diem suum clausit extremum, priusquam mortem obiret ejus vir; proindeque antephatum peti mulieris viro præmorientis, jus non patiebatur; extradotalia vero bona cum ipsa qu. D. Anna neque secum duxit, neque reliquit; frustra propterea D. Diomedem petere eorumdem bonorum portionem legitimam.

Opposuitque itidem Ill. Dux, minime esse audiendum D. Diomedem pro prætensis annuis præstationibus, seu livellis ducatorum 3500. præteritis, atque decursis ab patris obitu ad diem usque majoris ætatis; nam cum hocce livellum in supremis tabulis qu. D. Dominici Martii patris fuisset relictum eodem modo, quo Ill. Comiti Cerreti D. Philippo Carrafa per patrem qu. suum relictum fuit, cui quidem Ill. Comiti alimenta tantummodo fuere relicta, quoad ætatem majorem attingeret, in posterum vero ducati 3500. annui quoad vixisset, statuti fuere; similiter hoc idem dispositum fuisse per D. Diomedis patrem dijudicandum fore, Dux affirmabat.

Demum institit idem Dux, exsolvendos esse per D. Diomedem duc. 2018. pro supradicto pretio hordei, paleæ, fœnique; meritoque jure illos retentos fuisse per Curatores ipsiusmet Ducis, cum neque donatos, neque quoquo modo illos neglectos fuisse per qu. Ducem D. Carolum D. Diomedis germanum fratrem liquebat.

Hisce enim actionibus, exceptionibusque ad invicem sic editis, oppositisque per utrosque Ill. litigatores, clarissimus Arbiter terminum ordinarium statuit; cui quidem per utramque partem fuit renunciatum, consensusque præstitus, ut ex scripturis in actis exhibitis sententiam suam Arbiter diceret.

Ita igitur expleto processu, quamplurimisque rationum codicibus, seu *bilanciis*, ut vulgo appellantur, per eumdem Ducem penes acta compromissi productis, clarissimus do-

doctissimusque Arbiter die 13. mensis Januarii decurrentis anni suam dixit, pronuntiavitque sententiam, qua definivit: *Deberi Ill. D. Diomedi Carrafa quartam partem tertiæ partis dotium maternarum, cum interesse duc. quatuor pro quolibet centenario a die* 28. *Novembris anni* 1748., *qua obiit Ill. Dux D. Dominicus Martius ejus pater*. Decrevit igitur præclarissimus Arbiter, exsolvendos esse D. Diomedi ducatos 5000., qui nempe sunt quarta pars tertiæ partis maternarum dotium; nam cum maternæ dotes fuerint ducati 60000., horum tertia pars sunt ducati 20000., qui tamen divisi fuere inter quatuor filios qu. D. Annæ, cuique porro eorum adsignata fuit quarta pars, quæ simplex legitima est dotium maternarum uniuscujusque ex modo dictis quatuor filiis. Clarissimus Arbiter igitur prosecutus solum fuit, quod *Justinianus* sancivit in supralaudata sua Constitutione *de Triente, & semisse* contenta in *Novella* 18.; ablegato prorsus, repulsoque pacto convento in capitulis matrimonialibus, quo se obstrinxit, arctavitque eadem qu. D. Anna, disponendi solum de tertia parte suarum dotium, relictis ceteris duabus partibus pro filiis; ut ex rationibus in laudo descriptis liquido comperitur.

Pro aliis duabus portionibus ejusdem D. Diomedis, pro antephato videlicet, & bonorum extradotalium legitima, absolvendum fore Ill. Ducem, laudatissimus Arbiter duxit, decrevitque.

Demum pro ceteris duobus postulatis, quæ jure sibi competere D. Diomedes contendebat, nempe pro ducatis 2018. per Curatores hodierni Ducis retentis pro pretio hordei, paleæ, & fœni; ac pro annuis ducatis 3500. jam pridem præteritis a die mortis patris, usquequo ad ætatem majorem ipse D. Diomedes pervenit, absolvendos ad invicem fore pronuntiatum fuit per spectatissimum Arbitrum, qui hujusmodi sententiam ab se dictam facto, jurisque rationibus connisus fuit munire, atque comprobare.

Ad-

Adversus Domini Arbitri sententiam, seu laudum, supplicem libellum in S. R. C. D. Diomedes porrexit, inque ea quatuor nullitatum capita contra laudum opposuit; cui quidem gravamini inhæsit prædictus Dux, conquestusque fuit respectu trium capitum in laudo contentorum; pro deductione nempe duc. 875. in beneficium D. Diomedis facta ex quantitatibus pro annuis præstationibus, seu quæ vulgo *livelli* appellitantur, exsolutis ab die 15. Junii 1756. ad diem usque 5. Januarii 1758., & pro interesse, seu usuris duc. quatuor pro unoquoque centeno ordinato exsolvi pro supradicta quarta parte tertiæ partis maternarum dotium; quodque moderandum, seu reducendum institit ad ducatos tres pro quolibet centeno, sicuti Ill. dotantes se se obligavere exsolvere dotium usuras, donec illæ factæ satis non fuissent Ill. qu. viro D. Annæ Columnæ; & demum pro ducatis 1018. prætensis pro pretio hordei, paleæ, & fœni, pro quibus, & pro modo dictis annuis præstationibus decursis, Dux, & D. Diomedes ad invicem absoluti fuere.

Verum peracta causa in S. R. C., examinatis, discussisque nullitatibus, atque serio perpensis rationibus per utramque partem deductis, scripturisque omnibus examinatis, sententiam hanc idem S. R. C. pronuntiare censuit,

Referente Reg. Cons. Palmieri,

Viso laudo lato, seu promulgato per Dominum Aulæ S. R. C. Præfectum, & Regalis Cameræ S. Claræ Consiliarium die 13. exacti mensis Januarii hujusce anni in causa compromissi inter Ill. Ducem Magdaluni D. Dominicum Martium Carrafa, & Ill. D. Diomedem Carrafa ejus patruum. Visisque nullitatibus adversus modo dictum laudum productis per eundem Ill. D. Diomedem Carrafa. Visis etiam, & sedulo perspectis capitulis matrimonialibus Romæ initis inter qu. Ill. Ducem Magdaluni D. Dominicum Martium Carrafa seniorem, & Ill. D. Annam Colonna die 10. Julii 1730. Instrumento declarationis, atque ratihabitionis diei

diei 19. Martii 1731. Testamenti tabulis prædictæ D. Annæ Colonna clausis, obsignatisque die 8. Martii 1745., & apertis atque publicatis die 12. Septembris ejusdem anni. Aliis testamenti tabulis modo dicti qu. Ill. Ducis D. Dominici Martii Carrafa Romæ rogatis atque clausis die 28. Novembris 1748., apertisque & publicatis iisdem die & anno, Fidibus renunciationum factarum per Ill. D. Theresiam, & D. Rubertam Carrafa filias præfatorum Ill. Ducis, & Ducissæ de Carrafa, & Colonna, tempore Professionis per easdem emissæ. Aliis tabulis testamenti Ill. qu. D. Caroli Carrafa Magdaluni Ducis, clausis die 5. Decembris 1765., & apertis die 11. eorumdem mensis, & anni. Fide obitus præfati Ill. Ducis D. Dominici Martii Carrafa Romæ secuti. Exemplo, seu copia actorum M.C.V. ab mense Julio 1750. ad diem 22. Januarii 1751. peractorum circa declarationem annuorum duc. 3500. ex causa livelli, *& legitimæ Ill. D. Diomedi Carrafa per modo dictum Ill. Ducem ejus patrem relictorum, ex quibus liquet per eamdem M.C.V. decretum fuisse sub dicta die 22. Januarii 1751., moneri partes ad audiendam provisionem faciendam per ipsammet M.C. Instrumento declarationis peractæ per eumdem Ill. D. Diomedem Carrafa die 13. Januarii 1769. Visisque demum ceteris actis, computis, seu rationum codicibus in processibus sistentibus.*

Per S. R. C. declaratum est, primam, atque secundam nullitatem obstare, proindeque Ill. Ducem Magdaluni D. Dominicum Martium Pacecco Carrafa filium & heredem qu. Ill. D. Caroli Pacecco Carrafa, olim Ducis Magdaluni, condemnandum esse ad solvendum in beneficium Ill. D. Diomedis Carrafa ejus patrui ducatos 10000. *componentes quartam partem duarum tertiarum partium ducatorum* 60000. *dotalium prælaudatæ qu. Ill. D. Annæ Colonna olim Ducissæ Magdaluni ejus matris, una cum interesse ad rationem quatuor pro quolibet centeno a die 29. Novembris 1748., quæ fuit dies immediata post obitum Ill. Ducis*

cis Magdaluni D. Dominici Martii Carrafa, D. Diomedis patris. Ceteras vero tres partes prædictarum quatuor partium componentes ducatos 30000., *& reliquam integram tertiam partem dotium qu. Ill. Ducissæ D. Annæ Colonna ascendentem ad ducatos* 20000., *S. R. C. declarat spectavisse, & spectare prædicto qu. Ill. Duci D. Carolo patri hodierni Ill. Ducis D. Dominici Martii tam ope capitulorum matrimonialium qu. Ill. Ducissæ D. Annæ, quam uti cessionario D. Theresiæ, & D. Rubertæ ad præsens sanctimonialium.*

Pariter S. R. C. condemnat eumdem Ill. Ducem Magdaluni D. Dominicum Martium nomine prædicto ad solvendum in beneficium ipsiusmet Ill. D. Diomedis integrum livellum *duc.* 3500. *a supradicto ejus patre in suo testamento loco legitimæ dicto D. Diomedi relictum, a die mortis ejusdem patris, & durante ejus minore ætate diminutim solutum; deductis tamen quantitatibus eidem D. Diomedi solutis in ejus minore ætate, componentibus summam ducatorum* 9763. *& ass.* 36. *descriptorum in* bilancio, *in processu sistente, pro cujus effectu fiat calculus per Scribam causæ tam integri* livelli *duc.* 3500. *a die mortis patris usquequo ad majorem ætatem pervenit dictus D. Diomedes, quam ducatorum* 9763. 36. *ut supra deducendorum, ad hoc ut reliquas quantitates obtineat idem D. Diomedes.*

Declarat pariter S. R. C., ducatos 2018. *& ass.* 34. *prætensos per præfatum Ill. Ducem ab Ill. D. Diomede ex causa paleæ, fœni, & avenæ subministratorum equis ipsius D. Diomedis a mense Majo* 1757. *ad diem usque* 10. *mensis Decembris* 1765. *tempore quo in humanis vitam agebat qu. Ill. Dux D. Carolus ejus frater in domo, seu palatio ipsiusmet Ill. Ducis, non esse imputandos D. Diomedi, utpote qui censendi sunt ei donati, & amoris, & fraternitatis causa relaxati per eumdem qu. Ill. Ducem.*

Mandat insuper S. R. C. faciendum esse calculum per Scribam causæ omnium partitarum consequendarum per Ill. D. Dio-

D. Diomedem tam ex causa livelli *annuorum duc.* 3500. *a die mortis ejus patris, quam legatorum relictorum a qu. Ill. ejus matre, & ab Ill. ejus fratre, ad hoc ut ex illis, deductis omnibus quantitatibus solutis eidem D. Diomedi; & in* bilanciis *pro parte Ill. Ducis penes acta exhibitis, contentis, & per Scribam causæ calculandis, integras reliquas quantitates consequatur Ill. D. Diomedes. Neutram partem &c.*

Duxit autem S. R. C. exsolvendos esse Ill. D. Diomedi duc. 10000. cum eorum usuris annuis ad rationem quatuor ducatorum pro quolibet centeno a die mortis qu. Ill. Ducis Magdaluni D. Dominici Martii Carrafa ejus patris pro maternis dotibus; etenim ex capitulis matrimonialibus, quamquam liqueat matrimonium inter qu. Ill. Ducem, & Ducissam D. Annam Colonna fuisse contractum secundum morem Procerum, Magnatumque hujus Regni, vi cujus mulieri liberos habenti licet disponere de dotibus suis omnibus, relicta tantummodo legitima iisdem filiis; verumtamen expresse, conceptisque verbis conventum, pactumque fuit inter ipsos Ill. contrahentes, iniri matrimonium secundum modo dictum usum, præterquam idem usus minime convelleret, everteretque quidquid in iisdem capitulis inferius pactum, expressumque foret. Fuitque deinde modo, quo sequitur, vernacula lingua conventum, explicatumque: *Volendo solo, che rispetto alla facoltà di disporre della dote, che all'uso de' Proceri, e Magnati di Regno resta riservata ad essa Eccell. Sig. D. Anna, s'intenda, e sia, che morendo la medesima con figli, possa disponere liberamente della terza parte di detta dote; e morendo senza figli, possa ciò fare della sola metà d'essa dote; e l'altra metà ritorni a detto Eccell. Sig. Gran Contestabile D. Fabrizio dotante, e suoi successori.* In quibus vero capitulis matrimonialibus ipsa quidem D. Anna interfuit, ipsisque sese subscripsit, & jurejurando seipsam obstrinxit.

En

En igitur pactum, quo perspicue, luculenterque Ill. Ducissa D. Anna Colonna seipsam devinxit, non interposito tempore, sed ex continenti, in eisdem porro tabulis nuptialibus, non aliter disponendi de dotibus suis, progenitis filiis, nisi de tertia parte tantum, licet matrimonium contrahendum foret, utpote reipsa contractum fuit, secundum usum & morem Procerum, & Magnatum hujusce Regni; lex enim, quæ dicta est, cum dos datur, aut promittitur, servari oportet, ut edixit Imperator *Alexander Severus* in *L. legem* 10. *C. de pactis*. Immo quoties de reddenda dote, vel de ipsius dispositione paciscatur, licet interposito tempore, consentiente tamen muliere, pactum servandum esse ait *Ulpianus* in *L. quotiens* 29. *ff. soluto matrimonio dos quemadmodum petatur*.

Interdicit porro juris Romani œconomia mulieri disponendi de dotibus suis, secus quam in danda dote pacta est; sic enim elicitur ex *Scævola lib.* 2. *Responsorum* relato in *L. cum maritus* 29. *§. mulier, ff. de pactis dotalib. Mulier*, ipse inquit, *de dote, quam dedit, pacta est, ut si in matrimonio decessisset, fratri ejus redderetur, isque in eum casum stipulatus est: mulier decedens quasdam res dotales marito legavit, & aliis: quosdam ex servis dotalibus manumisit. Quæsitum est, an maritus earum rerum nomine, quas legavit mulier, & servorum, quos manumisit, fratri teneatur? Respondi, nihil proponi cur non teneatur*.

Nihil sane differre dignoscitur pactum a muliere conventum in danda dote, de quo Scævola consultus fuit, ab eo, quod Ill. qu. Ducissa D. Anna Colonna de dote, quam dedit, pacta fuit; ea siquidem legem sibimetipsi dixit, ne ultra tertiam dotis partem disponere, testarique valeret, si cum filiis mortem obiret. Sic res se habuit; nam vita functa, quatuor superfuere filii; igitur de tertia parte dotis, hoc est de ducatis 20000. tantummodo testari poterat, reliqui vero ducati 40000. proprii juris filiorum erant, uniuscujusque nempe ipsorum duc. 10000.

Et

Et tametsi ipsa D. Anna in tabulis testamentariis ex asse heredem instituisset Ill. qu. D. Carolum filium suum primogenitum; nihil porro proponi potest, cur ipse, suusque heres non teneatur ad exsolvendum Ill. D. Diomedi Carrafa filio pariter ejusdemmet D. Annæ ducatos 10000., una cum usuris a die mortis communis patris.

Eequisnam tam exlex erit, qui ea, quæ inter contrahentes placuerunt, non servabit? *Quid enim*, *Ulpiano* teste in *L.* 1. *ff. de pactis*: *Quid enim tam congruum est, quam ea, quæ inter eos placuit, servare?* Edixit etiam Prætor, eodem *Ulpiano* auctore in *L. jurisgentium* 7. *§. ait Prætor, ff. de pactis*: *Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, Plebiscita, Senatusconsulta, edicta Principum, neque qua fraus cui eorum fiat, facta erunt, servabo*. Pacta enim in tabulis dotalibus qu. D Annæ conventa, non solum legibus non obsistunt; verum lex ipsa mandat, statuitque, mulierem de dote, quam dedit, prout pactam fuisse comperitur, ita servandum esse. Et ex hoc affirmant, docentque viri eruditi: *Mulierem de dote testari non posse in eorum fraudem, quibus in ipsa dote jus quæsitum est*, ut inter ceteros ait clarissimus *Dionysius Gothofredus* in notis ad exscriptum Scævolæ responsum, in verbo *legavit*.

Frustra enim, ne dicatur inconcinniter, excipitur pactum modo dictum tamquam contrarium, oppositumque juri, & mori Procerum, & Magnatum, quo matrimonium contractum fuit; parvifaciendum esse, & ex Notarii inscitia in capitulis matrimonialibus descriptum, existimandum fore. Inconditum enimvero dictum, & incongruens; si enim tanti facienda esset Notariorum ignavia in pactis inter contrahentes conventis, ablegandi prorsus erunt a legum codicibus tituli *de Pactis*, & *de Transactionibus*; etenim nemo bonæ fidei expers, ita ingenii hebes esset, quin a Notariorum ignavia, erroribusque optimum præsidium comminisceretur, ne pacta, transactiones, conventionesque omnes servaret. Asper-

Aspernandum etiam esse S. R. C. censet, quod dictitatur, nempe pactum disponendi de tertia parte dotis tantum, utpote mori Procerum, & Magnatum obsistens, a capitulis dotalibus repellendum esse, & tamquam pro non scripto existimandum. Nam explorati juris est penes omnes Fori Neapolitani scriptores, idque amplissimi Senatus S.R.C. decisionibus comprobatum, ut quoticscumque paciscentes initio tabularum dotalium more Procerum, & Regni Magnatum matrimonium contrahere protestentur, conveniantque, in omnibus prout jus commune statuit, contraxisse affirmandum est, exceptis iis, quæ expresse, conceptisque verbis inter paciscentes, contrahentesque ipsos pacta, conventaque esse pernoscitur. Ita namque edocet clarissimus, laudatissimusque *Præses Merlinus controvers. 49. tom. 2.*, sic pariter per ævum commendandus *Consiliarius. Joseph de Rosa consult. 65. n. 12.*, & ita decisum comperitur apud spectatissimum, & nemini secundum *Reg. Capyc. Latr. decis. 35.*, ut alios missos faciamus, ne in re firmo talo collocata tempus frustra teratur. Verum his sepositis, si testamentum qu. Ill. D. Annæ sedulo inspiciatur, intelligaturque, ex eo quisque eliciendum esse affirmabit, eam in testando haudquaquam recessisse abs pacto in tabulis dotalibus convento, atque subscripto. Etenim ipsamet Ducissa, instituto herede universali D. Carolo filio primogenito in omnibus bonis, juribus dotalibus, & extradotalibus, auro, argento, gemmis, & in ceteris bonis, quæ sui juris esse comperirentur, statim, nullo interposito intervallo, subjunxit: *ed eccettuati però l' infrascritti legati, ed istituzioni di eredi particolari, quali voglio, che dal detto mio erede si debbano adempire, ed osservare, perchè tal' è mia volontà.* Dein ex continenti institutiones particulares, sequenti formula præscripsit: *Dippiù istituisco eredi particolari D. Diomede, D. Teresa, e D. Ruberta Carrafa mie amatissime figlie, e figlio, e di detto Sig. Duca mio consorte, in tutto quello, che de jure respettivamente alli mede-*

medesimi spetta, ed appartiene sopra le mie doti, e beni dotali, prout de jure.

Ex hac porro testandi formula visuntur institutio universalis D. Caroli in bonis dotalibus, & institutiones particulares eorumdem bonorum pro D. Diomede, & duabus filiabus; at de qua quota dictorum bonorum dotalium tam institutio universalis, quam particulares institutiones esse deberent, verbum nullum, sed tantummodo instituit heredes particulares D. Diomedem, filiasque in eo, quod de jure ipsisinet super dotibus pertineret.

Verum enimvero nullum aliud jus Ill. Ducissam D. Annam hisce filiis pertinere intellexisse affirmandum est, nisi illud, quod ex pactis dotalibus quaesitum eisdem filiis *jam* pridem erat; neutiquam vero de legitima filiorum illam loquutam fuisse recta ratio postulat, demonstratque; etenim si hos filios in legitima tantum instituere cogitasset, susquedeque habita supradicta formula institutionis, satius sibi duxisset Ducissa D. Anna heredes particulares instituere praefatos ejus filios in legitima sibi ipsis debita super dotibus.

Igitur sive pactum dotale inspiciatur, sive institutionis formula, quam adhibuit Ill. Ducissa D. Anna, animadvertatur, jure merito S. R. C. suprascriptam sententiam pronunciandam esse duxit.

Insuper S. R. C. mandavit, statuitque modo dictorum ducatorum 10000. exsolvendas esse usuras trientarias, sive ad rationem quatuor pro quolibet centeno quotannis; etenim ipse quidem *Imperator Justinianus* legem dixit, Illustribus quidem personis licere trientes usuras, sive tertiam partem centesimae exigere, ut rescriptum comperitur in *L. eos, qui, §. 1. C. de usuris*; non secus ac trientarium quoque foenus exercuisse *Alexandrum Severum*, tradidit *Lampridius* in vita ejusdem.

Perperam porro conqueritur Ill. Magdaluni Dux de hocce exsolvendo modo usurarum sibi imposito; frustraque provocat ad quadrantes usuras per dotantes satisfieri promissas,

missas, quousque dos non exsolveretur; etenim aliud est pacto speciali modum, quantitatemque sibi præscribere pro exercendis usuris, quæ propterea actionis jure debentur, prout inter contrahentes placuit conveniri, a qua conventione nemini ipsorum licet, altero invito, discedere; aliud est illas actione ex lege, & Judicis officio deberi; hoc namque casu Judici modum usurarum a lege sancitum oportet definire, ne contra legem facere videatur. Igitur S.R.C. non egrediendo limites a lege statutos pro exercendis usuris, illas trientes exsolvendas esse ab Ill. Duce Magdalunensium D. Diomedi patruo suo, jure decrevit, mandavitque.

Pergere modo præstat ad annuos ducatos 3500. per Ill. qu. Ducem D. Dominicum Martium patrem in ejus testamento D. Diomedi filio relictos pro ejus, ut vulgo appellatur, *livello* loco legitimæ; pro hisce enim D. Diomedes non fuit integre satisfactus a die mortis patris, quo tempore minorem ætatem agebat, quousque major evasit; sed tantum alimenta ei fuere subministrata pro annis scilicet septem, & mensibus sex, pro qua temporis intercapedine exsoluti sibi tantummodo fuere ducati 9763. assesque 36., ut ex rationum codicibus per Ill. Ducem exhibitis luculenter legitur. In hac porro concertatione, licet Ill. Dux institisset, eum minime obnoxium fuisse ad integros quotannis ducatos 3500., quousque major factus fuisset ipse D. Diomedes, non secus ac exequutum fuisse comperiebatur cum Ill. Comite Cerreti D. Philippo Carrafa D. Diomedis patruo, cui per patrem qu. suum alimenta solum relicta fuere donec majorem ætatem attingeret; nihilo secius S. R. C. exemplo huic, quod per Ill. Ducem in medio afferebatur, repulsam dedit, nihilque in rem præsentem facere judicavit.

Siquidem pro Ill. Comite Cerreti D. Philippo Carrafa in paterno testamento expresse fuit dispositum, ut usquequo idem ætate minor fuisset, alimenta tantum præstan-

da essent; qua tamen expleta, ipsi ducati 3500. quotannis, per singulos menses distributi, exsolverentur. Pater vero D. Diomedis in ejus testamento anni 1748. clare statuit, præscripsitque, ut huic ejus filio tunc jam minori subministraretur eadem annua quantitas, quam tunc testamenti ejusdem Ducis tempore consequebatur D. Philippus ejus frater. En testatoris præcipua verba: *Al Sig. D. Diomede mio figlio secondogenito li lascio loco legitimæ il piatto, che presentemente gode D. Filippo mio fratello; e se poi entrasse in Prelatura; li lascio 1000. ducati più l'anno.* Legavit igitur testator D. Diomedi filio secundogenito eamdem quantitatem annuam, quam D. Philippus ab ipso Duce ejus fratre primogenito testamenti tempore, *presentemente*, quotannis percipiebat. Tunc enim Ill. Cerreti Comes D. Philippus jampridem major factus erat, annuosque ducatos 3500. consequebatur. Si ergo illa ipsa annua quantitas a patre D. Diomedi filio relicta fuit, quæ testamenti tempore exsolvebatur per eumdem Ducem D. Philippo fratri secundogenito, quo pacto inferri poterit, D. Diomedi agenti minorem ætatem, relicta alimenta solum fuisse, non secus ac D. Philippo quousque ad majorem ætatem pervenisset, alimenta tantum ab ejus patre legata fuere? Ipsi porro D. Philippo per patrem suum expresse solummodo alimenta legata fuere peragenti minorem ætatem; at D. Diomedi ab ejus patre relicta fuit ea ipsa quantitas, qua tunc, *presentemente*, fruebatur Comes Cerreti D. Philippus ab eodem ejus fratre primogenito D. Diomedis patre, cui profecto luculenter notum erat, tunc temporis ducatos 3500. quotannis deberi Ill. Comiti Cerreti D. Philippo Carrafa, quippe ipse Dux pater D. Diomedis, fraterque primogenitus D. Philippi illos tum partite in singulos menses exsolvebat.

Insuper testator quantitates superius dictas expresse pro legitima reliquit D. Diomedi filio, etenim dixit: *Al Sig. D. Diomede mio figlio secondogenito li lascio loco legitimæ*

il

il piatto, che presentemente gode D. Filippo mio fratello. Si igitur ducati 3500., quibus tunc fruebatur Ill. D. Philippus Carrafa, fuere per patrem relicti D. Diomedi pro ejus legitima; illi integri statim post mortem patris in proprium jus ipsiusmet D. Diomedis abierunt; neque conditionibus, dilationibus, moræ, vel cuicumque gravamini obnoxii esse poterant; immo quascumque dilationes, conditiones, moram, sive qualescumque dispositiones, juris ministerio pro non appositis esse censendos *Justinianus* edixit in *L. quoniam in prioribus. 32. C. de inoffic. testam.*

Neque tantisper cogitare licet de instrumento inito à præfato D. Diomede die 13. mensis Januarii anni 1769., quo ipse D. Diomedes declaravit, se recepisse duc. 1500. ab Ill. Comite Cerreti D. Philippo Carrafa ejus patruo, & ab Advocato D. Josepho Mazzaccara tunc tutoribus Ill. Magdalunensium Ducis, dixitque illos esse ad rationum exæquationem, sive ut vulgo exprimitur, *ad complementum* ducatorum 4322., assiumque 42., in quibus quidem ducatis 4322. 42. assertum fuit comprehensos fuisse ducatos 2333., & asses 33. eidem D. Diomedi debitos pro duobus quadrimestribus jampridem præteritis annuorum duc. 3500., ex causa, ut inibi dicitur, *livellorum*; uno nempe decurso in mense Decembri 1764., altero vero expleto in mense Aprili 1765.; pariter fuit dictum comprehensos in eis fuisse tam ducatos 1000. legatos ipsimet D. Diomedi per qu. Ill. Ducissam suam matrem in supremis ejus tabulis, quam ceteras quantitates cum in modo dicto instrumento, tum in apocha Banci Spiritus Sancti ei inserta, descriptas, in quibus porro apocha, & instrumento ipse D. Diomedes declaravit nihil aliud consequi debere ab domo Ill. Ducis per totum mensem Augusti exacti anni 1768. *per causa del detto livello.* Ad nihilum profecto objectio hæc recidit, ut inde deducatur, remisisse D. Diomedem præteritas quantitates ann. duc. 3500. debitas quoad ipse duxit minorem ætatem.

Etenim paulo ante animadversum est, hosce duc. 3500. per qu. Ill. Ducem D. Dominicum Martium Carrafa patrem relictos fuisse in supremis ejus tabulis pro legitima D. Diomedi filio debita super paternis bonis; ex feudalibus vero ipse D. Diomedes privari non poterat vita & militia, quia summopere læderetur in juribus suis. Legitimæ namque non integre constitutæ, vel diminutim solutæ, nullam obsistere posse filii declarationem, neque etiam securitatem per filium heredibus factam, explorati juris est. Nam tametsi *Alexander Severus* edixisset in *L. Parentibus* 8. §. 1. *C. de inoffic. testam.* quamcumque agnitionem judicii defuncti, vel declarationem heredibus per filium legitimarium factas, sibimetipsi nocere; attamen *Imp. Justinianus* quascumque agnitiones judiciorum defunctorum, declarationes, securitatesque etiam heredibus per filios habitas, minime eis officere sancivit, quin repletionem legitimæ expetere valerent; nisi expresse, clarisque verbis additum esset, nullam ipsis deinceps superesse de repletione legitimæ, & de eo quod deest, quæstionem, seu petitionem. En Imperatoris verba in *L. si quando* 35. §. *& generaliter*, *C. de inoffic. testam.* *Et generaliter definimus, quando pater minus legitima portione reliquerit, vel aliquid dederit, vel mortis causa donatione, vel inter vivos, sub ea conditione, ut hæc inter vivos donatio in quartam ei computetur, si filius post obitum patris hoc, quod relictum, vel donatum est, simpliciter agnoverit, forte & securitatem heredibus fecerit, quod ei relictum, vel datum est, accepisse, non adjiciens, nullam sibi superesse de repletione quæstionem, nullum sibi filium facere præjudicium, sed legitimam partem repleri; nisi hoc specialiter sive in apocha, sive in transactione scripserit, vel pactus fuerit, quod contentus relicta, vel data parte, quod deest nullam habeat quæstionem.*

Hoc porro edixit *Justinianus* in filio recipiente partem legitimæ minorem per ipsummet patrem relictam: quid-

quidnam nunc dicendum esse vir bonus arbitrabitur de solutione, non a patre, sed nepotis nomine, fas sit dicere, captiose, sagaciterque in apocha Banci facta, & instrumento inserta, atque interpolata, in qua perfunctorie declaratur, nil aliud consequi debere *per causa di detto livello?* Hæc namque declaratio referri quoque potest ad duos quadrimestres præteritos, & per Ducem, sive ejus tutores non factos satis in mensibus Decembri 1764., & Aprili 1765., dum statim prosequitur: *Facendoli* (D.Diomedes Duci) *de' medesimi (due terzi) ampia, finale, e general quietanza, anche per aquiliana stipulazione ec.; ed anco con giuramento ha dichiarato di non dover altro conseguire dalla casa di detto Sig. Duca a tutto Agosto del passato anno 1768. per causa del detto livello.* Quia igitur fuerunt exsoluti prædicti duo quadrimestres; ideo D. Diomedes declaravit, nihil aliud se consecuturum fore ex causa supradicti *livelli* ad mensem Augustum usque a domo Ducis sui nepotis; neque aliter talis declaratio intelligenda oportet, immo absonum esset, declarationem hanc contorquere ad quantitates non solutas in ætate minori ipsius D. Diomedis.

Verum detorqueatur modo declaratio isthæc, ut libet eidem Ill. Duci, quid tum inde? fuitne fortasse vocula aliqua hic dicta de quantitatibus non solutis, quo D.Diomedes minorem traduxit ætatem? profecto nulla. Professus ne ipse fuit, se non petiturum hasce quantitates, & de ipsis quæstionem in posterum non habiturum, contentus de eo, quod jam receperat? de quo nihil pronuntiatum, ne dicam cogitatum fuit, neque securitas aliqua per D. Diomedem Duci suo nepoti fuit facta de sæpe dictis quantitatibus; sed actum solum fuit de ducatis 4322. 42.; fuitque propterea pactum, conventumque de certa re, hoc est de modo dictis duc. 4322. 42., tametsi de hisce expresse securitas facta non videatur; neque additum fuerit, de eis nihil amplius se fore petiturum.

Cum

Cum igitur de certa re conventum, transactumque fuerit, permanet actio transigenti, de ceteris suis juribus quærere; ita sane rescripserunt *Diocletianus*, & *Maximianus* in *L. si de certa re* 31. *C. de transactionib. Si de certa re pacto transactionis interposito hoc comprehensum erat, nihil amplius peti; etsi non additum fuerat, eo nomine; de ceteris tamen quæstionibus integra permanet actio*. Igitur si præfato instrumento solum pronuntiatum, pactumque fuit de ducatis 4322. 42., & de præteritis annuis præstationibus minoris ætatis D. Diomedis tempore excursis nulla prorsus ratio habita fuit; quonam pacto, quove jure ad hasce præstationes, quantitatesque non solutas declaratio illa *di non dover altro conseguire dalla casa del Signor Duca a tutto Agosto* 1768. *per causa del suddetto livello*, extendi, atque perduci potest? nulla quidem juris ratione, legumque præcepto prorsus nullo. Optime ergo, & secundum artem æqui, bonique S. R. C. hasce præteritas quantitates per Ill. Ducem Magdaluni nepotem, Ill. D. Diomedi Carrafa patruo, exsolvendas esse definivit, decrevitque.

Modo præstat differere de ducatis 2018. per Ill. Ducem, ejusque Curatores retentis pro pretio hordei, fœni, & paleæ consumptarum pro pastu equorum D. Diomedis ab anno 1757. ad annum 1775. quousque ipse ab Ill. Duce D. Carolo fratre ad domum suam traductus secum habitavit, convixitque. Hæc enim petitio incongrua, immo indecora magnanimitati Illustris domus Magdalunensium Ducum S. R. C. visa est; etenim Ill. qu. Dux D. Carolus non solum D. Diomedem fratrem suum secundogenitum ad domum suam evocavit, hunceque secum ad habitandum induxit, convivamque continuo habuit, & permisit, ut equi D. Diomedis alerentur in proprio stabulo una cum suis, absque quo ab anno 1757. ad annum usque 1765. quoad vixit, quod minimum intendisset; verum etiam annuos ducatos 3500. menstruos eidem D. Diomedi exacte, studio-

ſtudioſeque exſolvit. His itaque ſic peractis, quiſnam quæſo ſibi ſuadere potis eſt, hæc omnia per fratrem primogenitum, & Magdaluni Ducem, ſecundogenito fratri non fuiſſe donata, & fraterni amoris cauſa grato animo remiſſa? Inſtat modo Dux filius, hereſque ſupradicti qu. Ducis D. Caroli, ſibi faciendos eſſe ſatis ducatos 2018. pro cauſa prænarrata: non teneri, ait D. Diomedes patruus; & licet illi fuerint per Curatores penes ſe retenti, attamen continuo huic retentioni ſe obſtitiſſe, ex eiſdem Banci apocha, & inſtrumento anni 1765. liquere, affirmat D. Diomedes. In hac igitur concertatione, quid juſtius videatur, quæritur? S. R. C. reſpondet non ſecus, quam *Juriſconſultus Paulus libro primo quæſtionum* interrogatus, reſpondit *Neſennio Apollinari*, de quæſtione alimentorum per aviam nepoti præſtitorum: *Hæc diſceptatio in factum conſiſtit*, ut videre eſt in *L. Neſennius Apollinaris* 34. *ff. de negot. geſt.*: Proteſtatus ne unquam fuit, ut cum *Pauli* monitu animadvertatur, qu. Dux D. Carolus frater, ſe ideo permittere equos paſtum capere in proprio ſtabulo cum ſuorum equorum comitatu, ut deinceps convenire D. Diomedem fratrem ſuum ſecundogenitum pro impenſis poſſet? minime vero. Retulit fortaſſe qu. Dux D. Carolus in rationem impenſarum erogatarum pro D. Diomede in exſolvendis eidem menſtruis ducatis 3500. quotannis per temporis excurſum ab anno 1757. ad annum 1765., quo vita functus fuit ipſe Dux? nequaquam: immo ſummo ſtudio, & fraterno amore exactiſſime fecit ſatis modo dictam menſtruam præſtationem quoad vixit.

Neque profecto ſuſque deque ferendum eſt, in medium non proferre factum illud, quod ex teſtamento ipſiusmet qu. Ducis D. Caroli compertum habetur; etenim ipſe poſtquam filium ſuum D. Dominicum Martium heredem ex aſſe inſtituit, D. Diomedem ſubſtituit, ſi filius ſine filiis maſculis decederet, excluſis prorſus filiabus. Et ut ſe perquam gratiſſimum oſtenderet, eidem D. Diomedi fratri legavit

gavit ducatos 500. semel tantum solvendos, & habitationem in proprio palatio ipsius Ducis quoad D. Diomedes vixerit, & herede renuente, eum ad solvendum D. Diomedi ducatos 300. quotannis obstrinxit.

His porro factis sic disceptatis, non secus responderet *Paulus* de hac concertatione interrogatus, quam S.R.C. definiit, exsolvendos nempe esse D. Diomedi per Ill. Ducem D. Dominicum Martium Carrafa filium, heredemque qu. Ducis D. Caroli præfatos ducatos 2018.; tum quia ipsemet Dux D. Carolus D. Diomedem fratrem induxit ad secum habitandum, convivendumque, & equos in proprio stabulo collocandum; tum etiam quia nunquam protestatus fuit illum conventurum fore pro expensarum satisfactione, neque in istarum rationem quoad vixit dictos ducatos 2018. retulit; immo in supremis tabulis eumdem D. Diomedem in tam ampla hereditate substituit, eique bifariam legavit: quæ omnia hercle luculenter, atque manifestissime commonstrant, ostenduntque, se se remisisse, donavisseque quidquid pro tempore prædicto pro D. Diomede expensum tulit: pro cujus confirmatione non abs re erit argumentum a *L. apud Julianum* 35. *§. si Titius* 2. *ff. de legatis* 1. capere, quo velati manuducti cum disertissimi viri, tum Pragmatici omnes, ex *Ulpiani* sententia affirmant, creditorem, eum debitori suo legaverit, omnem obligationem remisisse, existimandum esse.

Quibus omnibus sedulo ad juris, & disciplinæ præcepta per S. R. C. perpensis, reque serio reputata, exscriptam sententiam pronuntiandam, atque proferendam esse censuit.

In

In causa heredum Baronis D. Petri Pauli Mastellone cum Barone D. Antonio, D. Paschale, & D. Raphaele de Filippis. Die 31. Martii 1781.

Referente Reg. Cons. Petro Patritio,

S. R. C. pronunciavit: *Heredes qu. Baronis D. Petri Pauli Mastellone absolvendos esse a petitis tam pro parte qu. D. Claudiæ Mastellone, quam pro parte magn. Baronis D. Antonii, D. Paschalis, & D. Raphaelis fratrum de Philippis, ac filiorum dictæ qu. D. Claudiæ. Neutram in expensis.*

Secundum paragium censetur dotata, quæ pari nupsit; etsi legitima portione minores dotes comparant.

Filiam a patre, data dote, in matrimonium collocatam, ad supplementum contra fratrem agere non posse, eo obtentu, quod dotem legitima portione minorem habuerit, S. C. censuit. Filiabus enim tam Constit. *In aliquibus*, quam Consuet. *Si moriatur*, existente fratre, nullum est parentibus succedendi jus, ne pro legitima quidem portione; sed paragium dumtaxat ei debetur. Et sane si, ut plurimum in testamentis legitur, filiæ in dotibus eis constitutis heredes scriptæ sunt, id non aliter fieri, quam tabellionum imperitia, qui perperam credunt, filias heredes scribi oportere, nostri juris peritiores animadverterunt. Remotis igitur a parentum successione filiabus, quibus paragium tantum debetur, sive congrua dos; inspiciendum est, quænam sit habenda ratio in congrua dote æstimanda, ut inde cognosci possit, num eis competat actio ad supplementum. Profecto jure diserte cautum est, dotis quantitatem pro modo facultatum, & ex dignitate natalium esse constituendam, *L. quæro 60. ff. de jure dot. L. si filiæ 41. ff. de leg. 3. L. cum post divortium 70. §. gener. & §. nuptiis ff. de jure dot.* Ac interpetrum consensu spectanda potissimum est loci, in quo matrimonium fit, consuetudo. Nulla igitur est definita quantitas ad congruæ dotis æstimationem; neque dos legitimæ portioni respondere omnino debet. Etenim si legitimam portionem æquari oporteret, frustra ex dignitate conjugum, & ex loci præsertim

fertim consuetudine æstimandam esse dotem, jure fuisset præscriptum. Quare fieri potest ut dos quandoque infra legitimam constituatur, legitimam interdum æquet, interdum eam excedat, & ad virilem portionem pertingat.

Quæ quum ita se habeant, existimandum omnino est congruam dotem accepisse, sive secundum paragium collocatam fuisse eam filiam, quæ dote a patre accepta, pari nupsit, siquidem, ut ait *Papinianus*, pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. *L.22.§.ult.ff.ad L.Jul. de.adult. Quis enim* (quæ verba sunt *Justiniani* in *L.ult C. de Curat. furios. vel prod.*) *talis adfectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum, vel cui alio credendum est res liberorum gubernandas, parentibus relictis?* Nullo modo igitur filiæ, quæ dote a patre constituta, paris conditionis viro juncta est, dotis supplementum petere permittendum est, quum ne filio quidem liceat inofficiosam arguere dotem, quæ virilem portionem æquet, vel (salva tamen filii legitima) etiam excedat: quippe censeri debet, filiorum rebus patrem optime consuluisse. Denegato vero filiæ dotis supplemento, consequitur, nullum ei superesse posse jus petendi, collata dote, supplementum legitimæ portionis; quia legitima debetur jure hereditario, cujus filiam, existente fratre, expertem esse nostris legibus, & moribus, dictum est.

Quibus accedit totius Regni familiarum decus labefactari, & pacem turbari, omnia denique misceri, si fœminis accepta a patribus dote honeste collocatis potestas fiat, obtentu supplementi legitimæ portionis, adversus fratres agendi, qui familiæ decus & splendorem tueri debent.

His ita definitis, omittendum non est, ex alia quoque ratione filiam repelli, si ad supplementum agat post triginta annorum lapsum a die obitus patris; quum compertum sit, quamlibet actionem triginta annorum præscriptione inanem fieri, *L. sicut*, & *L. fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

Joannes Maria Graziano Act. Mag. -- Vincentius Maria Dattilo Scriba.

In causa Universitatis Terræ Præsicii cum Ill. Principe D. Alphonso de Liguoro. Die 17. Julii 1781.

Referente Reg. Cons. D. Basilio Palmieri,

S. R. C. pronunciavit: *Bene fuisse judicatum per nostram M.C.V., & male appellatum pro parte Universitatis Præsicii*. Extra dubitationis aleam est, posse hodie quemlibet habere sepulchrum seu sepulturam pro se suaque familia tam in Parochialibus Ecclesiis, quam in ceteris aliis omnibus Ecclesiis; illudque habere etiam in honorabiliori loco, immo & in Choro Ecclesiæ, ut apposite docent Franciscus le Roye *lib. 1. de juribus honorificis cap. 9.*, Carolus Loyseau in percelebri libro seu tractatu *des Seigneuries chap. 11. num. 80.*, ceterique viri eruditi. Quod profecto jus acquiri potest etiam consuetudine, vel præscriptione, ut & cetera jura honorifica, ut ex Alexandri Severi Rescripto in *L. monumentum C. de relig. & sumpt. funer.* luculenter comperitur; non obsistente Ulpiano in *L. longa possessione penult. ff. de mortuo inferendo*, scilicet longa possessione jus sepulchri non tribui ei, cui jure non competit; Siquidem vindicat sibi locum Ulpiani responsum in sepulchro alieno, in quo, quacumque longa possessione per alium habita exercitaque, jus ei non tribuitur, ut apprime explanat laudatus præclarissimus vir Franciscus de Roye modo dicto loco. Igitur si sepulchra, seu sepulturas familiares existere mos patitur in honorabiliori Ecclesiæ loco, & in ipso Choro, præcipue illas familiarum nobilium Dominorum, Toparcharumque Regionum, falsum esse pernoscitur, quod testes aliqui Universitatis adstruunt, retroacto ævo interdictam per Diœcesanum fuisse sepulturam, de qua concertatio est, quia prope majus Altare illa extructa fuerat. Igitur S. R. C. perquam optime censuit, bene judicatum fuisse per M.C.V.

In qualibet Ecclesia sepulchrum acquiri potest.

U.J.D. Franciscus d'Amoro Act. Mag. — Joseph Maturanzio Scriba.

In causa D. Nicolai, D Thomæ, & D. Dominici de Flaviis, ac successive D. Urbani Landriani cum Antonio Ruopoli, & Canonico D. Paulo d'Amore. Die 24. Augusti 1781.

Referente Regio Consil. Malena,

Juspatronatus, quod hereditarium videtur, mixtum ex argumentis voluntatis censeri debet; mixtum vero, deficiente linea, in simplex hereditarium converti potest.

S. R. C. visis actis, supplici libello, ac Regali Rescripto in actis exhibitis, pronunciavit: *Jus patronatus ordinatum a qu. Sara Giordano anno 1647. esse hereditarium mixtum; & proinde nulla habita ratione donationis factæ per qu. D. Nicolaum Tonti magn. Notario Antonio Ruopoli, S. C. declarat, jus præsentandi, & nominandi ad Rectoriam, ut ex actis, spectavisse, & spectare ad D. Dominicum, aliosque fratres de Flaviis. Respectu vero alterius medietatis patronatus prædicti, Canonicus D. Paulus, aliique fratres de Amore absolvantur ab impetitis tam pro parte magn. D. Urbani Landriani, quam D. Dominici, aliorumque fratrum de Flaviis. Neutram partem in expensis.*

Ratio decisionis. Cum ambigeretur, utrum jus patronatus a Sara Giordano institutum hereditarii simplicis, an vero mixti naturam præferret; S.C. hereditarium mixtum non sine sufficienti ratione pronunciavit. Licet enim heredum mentio in fundatione occurrat, eam tamen vocem non ad quoscumque heredes, sed ad eos, qui & sanguinis qualitate proditi sint, referendam esse, ceteræ, quæ comitantur formulæ, suadent. Quorsum enim ea oratio: *Si debba fondare, ed erigere di detta Cappella, Massaria, e Territorj un jus padronato perpetuo*; Et demum: *E si debbano eliggere li Rettori, e Beneficiati* toties quoties casus vacationis acciderit, *per le Sig. D. Camilla, e D. Maria Giordano suoi nipoti, e loro eredi e successori in perpetuum*; si quidem de jure patronatus simplici hereditario ageretur? Ea sane hujusmodi juris patronatus indoles est, ut sit perpetuum, nunquam enim fit, ut quis sine herede mo-

moriatur. Quid denique sibi vellet repetita, atque expressa heredum invitatio iis verbis concepta: *de' quali*, nempe heredum, & successorum, *vuole, che sia perpetuamente lo predetto jus patronato, e voce, ut supra*; quæ omnia de heredibus penitus extraneis nequeunt intelligi. Neque in jure novum est, heredis nomen ad heredem sanguinis tantummodo coarctari, namque hujusmodi luculentissima exempla *L. 3. C. de libert. & eor. liber.*, & *L. 17. §.ult. ad S.C. Trebell.* nobis exhibent. Nec vero S.C. decretum contradictionis argui potest, quod pro altera medietate ejusdem juris patronatus, quæ ad D. Paulum, aliosque fratres de Amore donationis titulo pervenit, illud instar hereditarii simplicis censuerit. Licet enim dicti de Amore extranei prorsus sint a familia Saræ, ejusque neptum Camillæ, & Mariæ Giordano; nihilo tamen minus, quia jus patronatus initio in duas diversas lineas bipartitum fuit, altera ex iis, nempe Mariæ linea defecta, pro ea parte, ut Canonistarum communis fert opinio, ex *de Luca de jure patr. disc. 35. n. 5. & 10. & disc. 60. n. 29.* ex mixto in simplex hereditarium transiit, ideoque ad extraneos potuit recte transferri.

U.J.D. Xaverius Falanga Act.Mag. — Januarius Izzi Scriba.

In causa redintegrationis petitæ per Ill. Principem Roccellæ D. Vincentium Carrafa. Die 26. Septembris 1781.

MAjores Ill. Principis Roccellæ D.Vincentii Carrafa Cantelmo Stuart extruxerunt, dotaveruntque Monasterium, & Abbatiam S.Nicodemi de Mammola, seu de Cellarariis ulterioris Calabriæ Ordinis S.Basilii; atque eapropter per fundationem, extructionem, atque dotationem, *Can. 33. caus. 16. qu. 7. & Can. 4. caus. 18. qu. 2. atque Cap. Nobis 25. de jure patron., & Nov. Constit. Imp. Justiniani 57. & 123.* juspatronatus sibi ipsis acquisiere. Ast ob tempus rerum edax, & immania bella, quæ Provinciam illam de-

Fundatio, & dotatio patronatum ipso jure tribuunt; ita ut fine spolii crimine a Fundatore, vel Dotante, eorumque successoribus patronatus non aufertur.

depopulata sunt, scripturarum monumenta, ex quibus modo dictum juspatronatus comperi ac liquere poterat, deperdita fuere; indeque juspatronatus paulatim ex animo descendentium e prædictis majoribus effluxit, & oblivione pæne deletum. Anno porro Servatoris Domini Incarnationis quingentesimo trigesimo primo supra millesimum Ill. D. Jo: Baptista Carrafa Castriveteris Marchio Ill. Principis Roccellæ D. Vincentii ascendens, supplicem libellum porrexit Clementi VII. Pont. Max., cui modo dicta exposuit, jusque suum ostendit, atque expetiit, ut ipse, heredesque sui jure redintegrarentur in patronatu prælaudatorum Monasterii, & Abbatiæ S. Nicodemi. Et sane Pontifex VII. kal. Februarii prædicti anni petitis annuit, suoque Diplomate edixit, ex quo Monasterium conventu carebat, deque eo consistorialiter disponi non consueverat, & fructus, redditus, & proventus dictæ Abbatiæ taxati reperiebantur in libris Cameræ Apostolicæ in ducatis 33., aucta dote illius pro medietate præfatorum redituum, ipsi Ill. Marchioni Castriveteris D. Jo: Baptistæ, heredibusque atque successoribus suis in perpetuum ju patronatus addixit dicti Monasterii, jusque præsentandi, atque commendandi quemcumque Clericum sæcularem, vel regularem tam Ordinis S. Basilii, quam cujuslibet alterius Ordinis concessit; subjunxitque, licere Abbati, seu Commendatario, supportatis debitis, & consuetis oneribus dicti Monasterii, disponere de duabus partibus reliquorum fructuum, redditmum, & proventuum, reservata vero alia tertia parte pro servandis fartis tectis Abbatia, vestibus, & paramentis, seu sacris supellectilibus, & pauperum alimonia.

Insuper peculiariter statuit, mandavitque idem Summus Pontifex, quod si Clericum præsentatum per dictum Marchionem D. Jo: Baptistam, heredes, successoresque suos Diœcesanus, vel Vicarius suus instituere renuisset, recusassetque, vel per decem dies distulisset, quæcumque persona in dignitate Ecclesiastica constituta, per præsentatum, vel

vel per præsentantem tunc eligenda, institutionem hujusmodi facere libere, & licite posset, & institutio sic facta in omnibus, & per omnia sic valida esset, ac si per Romanum Pontificem facta fuisset. Edixit pariter Summus Pontifex non solum hoc juspatronatus esse laicorum, seu laicale, verum etiam competere, & pertinere ad dictum Marchionem D. Jo: Baptistam, heredes, & successores suos ex justitia, & ex fundatione, & dotatione; quas veras fuisse declaravit. Immo statuit, & in mandatis dedit, ut penitus deinceps nemo quacumque dignitate præditus, neque ipsi Romani Pontifices successores sui, jurispatronatus prædicto derogare possent, neque de Monasterio, & Abbatia, neque de Commenda prædictis quacumque ex causa disponere potis essent; irritando propterea, & nullos declarando quoscumque actus, qui quoquo modo juspatronatus prædictum læsissent, exturbassent, attentassent. Liquent sane hæc omnia ex apographo, seu exemplo Romæ exscripto a registris litterarum Apostolicarum fel.rec. Clementis Papæ VII., & solemnibus munito, atque confirmato, & in actis S.R.C. exhibito.

Hæc profecto redintegratio jurispatronatus, & auctio dotis præfatæ Abbatiæ plures præsentationes Abbatum Commendatariorum factas per Marchionem D. Jo: Baptistam præferunt a dicto anno 1531. ad annum usque 1552., ut videre est ex Bullis Pauli III., & Julii III. Romanorum Pontificum exscriptis Romæ ab Archivo Apostolico secreto, prostantque in processu.

At cum Terra Mammulæ exiisset e manibus successorum Marchionis Castriveteris, & eorum posteri, per oblivionem jurispatronatus prædicti, exercitium illius neglexere, atque horum indiligentia, & neglectus viam stravit, modumque præbuit vigili & insomni Romanæ Curiæ occupandi Abbatiam, illamque libere, & proprio arbitratu conferendi, floccifaciendo non solum jurispatronatus firmas stabilesque leges, verum etiam commonitionem graviter,

viter, firmiterque inculcatam, & prohibitionem sedulo indictam per Summum Pontificem Clementem VII., ne quispiam etiamsi Romanus Pontifex fuisset, derogare juripatronatus supradicto, vel illud paullulum attentare auderet; secus vero nullum irritumque quiequid peractum fuisset, omnino habendum.

Innotuit porro Ill. Principi Roccellæ D. Vincentio, Patronatum præfatæ Abbatiæ quondam fuisse juris proprii suæ nobilis familiæ, eique hereditario jure a majoribus suis transmissum; curavit propterea hujus rei legitima documenta exquirere, obtinuitque tam supradictum Breve Clementis VII., exscriptum a registro, seu codice litterarum Apostolicarum Clementis VII., quam supradictas præsentationes Abbatum factas per Ill. Marchionem Castriveteris D. Jo: Baptistam Carrafa, ipsiusmet Principis D. Vincentii progenitorem. Hisce enim scripturarum monumentis instructus, munitusque Ill. Princeps *D. Vincentius*, supplici libello institit in S.R.C., petiitque se redintegrandum esse in exercitio jurispatronatus prædictæ Abbatiæ una cum omnibus juribus ei adnexis, unitisque, & in litteris Apostolicis Clementis VII. descriptis atque contentis.

Mense Junio anni 1778., quo edita fuit actio redintegrationis in S.R.C. per Ill. Principem Roccellæ, Abbatia S. Nicodemi extiterat jam collata per Romanam Datariam Cardinali quondam Simonio Beneventano Metropolitæ; atque huic propterea, ejusque Procuratori libelli exemplar, seu copia notificata fuit. At mors statim subsecuta laudati Cardinalis judicii progressum tunc intercepit; instante vero Ill. Actore, fuit die 13. mensis Martii 1781. prolatum decretum pro notificatione interesse habentium super prædicto jurepatronatus, & expediri propterea citationes per edictum, quæ ut juris morisque est, affixæ fuere S.R.C. valvis; Et cum nemo ad judicium venisset, contumaciis expeditis, terminus ordinarius in contuma-

tumaciam fuit impartitus, in cujus progressu scripturæ, & & monumenta prædicta in vim probationis per Ill. Actorem fuere reproductæ. Verum enimvero censuit S. R. C. denuo expediendas esse citationes per edictum, easque figendas fore in Terra Mammulæ Hieracensis Diœceseos, in qua Abbatia collocata reperitur. Nec propterea aliquis in jus de sua re dicenda venit. Expletis igitur actis omnibus, & judiciorum ordine exacto, S. R. C. modo, quo sequitur, sententiam dicendam esse censuit:

Referente Reg. Consf. Palmieri,

Visis breve, seu litteris Apostolicis Pontificis Maximi Clementis VII. Romæ datis apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo primo, septimo kalendas Februarii, anno nono Pontificatus ejusdemmet Pontificis, quibus qu. Ill. Marchio Castriveteris D. Jo: Baptista Carrafa prædecessor Ill. Principis Rocellæ D. Vincentii Carrafa Cantelmo Stuart, ejusque heredes & successores in perpetuum redintegrati fuere in jurepatronatus Monasterii S. Nicodemi de Mammula, seu de Cellarariis, ejusque Abbatiæ, tamquam fundati, & dotati per majores modo dicti Ill. Marchionis D. Jo: Baptistæ, & redintegrati pariter fuerunt in jure præsentandi ad Abbatiam prædictam quemcumque Clericum sive sæcularem, sive regularem, tam ejusdem Ordinis S. Basilii, quam cujuscumque alterius Ordinis Regularis: cum peculiari facultate, quod si Diœcesanus, vel ejus Vicarius recusassent Clericum præsentatum instituere, vel per decem dies destitissent illum instituere, licere tam præsentato, quam præsentanti, quamcumque personam in Ecclesiastica dignitate constitutam eligere, & per eandemmet institui curare; quæ quidem institutio habenda foret tamquam facta per Romanum Pontificem, interdicendo propterea quibuscumque personis, etiamque successoribus Pontificibus quidquam de jurepatronatus prædicto attingere, innovare, vel quidquam detrimenti afferre, vel Abbatiam prædictam conferre, in-

vitis dictis Ill. Marchione, ejusque heredibus & successoribus. Præsentationibus dein per ipsummet Ill. Marchionem factis ob anno 1531. ad annum usque 1552., & præsentatis per Pontifices Paulum III., & Julium III. institutis, cum declaratione, esse Abbatiam jurispatronatus dicti Ill. Marchionis, suorumque heredum & successorum. Fidibus præambulorum per M.C.V. expeditorum, ex quibus liquet, Ill. Principem Roccellæ D.Vincentium Carrafa Cantelmo Stuart esse heredem & successorem præfati Ill. Marchionis D. Jo: Baptistæ Carrafa. Fide magn. Rationalis Regiæ Cameræ Summariæ, & Cedularii D.Philippi Molinari, ex qua liquido constat, feuda possessa per dictum Ill. Marchionem D. Jo: Baptistam recta linea transivisse, deque illis investitum fuisse Ill. Principem Roccellæ D.Vincentium Carrafa Cantelmo Stuart, ac visis ceteris actis &c. S.R.C. declarat juspatronatus Monasterii, & Abbatiæ S. Nicodemi Terræ Mammulæ, seu de Cellarariis Calabriæ ulterioris spectavisse & spectare hereditario jure ad Ill. Principem Roccellæ D. Vincentium Carrafa Cantelmo Stuart, ejusque heredes & successores in perpetuum, tamquam fundatum Monasterium prædictum, constructum atque dotatum ex bonis allodialibus per Ill. ejus majores, & redintegratum eapropter in beneficium qu. Ill. D Jo: Baptistæ Carrafa Marchionis Castrivetcris, modo dicti Ill. Principis prædecessoris; eique Ill. Principi competere jus nominandi, seu potius jus præsentandi ad Abbatiam præfatam Clericum, vel Sacerdotem tam sæcularem, quam regularem cujuscumque Ordinis Regularis, cum facultate, quod si contigerit quod Episcopus Diœcesanus, vel ejus Vicarius recusaverint, vel obstiterint Clericum, seu Sacerdotem tam sæcularem, quam regularem idoneum instituere, vel per decem dies institutionem differre, liceat inde, & licitum sit tam præsentato, quam præsentanti eligere quamcumque personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, perque eam institutionem prædictam consequi, in omni-

omnibus servata forma brevis, seu litterarum Apostolicarum Summi Pontificis Clementis VII. supra enunciatarum, redintegrandum propterea esse, quatenus opus sit, dictum Ill. Principem, ejusque heredes & successores in jurepatronatus dictorum Monasterii, & Abbatiæ, prout hac definitiva sententia S. R. C. redintegrat, redintegrari vult, atque mandat, cum omnibus juribus, & facultatibus prædictis, & in omnibus servata forma præfatarum litterarum Apostolicarum Clementis VII. Romani Pontificis. Hanc eandem &c.

Duxit porro S. R. C. exaratam sententiam dicere, atque ferre, profecto quia extra dubitationis aleam esse idemmet S. R. C. existimavit, Monasterium supradictum in antecessum fundatum, extructum, dotatum, ditatumque fuisse per Ill. majores sæpe nominati Ill. Principis Roccellæ D. Vincentii; idcirco indubitati juris esse, juspatronatus Monasterii, ejusque Abbatiæ illos acquisisse; etenim ipsa juris Canonici œconomia decernit, quod Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus; eapropter *Fortunatus lib. 1. cap. 2.* sequentes versus scripsit:

Fundavit, struxit, dotavit, deinde dicavit,
Et meruit templi solvere vota sui.

Hisce siquidem tribus modis juspatronatus sive Ecclesiarum, sive Monasteriorum, ceterorumque piorum locorum acquiritur; quæ tria Canones complecti intellexerunt sub nomine, quo sæpius usi fuere, *Conditorum*, vel *Constructorum* Ecclesiarum seu Monasteriorum.

Verum enimvero in comperto est ex modo dictis fundatione, extructione, & dotatione juspatronatus jure ipso, & ex justitia acquiri, non autem ex gratia, ut aliqui somniarunt, quos apposite, firmiterque perstringit *Franciscus de Roye in Prolegom. ad tit. de jurepatr. cap. 15.*, ex quo porro consequitur, quod juspatronatus semel ac sit acquisitum, nihil de eo quisque decerpere potest, nec etiam Romanus Pontifex. Mandavit sane Romana Syno-

 dus

dus anni 826. *cap. 21. apud Labbæum tom. 9. Conciliorum*, exscribiturque pariter per *Gratianum caus. 16. qu. 7. can. 33. Monasterium, vel. Oratorium canonice constructum, a dominio Constructoris, eo invito, non auferatur*. Id quod antea pariter præscripserat Concilium Toletanum nonum *can. 2.* apud laudatum *Labbæum tom. 7. Concilior. Quod si spretis eisdem Fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam sui alios in eorum loco, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint, ordinari*. Sunt sane jurapatronatus, atque Ecclesiæ, & Monasteria modo superius dicto fundata, & constructa in dominio Fundatoris, seu, ut Concilium ait, *Constructoris*, a quo auferri sine spolii facinore nequeunt; proindeque scite ait *Molineus* ad *D. cium cons. 117.*, non posse neque etiam Pontificem jurapatronatus a Fundatoribus carpere, quippe qui a suis possessionibus eos spoliare potis non est; additque *Franciscus de Roye* loco laudato, quia jurapatronatus summo jure Fundatoribus competunt; idque clare evincitur ex epistola decretali Clementis III., sive sit potius Cœlestini III. in *Cap. Nobis 25. de jurepatron.*, qua sancitur, *quod si aliquis Ecclesiam cum assensu Diœcesani Episcopi construxerit, ex eo juspatronatus acquirit*. Si igitur juspatronatus acquiritur ex eo solum, quia Ecclesiam aliquis construxit, nulla alterius ope, vel concessione; acquirit sane juspatronatus fundationis jure, & jure proprio, & summo, non vero ex gratia; proindeque ab eo auferri nequit, nisi spolii crimine, quod compescendum esse omnes leges jubent ac sanciunt.

Quam æqui bonique juris œconomiam omni ingenii acie inspiciens Summus Pontifex Clemens VII. prædicto suo brevi edixit, redintegrandum fore Ill. Marchionem Castrivereris D. Jo: Baptistam Carrafa in jurepatronatus sæpedicti Monasterii, tamquam acquisito jure fundationis per suos majores peractæ, atque jure dotationis; quæ quidem

dem redintegratio jam re comprobata fuit, nam plures præsentationes ipsemet Ill. Marchio D. Jo: Baptista exercuit, illæque exitum expertæ fuere, & præsentatos Paulus III. & Julius III. Romani Pontifices instituerunt de præfata Abbatia, utpote de jurepatronatus ejusdem Marchionis.

At mortuo eodemmet Marchione D. Jo: Baptista, heredum incuria, & hujus tam præclari juris inscitia, illud omnino neglectum fuit; quadere Clerici, ut ait laudatissimus *Franciscus de Roye* in prædicto *cap.* 15. finem versus, *facile beneficiorum immemores*, posthac juspatronatus denuo occupaverunt, & Abbatiam seu de libera, ut ajunt, collatione Romana Curia contulit, commendavitque, & legitimos patronos expoliavit, deturbavitque.

Apposite dicitur porro legitimos Patronos jurepatronatus prælaudatæ Abbatiæ expoliatos, exturbatosque fuisse, etenim in dubium revocare nemo potis est, quin Abbatia fuerit de jurepatronatus Ill. Marchionis D. Jo: Baptistæ tam ex declaratione facta per Clementem VII., quam per institutiones habitas per Paulum III. & Julium III. Romanos Pontifices, in quibus peculiariter, & expressius ipsimet fassi fuere, Abbatiam esse de jurepatronatus Marchionis D. Jo: Baptistæ: Si igitur Abbatia Monasterii S. Nicodemi Mammulæ juris proprii erat Marchionis D. Jo: Baptistæ, ejusque heredum & successorum, quomodo quæso, quave causa Romana Curia poterat illam proprio arbitratu, & quasi de sua libera collatione, quibus libuit commendare, insciis inconsultisque Patronis? Ecquando exoleta fuere superius exscripta mandata Concilii Toletani noni, atque Romani, quibus vetitum fuit auferri Monasterium a dominio fundatoris, vel spreto eodemmet fundatore, per Episcopum sive per quemcumque alium ordinari ibidem Rectorem, quin in irritum, & in verecundiam eorum isthæc ordinatio evadat? Nonne hoc fieri luculenter interdixit, vetuitque Clemens VII. in supra expositis suis Apostolicis litteris, quibus etiam peculiariter, & summo-

pere

pere mandavit, quod si forte fortuna id deinceps fieri contigerit; & tunc idem facinus irritum fecit, rescidit, delevit? Spolii vim ergo perpassi fuerunt heredes Marchionis D. Jo: Baptistæ: eoque magis quia neque in judicium, neque extra hoc nec usquam ipsi accersiti fuerunt. Rescripsit sane Alexander III. Summus Pontifex (ut missas faciamus civiles sanctiones, & ut ausus Ecclesiasticorum Ecclesiastico jure retundamus) rescripsit siquidem Alexander III. in *Cap. conquerenti 7. extr. de restit. spoliator* anno 1160. Archiepiscopo Cantuariensi, non decere honestati suæ alios sine manifesta causa, & ratione suis beneficiis spoliare; ac proinde beneficia ipsa cum perceptis redditibus, illis restituenda Archipræsuli Cantuariæ mandavit. Mitius igitur & æquitatem suam a justitia non dissociatam S.R.C. prosequendo, supra exscriptam sententiam proferendam esse censuit; fructusque vero omnes perceptos per illegitimos Commendatarios per Romanam Curiam huc usque provisos eisdem remisit, addixitque.

Rubinus Act. Mag. -- Franciscus Sanseverino, Scriba.

In causa Rev. D. Francisci Antonii cum Rev. D. Josepho de Crudis. Die 26. Septembris 1781.

Referente Regio Consil. Palmieri,

Ad patronatum vocatis, qui de linea propinquiori sunt, cum inter ejusdem lineæ descendentes lis oriatur, præferendus semper qui gradu proximior est.

S. R. C. inspectis omnibus actis, pronunciavit: *Pertinere ad Rev. D. Franciscum Antonium de Crudis Cappellaniam jurispatronatus familiæ de Crudis, tamquam de linea propinquiori præfatæ familiæ de Crudis, & servata fundationis lege; pro cujus effectu liceat eidem Rev. D. Francisco Antonio celebrare Missas per Rev. D. Franciscum fundatorem in suo testamento statutas, atque adimplere cetera omnia opera in eo præscripta, & percipere fructus omnes perventos, & perveniendos a bonis eidem juripatronatus addictis, & pro dote dictæ Cappellaniæ donatis, & ab illis omnibus, quæ in præsentiarum in prædicto jurepatronatus*

natus reperiuntur; pro cujus effectu sequestrum super illis per Dom. causæ Commiss. ordinatum, tollatur. Neutram partem in expensis.

Duxit profecto S. R. C. exaratam sententiam proferendam dicendamque ex fundationis jurispatronatus lege adscripta per qu. Rev. Canonicum Cathedralis Ecclesiæ Civitatis Polimiani D. Franciscum de Crudis in suis testamenti tabulis diei 14. mensis Julii anni 1528. Fundavit enim modo dictus Rev. Canonicus D. Franciscus juspatronatus laicalis Capellaniæ, hac lege „ ut eidem juripatronatus succedere debeat post mortem ipsiusmet Canonici Diaconus Federicus filius legitimus & naturalis Petri Nicolai de Crudis sui fratris, & Subdiaconus Joannes filius legitimus & naturalis Francisci pariter sui fratris de Crudis, sui nepotes legitimi & naturales, qui quidem ambo succedere habeant in dictis bonis, & jurepatronatus pro æquali portione; & si alter eorum ex hac luce migraverit, superstes habeat portionem illius defuncti, & sit solus deinde in dicto jurepatronatus dum in humanis vixerit; & deficiente isto secundo, ut succedat in posterum unus tantum de linea masculina propinquiori, & isto modo semper servetur; & posito casu quod non reperiatur aliquis de linea masculina, succedat in dicto jurepatronatus unus de linea fœminina propinquiori, qui voluerit fieri Presbyter; & deficientibus linea masculina, & fœminina, ille qui reperitur, vel possidet dictum juspatronatus possit, & valeat sine aliquo impedimento, & contradictione aliqua eligere quemcumque alium Sacerdotem, Diaconum, & Subdiaconum, & eum qui sibi placuerit, & videbitur". Hanc sane legem qu. Canonicus D. Franciscus de Crudis juripatronatus laicali ab ipsomet fundato dixit, præscripsitque videlicet, ut unus tantum de familia propinquiori de Crudis juspatronatus, bonaque ipsi addicta, atque pro dote ejusdem constituta potiretur; & ita profecto deinceps res se habuit, & unus Sacerdos tantum de familia recta

recta dicti Petri Natalis de Crudis, Fundatoris germani fratris, juspatronatus passivum consecutus est ad qu. Rev. D. Franciscum Antonium de Crudis usque; nam linea præfati Francisci ipsiusmet Fundatoris fratris germani etiam in limine fundationis contemplata, & vocata, ultra supradictum Subdiaconum Joannem de Crudis peculiariter vocatum, progressum aliquem sortita non fuit, & cum eodem Joanne finibus sese circumscripsit. Linea vero præfati Petri Natalis unica semper extitit ad Vitum Antonium de Crudis usque, ex quo tres progeniti fuere filii, Joseph nempe, Rev. D. Franciscus Antonius, qui Capellaniam jurispatronatus prædicti obtinuit, & Franciscus Paulus de Crudis. Ex isto porro procreati sunt Joseph, Rev. D. Franciscus Antonius junior, & Vitus Cosma. Ex modo dicto Josepho autem ortus fuit Vitus Antonius, & ex eodemmet Vito Antonio natus est Rev. D. Joseph, itaut ex dicto Vito Antonio seniore progressæ sunt duæ lineæ, una scilicet prædicti Josephi, altera præfati Francisci Pauli. D. Franciscus Antonius senior ultimus Capellanus diem extremum morte confecit anno 1777., ex quo tempore concertatio orta est inter Rev. D. Franciscum Antonium juniorem, & Rev. D. Josephum, quorum porro unusquisque pro se Capellaniam patronatam, fructusque bonorum ipsi addictorum in S. R. C. expetivit. Lis enim isthæc causæ cognitioni terminoque ordinario submissa fuit, fructusque omnes sequestro positi fuere, ne absumerentur, & obligurirentur; decretumque pariter fuit, sacra per Fundatorem præscripta per Sacerdotem probiorem, nomine S.R.C. electum, explenda fore, donec sententia dicta fuisset.

Inter contendentes profecto non inficiatur ipsos esse per rectam lineam masculinam descendentes a Petro Natale de Crudis Fundatoris germano fratre; obsistit nihilosecius Rev. D Joseph Rev. D. Francisco Antonio juniori, quod tametsi Fundator vocasset ad consecutionem Capellaniæ descendentem ex linea propinquiori, ipse quidem D. Jo-

D. Joseph est de linea propinquiori sive ipsiusmet Fundatoris, sive modo dicti Petri Natalis sui majoris, seu ascendentis; una namque, ipse ait, hodie superstes est linea, & illa eadem quæ originem ducit trahitque a prædicto Petro Natale Fundatoris germano fratre; eapropter ad ipsum Cappellaniam, fructusque bonorum pro dote ejusdem constitutorum pertinere.

Objicit insuper Rev. D. Joseph, ex supradicto Vito Antonio de Crudis seniore prognatos fuisse tres filios, nempe Rev. D. Franeiscum Antonium seniorem Capellanum olim ejusdemmet Capellaniæ, Joseph suum avum, & Franeiscum Paulum patrem Rev. D. Francisei Antonii junioris collitigantis. At ipse D. Joseph est heres universalis modo dicti D. Francisci Antonii senioris sui patrui magni, idcirco diviso jam jurepatronatus in tres æquales partes inter filios supradicti Viti Antonii senioris, nempe inter dictum Rev. D. Franciscum Antonium seniorem, Josephum seniorem avum suum, & Franciscum Paulum patrem Rev. D. Francisci Antonii junioris ex adverso collitigatoris; duas idcirco ex tribus partibus jurispatronatus ad se spectare ipse ait, unam nempe ex persona sui patris, alteram vero tamquam universalis heres D. Francisci Antonii senioris; proptereaque ad se ipsum uti habentem duas ex tribus partibus jurispatronatus supradicti, Capellaniam esse addicendam.

Hisce profecto assertionibus reponit D. Franciscus Antonius, Fundatorem jurispatronatus, vocando ad assecutionem Capellaniæ ab se statutæ descendentes ex linea propinquiori, voluisse in concursu descendentium ex Petro Natali, qui caput & origo erat unius lineæ, & descendentium Francisci, ex quo progredi putabat altera linea, eum præferendum fore, qui descenderet ex linea propinquiori sibimet Fundatori, itaut in posterum, in concursu duorum descendentium ex dictis lineis, ne Capellania divideretur, sed unus tantum, ut enixe voluit præscri-

scripsitque, illam assequeretur expleretque, illum præferendum esse mandavit, qui ex linea propinquiori ex duabus istis lineis ortum duxisset; sic parili modo in concursu duorum descendentium ab una ex dictis duabus lineis, ne inter ipsos Capellania partiretur, a quo Fundator abhorruit, illum præferendum voluisse jure merito censendum est, qui sibi propinquior, & gradu proximior fuisset; respexisse porro Fundatorem ad gradus proximitatem inficiari nemo potis erit, ni cæcutire suapte sponte voluerit. Cum igitur ipse D. Franciscus Antonius sit ex eadem linea descendens, sitque gradu proximior, sive propinquior Fundatori (quod non abnuit ipse idem D. Joseph) ad se propterea Capellaniam spectare inficias nullus ire potest, nec debet. Neque jus suum facessit, prosequitur Rev. D. Franciscus Antonius, hereditaria qualitas Rev. D. Francisci Antonii senioris Capellani quondam ejusdem Capellaniæ (de quo porro hereditario jure quam maxime jactitat Rev. D. Joseph) nam missam habens ipse D. Franciscus Antonius junior concertationem, quam jurispatronatus scriptores exagitant, num videlicet in jurepatronatus familiari diviso in plures lineas, finita una ex hisce lineis, evadat portio istius lineæ extinctæ hereditaria penes ultimum de hac linea, itaut hic ultimus instituendo aliquem ex asse, in ipsiusmet heredem transeat portio isthæc jurispatronatus; vel potius talis portio accrescat aliis lineis; de qua disceptatione adeundi sunt *Lotterius de re beneficiaria lib.* 2. *cap.* 11., *Card. de Luca disc.* 35. *de jurepatr.*, & nuperrimus scriptor *Franciscus Maria Pitonius de controversiis Patronorum lib.* 2. *allegat.* 76. *n.* 10., *& disceptat. Ecclesiast.* 33. *n.* 1. Seposita modo prædicta concertatione, de qua hic nunc disserere extra aleam est, solum inquirendum videtur, quid per Fundatorem statutum sit. Hic porro neglecto, atque posthabito jurepatronatus activo, totus in jurepatronatus passivo fuit, in hoc solum enixe incubuit, & quasi gerendo semetipsum pro Patrono præsen-

ſentante in omnibus futuris Capellaniæ vacationibus, legem poſuit, indixitque modum ſuccedendi in ea, præſcripſitque, quiſnam in omnem ævum illam conſequi potis eſſet; quamobrem duo ſemper firmo talo ſtare mandavit, unum nempe ne Capellania divideretur, ſed unus tantum illam expleret; alterum ſane ut de propinquiori linea, ſeu (quod idem eſſe paulo ante demonſtratum eſt) de gradu proximiori is eſſet, qui Capellaniam conſequi deberet, ut ex verbis Fundatoris in anteceſſum exſcriptis luculenter comperitur. Cum igitur hæc duo præſtent in ipſomet Rev. D. Franciſco Antonio juniori; ſibi eaproptet Capellaniam, fructuſque bonorum omnium pro dote ejuſdem exiſtentium addicendos eſſe inſtat. Verum enimvero S.R.C. ſedulo ſerioque perpenſis rationibus per utramque partem adductis allegatiſque, Capellaniam, fructuſque omnes ipſi adſcriptos addicendos eſſe cenſuit Rev. D. Franciſco Antonio de Crudis juniori, utpote qui potiora jura in conſecutione eorumdem habet; comiranrur quippe eidem fundationis leges, quæ cum juris publici ſint, ut viri eruditi tradunt, neque a Summa Poteſtate, abſque juſta & legitima cauſa, derogari queunt.

Quaranta Act. Mag. -- Santoñicandro Scriba.

In cauſa Ven. Monaſterii S. Mariæ de Monte Carmelo Terræ Cervinariæ cum fratribus de Pagnozzi. Die 6. Novembris 1781.

Referente Regio Conſil. Malena,

S.R.C. pronunciavit: *Fratres de Pagnozzi, nempe Rev. D. Nicolaum, Notarium Franciſcum, Julium, & Andream condemnandos eſſe ad relaxandum in beneficium Ven. Monaſterii de Monte Carmelo Terræ Cervinariæ territorium ſitum in pertinentiis dictæ Terræ in loco dicto* lo Pantano *modii unius circiter, deſcriptum in inſtrumento diei 27. menſis Maji anni 1757., una cum fructibus, pro quantitate, & tempore liquidandis; pro quorum liquidatione in* Ex permutatis prædiis uno evicto, poteſt qui evictionem paſſus fuit, prædii, quod dedit, reſtitutionem petere.

 biduo

biduo audiantur partes; qui terminus currat etiam respectu meliorationum prætensarum per dictos de Pagnozzi. Respectu vero judicii moti per qu. Rev. D. Nicolaum Pagnozzi contra conjuges Catharinam Verruso, & Crescentium de Onofrio, notificatis dictis conjugibus, providebitur. Nil pro expensis.

Ratio decisionis eruitur ex *L. 1. C. de rer. permut.*; qua aperte statuitur, facta rerum permutatione, quoties altera ex permutatis rebus evincatur, eum qui evictionem passus est, posse quod datum est, si hoc elegerit, cum ratione restitui, postulare: Neque huic legis dispositioni *L. 29. C. de evict.* adversatur; licet enim ibi id quod interest repeti posse ab eo, qui evictionem substinuit, dicatur; nihilo tamen minus ubi de eo, quod interest lex loquitur, rei restitutionem comprehendit, ut ad has leges clarissimi Juris interpretes Peretius, & Cujacius rectissime monent; quibus addendum est, evictionem, de qua agitur, ex causa dominii evenire, quadere imperfecta fuit permutatio; namque cum fratres de Pagnozzi alienam rem dedissent, perinde est ac si nihil dedissent, quia rem alienam dantes nullam contrahere possunt permutationem. Hæc omnia ex ejusdem contractus pacto confirmantur; namque cum contractus assensu indigeret, quo illi robur, ac firmitatem adderet, assensus his verbis conceptus fuit, ut nimirum regressus daretur ad primæva jura casu molestiæ, tam in possessorio, quam in petitorio.

Dott. Euphebius Girardi Act. Mag. — Cajetanus de Vivo Scriba.

In causa jurispatronatus activi, & passivi erecti a Reverendiss. Episcopo D. Fabritio Sirleto. Die 9. mensis Januarii 1781.

Referente Reg. Cons. Ill. Marchione D. Xaveris Danza.

Cum concurrunt plures uno eodemque tempore in æquali gradu, præfertur

Per M. C. V. die 2. Decembris anni 1776. fuit decretum: *Juspatronatus activum, & passivum erectum a qu. Reverendiss. Episcopo D. Fabritio Sirleto in Ecclesia S. Mariæ ad*

ad Nives, & S. Caroli Borromæi Terræ Guardavallis pertinere ad Carolum Sirleto, ac proinde primam, sive majorem Cappellaniam erectam a dicto qu. Rev. Episcopo spectare ad Dominicum Sirleto filium primogenitum dicti Caroli. Ratio hujus decisionis eliciebatur ex instrumento fundationis, ex quo cavetur, qu. Rev. Episcopum D. Fabritium Sirleto anno 1629. erexisse Ecclesiam in Terra Guardavallis sub titulo S. Mariæ ad Nives, & S. Caroli Borromei, cui donavit quamplurima bona stabilia, & mandavit eamdem regi debere a quatuor Cappellanis eligendis. Jussit insuper, dictam Ecclesiam remanere debere in ejus, & suæ familiæ patronatu, cum potestate eligendi, ac nominandi dictos Cappellanos, qui fuissent ex sua familia Sirletorum, descendentes ex linea qu. Matthæi Sirleto ejus patris, & habere debuissent voces activas, & passivas, & præferrentur semper omnibus in præsentare, & præsentari tam linea masculina, quam fœminina, scilicet qu. Joannis Pauli, Clementinæ, Juliæ, & Thomæ Sirleto filiorum, & filiarum dicti qu. Matthæi in perpetuum, & in infinitum. Quoad vero descendentes ex linea qu. Matthæi præscripsit, nullam haberi rationem lineæ rectæ, vel indirectæ, legitimæ & naturalis, vel naturalis tantum, sed omnes quoad hoc æqualiter tractari debuissent; itaut si uno eodemque tempore plures in æquali gradu concurrerent, ille præferri debuisset, qui in præsentare, & præsentari dignior fuisset. Et denique mandavit, ex dictis quatuor Cappellanis unum esse priorem, qui propinquior fuisset dicto D. Fabritio, & ad eum medietas introituum dictæ Ecclesiæ spectasset.

Qui in *præsentando*, & *præsentari* dignior est. Verum dignitas in *præsentando*, & *præsentari* non attenditur, sed proximitas lineæ, etiamsi naturalis tantum, quæ indistincte a fundatore cum linea legitima & naturali fuerit vocata; cum non concurrant plures in æquali gradu sistentes uno eodemque tempore.

Ex actis insuper habetur, ex dicto qu. D. Fabritio natum fuisse qu. Jacobum Sirleto, uti eruitur ex familiæ arbore a partibus contendentibus non controversa, & ex earundem confessione. Constat pariter ex eadem arbore, a dicto qu. Jacobo ortum fuisse qu. Joannem Paulum Sirleto, qui procreavit Dominicum Sirleto. In comperto est deni-

denique, ex dicto qu. Dominico Sirleto natum fuisse Carolum Sirleto ejus filium naturalem, qui nunc agit ad dictum patronatum consequendum.

Ex actis etiam elicitur dictos de Sirleto per quamplurimos annos exercuisse prædictum jusPatronatus, scilicet ab anno 1686. usque ad annum 1739.; & dictum Carolum esse propinquiorem conjunctum dicto qu. Episcopo D. Fabritio fundatori, quia in quarto gradu sistentem: & econtra alios prætendentes esse in gradu remotiores. Ideo M. C. decrevit, ad eundem spectare dictum jusPatronatus activum, & passivum, majoremque Cappellaniam pertinere ad Dominicum ejus filium, uti propinquiorem Fundatori, servata forma dicti instrumenti fundationis, vigore textus in *Auth. de nuptiis §. disponat*.

Non obstat quod asseritur pro parte D. Marcelli Bono, nempe quod ipse præferri debuisset, quia dignior in præsentare, & præsentari, uti descendens ex linea legitima & naturali a qu. Matthæo Sirleto; & ex adverso dictus de Sirleto sit descendens ex linea sacrilega Fundatoris, ac Portia Lentini sit descendens ex linea naturali ejusdem Fundatoris. Nam præterquamquod Fundator dicti jurisPatronatus vocavit indistincte lineam legitimam & naturalem, ac naturalem tantum; attamen præscripsit, præferri debere digniorem in præsentare, & præsentari, quoties concurrerent plures uno eodemque tempore in æquali gradu sistentes. At quia præsenti casu concurrit dictus de Sirleto in gradu proximior, & concurrunt prædicti de Bono, Lentini, Dominicus Faleoniero, Nicolaus, & Matthæus Portaro in gradu remotiores; ideo attendi nequit dignitas in præsentando, & præsentari, sed proximitas lineæ, etiamsi naturalis tantum, quæ indistincte a Fundatore cum linea legitima & naturali vocata fuit.

Non officit pariter opponere, prædictum Carolum Sirleto descendentem esse ex linea sacrilega Fundatoris, quia filium Dominici, filii Joannis Pauli, filii Jacobi, qui fuit filius

filius sacrilegus dicti qu. Episcopi D. Fabritii, uti a dicto de Bono asseritur. Nam ante omnia idem de Bono probare debebat hanc exceptionem vigore textus in *L.* 1. *C. de probat.*, quod ex eo quia non egit, ideo in dubio judicandum est pro filiatione; nam præsumi debet, dictum qu. Jacobum fuisse filium naturalem Fundatoris, quia procreatum ante ejus ascensum ad Sacerdotium: eo magis, quia ipse Fundator vocavit etiam naturales, nam aliter dispositio frustranea fuisset.

Sed per hypothesim posito, & non concesso, dictum qu. Jacobum Sirleto fuisse filium sacrilegum qu. Episcopi D. Fabricii; nec hoc quidem Carolo Sirleto præsenti actori officere potest. Nam inter alias lineas vocatas a Fundatore fuit illa Juliæ Sirleto, quæ nuptui se tradidit Consalvo Rizzica, ex quo matrimonio orta fuit Clementina Rizzica, quæ in matrimonium se junxit cum dicto Jacobo Sirleto, prævia dispensatione ob sanguinis conjunctionem. Qua de re etsi dictus qu. Jacobus Sirleto fuisset filius sacrilegus Fundatoris, attamen ob matrimonium ab eo contractum cum dicta de Rizzica vocata etiam ad prædictum juspatronatus, quia filia dictæ Juliæ Sirleto, descendentes ab eo dici nequeunt descendentes a linea sacrilega, sed a linea dictæ qu. Juliæ Sirleto etiam vocata, ut ex instrumento fundationis videre est.

Nec obstat denique opponere, Carolum Sirleto esse filium vulgo quæsitum qu. Dominici Sirleto, & non naturalem; nam contrarium eruitur ex instrumento, ex quo habetur, dictum qu. Dominicum declarasse prædictum Carolum esse ejus filium naturalem: eo magis quia idem liquet ex documentis exhibitis, scilicet ex testamento qu. D. Helenæ Sirleto, quæ declaravit dictum Carolum esse ejus nepotem, quia filium naturalem prædicti qu. Dominici ejus fratris, ac ex testamento qu. D. Josephi de Aragona de Ajerbis, in quo etiam dictus Carolus transcriptus reperitur uti filius naturalis dicti qu. Dominici. Qua de re omni-

omnibus oppositis per adversarios minime obstantibus; M. C. censuit declarare, ad dictum Carolum spectare juspatronatus activum, & passivum, & ad Dominicum ejus filium majorem Cappellaniam pertinere, rationibus desuper expressis.

Ex hoc M. C. V. decreto proposita in S. R. C. appellatione, ac actis rite congestis atque conclusis, S. R. C. declaravit: *Bene fuisse judicatum per M. C. in ejus decreto diei 2. Decembris anni* 1776., *& male ab eo appellatum per magn. D. Marcellum Bono, ac D. Portiam, & D. Catharinam Lentini, necnon D. Theresiam de Martinis, ac Rev. D. Franciscum Carolum Lentini.*

Verum pro observantia voluntatis qu. Rev. Episcopi Squillacensis D. Fabritii Sirleto, idem S. C. declaravit, activum Juspatronatus in actis deductum in præsentibus, ac futuris vacationibus spectare, ac spectavisse tam magn. Carolo Sirleto, uti descendenti a qu. Jacobo Sirleto, quam prædicto D. Marcello Bono tamquam descendenti a qu. Clementina Sirleto, ac etiam prædictis Lentini descendentibus ex qu. Francisca Sirleto, eorumque respective descendentibus, in omnibus servata forma instrumenti fundationis; Juspatronatus vero passivum in præsentibus, & futuris vacationibus pertinere proximioribus prædicto qu. Rev. Episcopo Squillacensi; Ac proinde primam Cappellaniam deberi Clerico Dominico Sirleto filio supradicti Caroli, alteramque ex tribus inferioribus Cappellaniis in præsentiarum vacantem alteri pertinere etiam proximiori præfato qu. Rev. Episcopo, nominando per supradictos Sirleto, Bono, & Lentini.

Quæ M. C. judicaverat, S. C. probare censuit. Jus vero activum, atque passivum omnibus decrevit, quibus illud Fundator reliquerat, verba instrumenti fundationis attendendo, ubi voluit, quod *nominandi, & eligendi, & qui possint eligere, & nominare, sint ex prædicta sua familia Sirletorum, descendentes ex linea qu. Matthæi Sirleto*

leto ejus Ill. Domini Patris, & habeat voces activas, & passivas, & semper præferantur omnibus in præsentare, & præsentari, tam linea masculina, quam fœminina, id est qu. Joannis Pauli Sirleto ipsius Ill. Domini fratris (a quo ex Francisca ejus filia descendentes erant D. Portia, & D. Catharina Lentini, atque D. Theresia de Martinis, & Rev. D. Franciscus Carolus Lentini), *Clementinæ* (a qua D. Marcellus Bono descendebat), *Juliæ, & qu. Thomæ Sirleto patris Domini Abbatis Scipionis Sirleto* (quorum lineæ extinctæ erant), *filiorum, ac filiarum prædicti D. Matthæi Sirleto de Guardavalle, & Riace in perpetuum, & in infinitum.*

Inter vocatos vero, quoad passivum juspatronatus, proximioritatem Fundatori servari jussit ex sequentibus etiam fundationis verbis: *Ex quibus Cappellanis quatuor nominandis, & qui nominari debent ipsorum unus propinquior in gradu ipsius Ill. Domini dicatur primus, sive major, & prædictorum introituum dictæ Ecclesiæ habeat in ejus beneficium medietatem. Et alii tres Cappellani aliam medietatem, & dicantur inferiores. Et sic casu prædicto voluit observari in perpetuum, & in infinitum.*

Tribuit denique in præsentibus vacationibus Dominico Sirleto jura proximitatis, cum ex tabula genealogica omnium contendentium de majori ejus proximitate constaret.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag. -- Laurentius Pagano Scriba.

In causa vertente inter Rev. D. Balthazarem, aliosque de Giliberti, & Patrimonium de Trentenaro, ejusque tertios possessores. Die 10. *Martii* 1781.

Referente Reg. Consil. Ill. Marchione D. Josepho Mauri.

Per S. R. C. fuit declaratum, *fore, & esse præstandam assistentiam petitam per enunciatos fratres de Giliberti, tanquam heredes dicti qu. Consiliarii D. Petri Fusco super ruribus in actis deductis, cum facultate vendendi, & adjudi-*

Res litigiosa lite pendente, vel contestata, alienata a manu cujusvis possessoris evincitur.

judicandi, in beneficium eorumdem de Giliberti, tam pro dictis quantitatibus capitalis, in unum ducatorum 1700., *& respectivis tertiis a capitalibus prædictis decursis, & acclaratis in præcitata discussione, & graduatione Creditorum Patrimonii olim Philippi Trentenaro, deductis quantitatibus in computum forsan solutis, pro quibus tertiis fiat calculus per Scribam causæ, ad finem &c. Necnon respectu prætensi interesse exinde decursi a die deductionis Patrimonii prædicti, usque ad integralem satisfactionem pro quantitate, & tempore liquidandi, in biduo audiantur Partes. Et ad hujusmodi effectum fore, & esse condemnandos præfatum Ill. Principem Arecii D.Franciscum Dentice, ac dictos Josephum, & Rochum Panariello, & pariter enunciatum Ven. Monasterium S. Severi majoris ad relaxandum respective prædia, quæ singulis pervenere a dicto Patrimonio qu. Philippi Trentenaro, & hactenus per eosdem possessa. Salva provisione facienda super petitis pro parte Ill. Principis Arecii D. Francisci Dentice in ejus supplicatione, exhibito instrumento in eodem supplici libello enunciato. Neutram Partem in expensis.*

Est enim jam actis prolatum, in præcitatis instrumentis censum bullarium, fuisse prædia prædicta de bonis, & in bonis dicti qu. D. Philippi Trentenaro, & ab eodem specifice hypotheccata dicto Regio Consiliario D.Petro Fusco, cujus heredes sunt prædicti de Giliberti. Hinc ex vulgatis juribus, præsertim ex *LL.* 14. 15. *&* 16. *C. de pignor. & hypoth.* potestas fieri oportuit creditori, sive ejus heredibus persequendi ejusmodi bona hypotheccata, atque ex *Pragm.* 1. *de adsist. Judicum*, erat decernendum concurrentibus legitimis requisitis adsistentiam omnino præstandam fore, atque eisdem præstare directo contra ejusmodi possessores. Ad hæc accedit alia ratio decidendi, attento vitio litigii, quo prædia enunciata per quamplurimos actus judiciales videbantur affecta, ut ex notissimis juribus *Nov.* 112. & *Cap. Conventus de litigiosis* cavetur.

San-

Sancitum fuit in illis quippe: *Rem litigiosam, lite pendente, vel ea contestata, alienata a manu cujusvis possessoris evinci; & si per multas manus possessio ambulaverit, exequutio fiat contra possessorem, apud quem res alienata, vel possessio inveniretur manere.*

Doct. Euphebius Girardi Act. Mag. -- Leonardus de Milo Scriba.

In causa inter magn. Baronissam D. Fortunatam Lombardo, & D. Mariam Catharinam de Franchis, ex una, & Universitatem, ac Conservatorium SS. Trinitatis Turris Octavæ ex altera, super spectantia bonorum qu. Rev. D. Francisci Rajola. Die 31. Martii 1781.

Referente Regio Consil. D. Petro Patrizio.

Insurgere adversus testamentum non licet heredi, qui ex testamento hereditatem agnovit.

S. R. C. decrevit: *Non esse locum petitis quoad prætensam nullitatem, ac invaliditatem testamenti qu. Rev. D. Francisci Rajola, & quoad etiam deductionem medietatis bonorum antiquorum, quæ remansere in hereditate dicti qu. Rev. D. Francisci pro parte tam qu. Baronis D. Leonardi Rajola, quam magn. Baronissæ D. Fortunatæ Lombardo olim ejus uxoris, quam etiam D. Mariæ Catharinæ de Franchis: ac proinde testamentum qu. Rev. D. Francisci Rajola esse executioni mandandum.* Etenim adversus testamentum insurgere ipsi heredi, qui ex testamento hereditatem agnovit, vel ejus heredibus non esse permittendum S. C. censuit, quia heres adeundo quasi ex contractu obligatus est iis, quorum interest testamentum valere, *arg. §. heres 5. Instit. de obligat. quæ quasi ex contr., & arg. L. non dubium 16. §. 1. C. de test. & L. 2. C. de fideic.* Præterea legata, & fideicommissa eo testamento relicta deberi existimatum est, licet proponat ea facta fuisse de rebus heredis. Exploratissimi enim juris est, hujusmodi legata, vel fideicommissa valere, etiamsi testator existimaverit res suas legare, *§. 4. Inst. de legat. & L. unum 67. §. si rem 8. ff. de legat. 2.*

Michael Priscolus Act. Mag. -- Bernardus Priscolus Scriba.

In causa fundationis Cappellaniæ erectæ a Rev. D. Bernardo, Joanne, & Cyriaco Penta. Die 18. Junii 1781.

Referente Regio Consil. Ill. Marchione D. Josepho Mauri.

Cum nulla ambiguitas in verbis est, non debet admitti voluntatis quæstio.

S. R. C. declaravit: ***Stante obitu Cyriaci Penta novissimi possessoris præcitatæ Cappellaniæ, eamdem una cum fructibus, a die obitus præfati Cyriaci spectavisse, & spectare Michaeli Penta filio legitimo & naturali Angeli Penta, filii prædicti qu. Joannis, unius ex fundatoribus.***

Constat enim ex probationibus in termino compilato productis, præfatum Michaelem filium Angeli esse natu majorem respectu alterius ejusdem nominis Michaelis Penta, filii Antonii; adeoque ex clara fundatorum voluntate, absque dubio præferendum. His nempe conceptis verbis Fundatores eorum voluntatem in limine fundationis declarant: ***Che nelle concorrenze di più Laici, sia preferito colui, che sarà di maggiore età, abile, ed idoneo ad ottenerlo.*** Hæc verba fundatorum, cum nullam ambiguitatem contineant, minime patiuntur aliquam de voluntate quæstionem. Docet quippe *Paulus* in *L. ille aut ille §.1. ff. de legat. 3.* ***Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio.*** Cui adstipulatur textus in *L. 7. in fin. ff. de supellect. leg.*

U.J.D. Joannes Maria Graziano Act.Mag. -- Ægidius Maglietta Scriba.

In causa inter Franciscum Vacca, ac Cajetanum Magro, & Ill. Ducem Turris D. Ascanium Filomarino. Die 28. Martii 1781.

Referente Regio Consiliario D. Petro Patritio.

Legatario in bona testatoris actio competit, sed expectandum prius, ut ad liquidum perducatur, quænam & quanta sint bona libera te-

S. R. C. pronuntiavit: ***Deberi Francisco Vacca, ac pro eo Cajetano Magro, super bonis liberis hereditatis qu. Ill. Ducis Turris D. Ascanii Filomarino nedum ducatos 197. & asses 44. contentos in apochis exhibitis, verum etiam menstruos carolenos 30. legatos a prædicto Ill. Duce in bene-***

beneficium dicti Francisci Vacca, ac debitos a die mortis qu. Ill. Ducis Ascanii vita durante ejusdem Francisci, calculandos per Scribam causæ, partibus requisitis, & pro liquidatione dictorum bonorum nedum procedatur ad discussionem relationis confectæ a qu. Scriba Perrey; verum etiam fiat partibus requisitis relatio per Scribam causæ omnium hinc inde noviter deductorum post prædictam relationem Scribæ Perrey; Salva provisione facienda pro litis expensis viso exitu liquidationis dictorum bonorum.

statoris, ex quibus ei satisfaciendum sit.

Quum constet ex chirographis legitimo modo comprobatis de credito Francisci Vacca, ambigi nequit ex debitoris bonis ei satisfieri debere, *L.* 1. *& seq. C. si cert. pet.* Præterea compertum est, legatario in bona testatoris hereditaria actionem competere, *L.* 1. *C. comm. de leg.* §. 2. *Inst. de leg.* Verum creditor, idemque legatarius expectare debet, ut ad liquidum perducatur, quænam & quanta sint bona libera debitoris, & testatoris, ex quibus ei satisfaciendum est.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act.Mag. Vincentius Maria Dattilo Scriba.

In causa inter magn. D. Antonium Bottini, & Rev. Archipresbyterum Casalis Bonæ D. Antonium Jannarelli. Die 4. Aprilis 1781.

Referente Reg. Cons. D. Basilio Palmieri,

S. R. C. decrevit: *D. Antonium Bottini juniorem heredem de familia qu. Rev. D. Antonii Bottini senioris, & cessionarium ceterorum de familia Bottini esse redintegrandum in jure patronatus Altaris, seu Cappellæ Beatissimæ Virginis Deiparæ Mariæ sine labe conceptæ, seu SS. Conceptionis, inque juribus omnibus prædicto juri patronatus in limine præfatæ fundationis additis, descriptisque, cum onere tamen redotandi Cappellam prædictam in annuis ducatis quindecim, videlicet in annuis ducatis quatuor pro manutenendo, seu præstando Cappellam sartam tectam, & necessariis sacris supellectilibus ornatam, instructamque, & in*

Juspatronatus acquiritur fundatione, dotatione, atque constructione.

in aliis ducatis undecim pro Sacris, seu Missis celebrandis, explendisque, una nempe in qualibet hebdomada, in omnibus servata forma praescripta in limine dictae fundationis; pro cujus effectu teneatur idem D. Antonius adsignare dictos annuos ducatos 15. super redditibus, & fructibus alicujus fundi, quibus & Sacra celebrari, & munitum Altare esse in posterum valeant. Neutram partem in expensis.

S. R. C. porro duxit ad exaratam sententiam proferendam, dicendamque ex ipsiusmet Canonici juris regulis, atque definitionibus: etenim nemo est, qui dubitet juspatronatus acquiri fundatione, dotatione, atque constructione, ita equidem sancientibus *Pelagio II.* in *Can. Abbatem IV. caus.* 18. *qu.* 2., & *Clemente III.* (sive potius sit *Caelestinus III.*) in *Cap. Nobis de jurepatr.*, qui in eamdem abiit sententiam. Constrúxit profecto qu. Rev. D. Antonius Bottini, dotavitque Altare, seu Cappellam supradictam SS. Conceptionis, approbante, atque confirmante Beneventano Metropolita, ut ex sententia in modo dictis monumentis contenta liquido visitur. Juspatronatus igitur ita firmiter acquisitum a nemine auferri licet a dominio Fundatoris, ejusque heredum, & successorum, ita sane edixit Concilium Romanum anni 826. *Can.* 21. *apud Labbaeum tom.* 9. *Concilior.* cujus Concilii verba, licet non integra, exscribuntur a *Gratiano* in *Can. Monasterium caus.* 16. *qu.* 7., eaque sunt: *Monasterium, vel Oratorium canonice constructum a dominio Constructoris, eo invito, non auferatur.* Canonice porro supradictum Altare fuit constructum; optimoque igitur atque legitimo modo, Metropolita assentiente, adquisitum fuit juspatronatus; auferendum propterea nequaquam erat a dominio Fundatoris, eo invito.

Non facessit quidem hoc actoris assertio, quae legitur in decreto Visitationis anni 1722., quo nempe declaratum fuit devolutum Altare, ex quo familia Bottini non curavit adsignare dotem annuorum ducatorum quatuor pro manuten-

nutentione ejusdem; siquidem tam ex fundationis tabulis, quam ex omnibus Visitationibus per eumdem Beneventanum Archiepiscopum peractis ad annum 1720. usque luculenter comperitur, territorium redditus annuorum ducatorum quindecim adsignatum jampridem fuisse; nec propterea auferendum erat Altare, ejusque juspatronatus, prorsus inauditis iis de familia Bottini, & juris ordine non servato, ut statuitur in *Can. Si tantum*, & *Can. Placuit cauf. 6. qu. 2.*, ex quibus apposite infert doctissimus *Espenius*, post *Zipaum*, in tractatu *de recursu ad Principem cap. 2. §. 9.* non esse credendum Judici sic asserenti sine actis; quodque communis omnium Jurisperitorum, Pragmaticorumque fert sententia. Actionem de spolio insuper merito quis edere potest contra Judicem ita procedentem, ut rescripsit *Alexander III.* in *Cap. 7. de restitut. spoliat.* His igitur S. R. C. sedulo perpensis, in supra exscriptam sententiam proferendam jure devenit.

Joannes Maria Graziano Act. Mag. — Petrus Majorus Scriba.

In causa inter magn. D. Agnetem, & D. Elisabeth sorores de Attanasio, & magn. D. Angelum d'Acunzo. Die 20. Aprilis 1781.

Referente Regio Consil. Consultore D. Deodato Targiani.

S. R. C. pronuntiavit: *Condemnandum esse magn. D. Angelum Acunzo ad depositandum in publico Banco ducatos 200. pro illis liberandis in beneficium magn. Agnetis, & Elisabeth Attanasio, juxta ordines oretenus communicatos Domino causæ Commissario.*

Quæ conditiones in testamento pro non scriptis habentur.

Legatum satisfieri oportet, etiamsi neptes non nupserint, aut Monasterium ingredi voluerint. Favor enim libertatis sæpe benigniores sententias exprimit. *L. 32. in fin. ff. ad L. Falcid.* Cui rei addas licet, quod testator neptum necessitatibus providere voluit, nec legato modum, aut conditionem præscripsit. Si tamen velis præscripsisse, cum nemo cogatur nubere, aut Monasterium ingredi, objici-

jicitur *L.* 14. *ff. de condit. instit.*, ubi habetur, conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quæ legis vicem obtinent scriptæ, vel quæ contra bonos mores, vel derisoriæ sunt, aut hujusmodi, quas Prætores improbaverunt, pro non scriptis habentur, & perinde ac si conditio hereditati, sive legato adjecta non esset, capitur hereditas, legatumve.

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. -- Carolus Daniele Scriba.

In causa inter magn. Antonium, Januarium, & Joannem Cerulli, & Rev. D. Balthaxarem Lupo. Die 20. Aprilis 1781.

Referente Regio Consil. Consultore D. Dominico Potenza.

Donatio causa mortis, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est, quam mortis causa donatio, & ideo perinde haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio.

S. R. C. pronuntiavit: *Bene fuisse, & esse judicatum per M. C. V. decreto diei* 20. *Aprilis* 1779., *& male appellatum pro parte D. Balthaxaris Lupo. Ac proinde exequatur dictum decretum, oppositis, & deductis tam per dictum Lupo, quam etiam pro parte Annæ Garofalo non obstantibus.*

Quamvis enim Antonia Pascucci donavisset causa mortis Angelo Cerullo vineam in actis deductam, attamen irrevocabiliter donavit, expressa etiam causa remunerationis. Ubi vero ita donatur mortis causa, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est, quam mortis causa donatio; & ideo perinde haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio. *L. ubi* 27. *ff. de mort. causa donat.* Donationes autem inter vivos quinque testium præsentiam non requirunt, sed validæ sunt, si forte per Tabellionem, vel per alium scribantur, & sine testium subnotatione, si modo ipse donator, vel alius voluntatem ejus secundum solitam observationem subscripserit. *L. in donationibus* 31. *C. de donat.*

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. -- Franciscus Daniele Scriba.

In

In causa inter Universitatem Terræ Corleti Perticariæ Lucaniæ Provinciæ, ac Ven. Monasterium RR. PP. Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis sub titulo S. Mariæ Hierusalem supra Capuam. Die 9. Februarii 1780.

Locatio quantivis temporis non est modus transferendi dominii, quod semper apud locatorem remanet, & conductor tantum rem detinere, ac in ejus possessione esse dicitur.

Præscriptio etiam millenaria, dum de temporario titulo constet, cadit.

UNiversitas Terræ Corleti petiit, Monasterium S. Mariæ Hierusalem condemnari ad relaxandum in sui beneficium defensam *Barunculo* nuncupatam, ac nemus dictum *Cerreto*, una cum fructibus a die injustæ detentionis, ipsamque ab omni molestia liberari, penitusve absolvi, quoad ducatorum 10000. prætensa credita omnino insubsistentia, utpote non solum illegitima, verum etiam non vera, idealia, & falsa; quorum tamen obtentu anno 1593. apparenti temporariæ locationis titulo, defensa, ac nemore spoliata fuerat ab Ill. Magdalunensium Ducissa D. Roberta Carafa, Terræ pariter Corleti tunc temporis utili Domina. Monasterium econtra exceptionem opposuit suæ vetustissimæ possessionis justo titulo, & consequenter præscriptionis: confessum tamen fuit suæ possessionis initium ab Ill. Magdalunensium Ducissa donationis, cessionisve defensæ, ac nemoris titulo peractarum publico albarano diei 28. Septembris anni 1593. post contractum inter ipsam, ac Universitatem jam initum: qua de re ex donatricis juribus vel absolvi ab impetitis, vel saltem titulo instrumentariorum credituum ducat. 10000. una cum annualitatibus, petiit: quamquam postremo, dum erat causa decidenda, suam confessionem revocare, tantumque se possessione, ac præscriptione tueri, vel saltem creditum in summa ducatorum 7000. una cum annualitatibus, prætendisset, interimque pendente illorum satisfactione, in corporum possessione manuteneri.

Referente igitur Regio Consil. Ill. Marchione D. Josepho Mauri,
S. R. C. pronunciavit: *Ven. Monasterium RR. PP. Servitarum Hierusalem S. Mariæ supra Capuam condemnandum esse ad relaxandum defensam nuncupatam* Barunculo, *& ne-*

& nemus nuncupatum Cerreto, *in beneficium Universitatis Terræ Corleti Perticariæ, una cum fructibus, pro quantitate, & tempore liquidandis, pro qua liquidatione, ac etiam respectu creditorum prætensorum per enunciatum Monasterium, auditis etiam heredibus qu Ill. Ducissæ Magdalunensium D. Robertæ Carafa, intra quatuor dies audiantur Partes. Neutram partem in expensis.*

Cur ita S. C. judicaverit, facile est intelligere. In comperto enim habuit; nunquam defensæ, nemorisve dominium, immo ne possessionem quidem in Monasterium, uti Magdalunensium Ducissæ donatarium, transiisse: sed ad summum in possessione tantum fuisse, vel nudum potius detentorem, temporalis locationis, conductionisque titulo, jamdiu post novennium a die instrumenti, quæ computatur 16. Januarii 1593., finitæ & extinctæ. Nam sicuti locatio, quantivis temporis, non est modus transferendi dominii, quod semper apud locatorem remanet, *L. non solet* 39. *ff. locati*, & conductor tantum in possessione esse, & rem detinere dicitur, *§. 5. Instit. de interdict.*, *L. 9. de rei vindic.*, *L. 3. §. ceterum 12.*, *& L. 9. de adquir. possess.*: ita constans juris regula est, neminem plus juris in alium transferre, quam ipse habet, *L. 54 de reg. jur. L. 20. de adquir. rer. domin.* Hinc cum Ducissa Roberta Carafa in favorabiliori sensu simplicem detentionem temporariæ conductionis jure in Monasterium donatarium transferre potuisset; quodcumque jus extinctum remansit, finito locationis tempore ad novem tantum annos, juxta declarationem, ac expressam conditionem, in assensu Supremi a latere Consilii sub die 21. mensis Aprilis anni 1594. adjectam. Est ceteroqui undique certum, Communitatum Regni, quæ per alios, non autem per se, reguntur, contractus, omnem vim, totumque robur ex Principis assensu accipere, ab eoque illorum essentiam, substantiam, formam, validitatemque pendere, sicuti communi, ac Regni notissimo jure cautum. Consequenter Monasterium, posthabi-

habita etiam non veritate, ac nullitate contractus diei 16. mensis Januarii anni 1593., omnino, finito locationis tempore, condemnandum erat ad defensæ, & nemoris relaxationem, una cum fructibus, in nihilo exceptionibus non probatæ corporum identitatis, præscriptionis, ac eorum locationis aliquando in Universitatis beneficium, habitis. Plenissime etenim, præter facti verosimilitudinem, ac notorietatem, ex rei conventi confessione, ac ex scripturis, contractui anni 1593. coævis, temporisve successivi, de corporum identitate constabat. Indubium quoque erat, Monasterium præscriptionis præsidio juvari nequaquam posse: cum in expressi tituli concursu omnino præsumptus, ex lege tantum derivans, esset: ac nunquam præscriptio obtinere possit, dum de temporario, prout impræsentiarum, titulo constet: quo detecto, præsertim vitioso, & infecto, quæcumque, quantivis temporis, etiam millenaria, præscriptio cadit. Quodque apprime ad rem faciebat, in singulari successore Magdalunensium Ducissæ donationis titulo bona fides præsumi nunquam poterat, juxta decisionem quatuor Aularum S. C., Regia auctoritate firmatam, *ut tom. 3. Pragmaticar. edit. anni 1772. tit. 197. de præscript. Pragm.* 3. Nec locatio quandoque defensæ, ac nemoris in Universitatis beneficium refragabatur; tum ob adhibitas per eam in contractibus dominii, ac quorumcumque jurium reservationes, aliisque actorum locis; tum etiam ob expressas juris sanctiones in *L.* 20. *&* 23. *C. de locato, & conducto*, quibus cavetur, rei propriæ conductorem illius dominium non transferre, sed tantum inefficacem conductionis contractum facere, simplicemque locationem ad probationem rei propriæ, sive defensionem, non sufficere. Multoque tandem minus obstabat confessionis in judicio, ubi quasi contrahitur, *L. licet* 3. *§. idem scribit ff. de peculio*, peractæ quoad corporum identitatem, ac titulum, a Roberta Carafa absolute derivantem, tentata revocatio, dum factum

ctum infectum fieri non poterat, *L. in bello §. factæ de captiv.*, *L. 1. §. adipiscimur de adquiren. poss.*, *Authenticorum Collat. 7. tit. 8. nov. 97. de æqualit. dotis cap. 1.* At e converso, ut S. C., fructus, tanquam rei accessiones, deberi, ita, tam de illorum quantitate, quam de tempore, a quo deberentur, non perfecte liquere censuit. Præterea nullatenus constitit de actione crediti, Monasterio forrassis, uti Magdalunensium Ducissæ donatario, ac cessionario, competente: & ne prætensorum quidem credituum veritas, aut legitimitas S. C. innotuit. Idcirco cum res prolixiorem tractatum, sive altiorem quæstionem haberet, altioremque, ut Pragmatici ajunt, requireret indaginem: S. C. ad tradita in *L. 13. ad Sen. Conf. Trebell.*, & in *L. 3. ad exhibendum*, aliisque vulgatis juris locis, omnia termino ordinario, auditis etiam heredibus qu. Ill. Ducissæ Magdalunensium, prætensæ creditricis, personæque legitimæ, submisit: ut deinceps consultius, certoque super omnibus hinc inde deductis, & forsan in cursu termini deducendis, eo legitimis probationibus expleto, dijudicare posset; etiam quoad deductam jamdiu credituum sequutam extinctionem quantitate, longe majori annualitatum debito, perceptorum fructuum, quoties tamen de veritate, ac legitimitate eorumdem credituum constiterit, qua de re sub Judice lis est.

Xaverius Falanga Act. Mag. -- Vincentius de Nicola Scriba.

In causa D. Laurentii Amati Grillo, cum D. Cornelia Capuano, & D. Francisca Grillo. Die 15. Martii 1780.

Referente Regio Consil. D. Basilio Palmieri.

Res, quæ substitutioni, aut fideicommissis sunt suppositæ, nonquam alienare, pignorare, aut hypothecæ dare licet. Defuncti voluntas

Per S. R. C. sequens lata fuit sententia: *Donationem factam a D. Cornelia Capuano in beneficium ejus filiæ D. Franciscæ Grillo Caracciolo Capuano, fuisse, & esse nullam respectu territorii nuncupati* lo Barbone, *tamquam subjecti fideicommisso contento in testamento, & codicillis D. Ju-*

D.Julii Capuano; Pro quo effectu territorium prædictum spectat & pertinet ad D.Laurentium Amatum Grillo Capuano cum oneribus, vinculis, & conditionibus appositis in prædictis testamento, & codicillis; & in omnibus servata forma eorumdem, secuto tamen obitu ejusdem D.Corneliæ ejus matris, & primæ vocatæ in fideicommisso; salvis tamen juribus ipsi D.Corneliæ pro detractione legitimæ, super qua detractione in biduo audiantur partes, etiam circa alia bona contenta in donatione prædicta, an ea possint cedere in causam legitimæ, & interim nihil innovetur circa statum præsentem supradicti territorii nuncupati lo Barbone. *Neutram partem in expensis.*

circa fideicommissa, & legata semper est exequenda, licet omnibus juris solemnibus non sit munita, cum illam heres agnoverit, acceptaveritque.

Vita enim functo die 22. Junii anni 1785. D. Julio Capuano, unica relicta filia D. Cornelia, D.Placidia Mari Abenaroli vidua ipsiusmet D. Julii, etiam veluti tutrix suæ filiæ pupillæ, solemnitatibus lege præscriptis petiit aperiendas fore tam tabulas testamenti, quam codicilli prædicti sui viri, quibus apertis, ex testamento condito die 19. mensis Martii 1727. compertum fuit, in omnibus bonis suis testatorem heredem instituisse ejus filiam, & alios filios, filiasve, si forte post ejus obitum reperirentur; necnon ordinasse fideicommissariam substitutionem in beneficium filiorum dictæ ejus filiæ, & filiorum ceterorum filiorum fortasse per ipsummet testatorem natorum, substituendo pariter agnatos, & cognatos successores, expressaque prohibitione imposita tam suæ filiæ, quam aliis possessoribus partem aliquam hereditatis prædictæ alienandi; liberam vero primæ heredi esse facultatem disponendi de ducatis quinquaginta statuit. Ex codicillo postea constitit institutionem heredis, vel heredum adamussim respondere testamento; substitutionem fideicommissariam in testamenti tabulis ordinatam, in codicillo autem immutatam fuisse in primogenituram exequendam in beneficium filii masculi primo nati ejusdem ejus filiæ, sicque deinceps observandum; in defectum vero masculorum vocatæ fuere feminæ primo-

primogenitæ. Subjunxitque, quod si post ejus obitum plures existerent filii, vel filiæ, tunc jure fideicommissi dividui hereditatem inter ipsos æquis partibus dividendam fore, ipsis solummodo legitima libera relicta.

Tabulas modo dictorum testamenti, & codicilli veras, legitimas, atque solemnes agnovit non solum D. Placidia Mari Abenaroli mater & tutrix prædictæ D.Corneliæ, verum etiam ipsamet D. Cornelia certas firmasque habuit cum instrumento promissionis suæ dotis, ob matrimonium tunc temporis contrahendum cum D. Francisco Grillo; quodque deinde contraxit; in quo quidem instrumento prædictam dotem expresse promisit juxta dispositiones paternas contentas in testamento, & codicillo paulo ante enunciatis.

Insuper legatis tam prædicta tutrix, quam ejus filia fecerunt satis eo ipso profecto modo, quo in prædictis testamento, & codicillo per testatorem relicta fuere; immo ipsa D. Cornelia major jam facta, non solum infra quatriennium non reclamavit a prædictis testamento, & codicillo, verum etiam vita functo ejus primo viro D. Francisco Grillo, & secundis nuptiis contractis cum D. Vincentio Gambacorta, continuo firmiterque executioni demandavit paternam voluntatem in eisdem testamento, & codicillo descriptam atque declaratam.

Demum cum die 19. mensis Novembris 1751. supplicationem Regali Cameræ S. Claræ porrexisset, petiissetque, ut fas sibi esset permutare quemdam ejus fundum, suamque legitimam ab paterna hereditate detrahere, hoc fieri posse ipsa D.Cornelia acceptum retulit paternis testamento, & codicillo, quæ porro supplicatio una cum Regia decretatione inserta fuit instrumento prædictæ permutationis.

Ex matrimonio, uti dictum est, contracto inter D. Franciscum Grillo, & D. Corneliam Capuano, duo filii nati fuere, D. Laurentius nempe, & D. Francisca. Anno 1748. defuncto D. Francisco Grillo, D. Cornelia ad secundas

cundas festinavit nuptias cum D. Vincentio Gambacorta; ejus vero filia D. Francisca nupsit D. Rocco Gambacortà fratri prædicti D. Vincentii ipsiusmet D. Corneliæ secundi viri.. Ex hisce enim secundis nuptiis nulla proles orta est, neque spes aliqua istius est, nam senex jam tabescit dies D.Corneliæ; at ex filia D.Francisca cum D.Rocco Gambacorta plures filii progeniti fuere. Huic suæ filiæ die 13. mensis Maji 1776. D. Cornelia Capuano instrumento donationis inter vivos dono dedit quamplurima bona hereditaria sui patris, & præsertim fundum nuncupatum *lo Barbone*, quem inter alia bona primogenituræ, ac fideicommisso submisit D. Julius Capuano; qua quidem donatione frustra peracta, pro manutentione in possessione D. Franciscа donataria in Regia Audientia Provinciali instituit contra ejus fratrem D. Laurentium Grillo, ut ibidem si quæ jura ei competerent super bonis donatis deduceret, ederetque. D. Laurentius vero post petitionem factam in Regia Audientia Provinciali, suam actionem edidit in S.R.C., petiitque executionem testamenti, & codicilli sui avi; ac proinde nullam declarandam fore donationem factam in præjudicium dictorum testamenti, & codicilli. S.R.C. post jam expletum terminum ordinarium, re attente serioque perpensa, censuit, testamentum, & codicillum veros, & jure factos habendos fore, quamquam in protocollo anni 1735. descripti non legantur; inefficacem vero existimavit donationem fundi nuncupati *lo Barbone*, utpote expresse submissi primogenituræ ordinatæ per dictum D. Julium Capuano in eodem testamento, & codicillo; sarta tecta vero S.R.C. servavit jura D. Corneliæ pro legitimæ detractione eo modo, quo in supradescripta sententia declaratur.

Ratio enim decisionis fuit, quod res, quæ substitutioni, aut fideicommissis sint suppositæ, vel alio modo testatoris voluntate restitui debeant, nunquam alienare, vel pignorare, aut hypothecæ dare liceat, *L. 3. §. 2. C. comm. de legat. & fideicomm.* Prædia ergo testamento, & codicillo D.Ju-

D. Julii Capuano fideicommisso, & primogenituræ perpetuò subjecta nullo modo donari, aut quolibet alio modo alienari poterant per heredem fideicommisso primogeniali gravatum, & ad restituendum primogenito filio rogatum. Et quamvis heres obsisteret, protocollo Notarii Philippi Augimeri anni 1735. insertos non reperiri testamentum, neque codicillum prædictum; attamen cum exemplum testamenti exhibitum exscriptum fuisset per eumdem Notarium ex originali testamento, quod etiam nunc inter scripturas prædicti Notarii, propria testatoris manu subscriptum reperitur; & eodem exemplo inserta sint non solum nomina testium, qui clausum testamentum signaverant, verum etiam comperiatur solemnis actûs aperturæ per eamdem D. Corneliam, ejusque matrem expetitæ: Necnon exemplum codicilli, præter easdem testamenti solemnitates conscriptum legatur ab ipsomet Notario, qui codicillum rogavit, & ab eodem suo proprio signo munitum videatur traditum cui intererat statim in actu aperturæ prædictæ, originales potius scripturæ, quam exempla sint habenda, uti manifesto argumento *L. unum ff. qui testam. facere poss.* non solum tenuit Glossa, verum etiam judicando Tribunalia Suprema tenuere, & præsertim nostrum S.R.C. junctis duabus Aulis in decisione relata per *Regentem Sanfelice* 183.

Quibus explorati juris rationibus si adjungatur, prædictam heredem fiduciariam infra quatriennium post suam majorem ætatem adversus prædictas dispositiones restitutionem juxta *L. 7. C. de tempor. in integr. restit. tam minorum &c.* non petiisse, imo ratam tam facto, quam verbis semper habuisse sui patris voluntatem prædictis tabulis expressam, nemo porro est qui inficiari potest, testamentum, atque codicillum fuisse veros, legitimosque, eo magis quia ipsamet D. Cornelia testamentum, & primogenituram pro firmissimis habuit, cum pro quadam fundi paternæ hereditatis permutatione assensum a Regali Camera

mera S. Claræ expetiisset suo supplici libello per eamdem subscripto, & a Regio publicoque Notario authenticato.

Hisce enim ita existentibus, quisnam tam sui compos esse nequit, quin affirmare non valeat verum validumque fuisse testamentum, & jure confectum codicillum? Nec silentio prætereundus est juris canon consignatus in *L.* 2. *C. de fideicomm.*, & in *L.* 16. *C. de testam.*, exequendam nempe semper esse defuncti voluntatem circa legata, & fideicommissa, etiamsi omnibus juris solemnitatibus non sit munita, roborataque, cum heres suapte sponte illam agnoverit, acceptaveritque.

Neque facessit argumentum, quod prædicta D. Cornelia deducit ex petitione facta in Curia locali die 27. mensis Januarii anni 1768., ut eidem nempe hereditas paterna daretur ab intestato, & ex præambulo, uti ajunt, ab eadem Curia obtento: Siquidem juris rationis expers illud comperitur, etenim contra fas jusque est, omissa causa testamenti, ab intestato, vel alio modo hereditatem possidere, *L.* 1. *ff. si quis omissa causa testam.*; imo hisce casibus, ut lex ait, *Prætor voluntates defunctorum tuetur, & eorum calliditati occurrit, qui omissa causa testamenti, ab intestato hereditatem, partemve ejus possideat, ad hoc, ut eos circumveniant, quibus quid ex judicio defuncti deberi potuit, si non ab intestato possideretur hereditas, & in eos actionem polliceri.* Jure ergo optimo S. R. C. occurrit calliditati D. Corneliæ Capuano, & judicium defuncti substinuit.

Vincentius Basile Act. Mag. — Franciscus Xaverius dei Santo Scriba.

In causa vertente inter magn. Notarium D Januarium Monti, cum magn. Josepho, & Isabella Piro in gradu appellationis propositæ per dictos Josephum, & Isabellam a decreto M.C.V. super interpositione decreti præambuli qu. D. Dominici Piro. Die 7. Januarii 1780.

Referente Regio Consil. D. Jo: Baptista Starace.

Substantia testamenti nuncupativi corruit, si testator e vita discesserit, antequam charta ab eo scripta, sed nondum subscripta, in formam publici instrumenti redacta sit.

Per S. R. C. declaratum fuit: *Bene fuisse judicatum per M. C. V., & male appellatum pro parte Josephi, & Isabellæ Piro. Neutram partem ad expensas.*

Ratio ita decidendi manifeste eruitur nedum ex actis ipsis, verum etiam ex clarissimis legibus: Nam D. Dominicus Piro e vita discessit priusquam testamentum perficeret, scilicet anteaquam charta ab eodem scripta, sed nondum subscripta, in formam publici instrumenti reduceretur, & nomen heredis palam, & coram testibus protulisset, quadere corruit substantia testamenti nuncupativi, *L. 21. ff. qui testam. facere poss.*, & *L. 29. C. de testam.* Neque de testamento scripto cogitari potest, cum in charta exhibita & signa, & testium subscriptiones deficiant, *dict. L. 29. C. de testam.*, & cum id testator ipse noluerit.

Fuit insuper per S. C. consideratum, male applicari forensem theoriam de testamento remissivo ad schedulam. Leges enim, quæ disponunt, validum esse testamentum, quando testator dicat, heredis nomen declarari in codicillo, ex quo directe hereditas dari non potest; loquuntur de testamento jam sollemniter confecto, & non de illo, ad quod conficiendum præparabatur, in qua facti specie dicitur, magis instituere voluisse, quam instituisse, quæ inter se multum differunt: aliud est enim, quidquam agere, aliud agere velle, ut ex *L. amplius ff. rem ratam haberi*. Nec non loquuntur de testamento scripto, non de nuncupativo, cujus essentia est, nomen heredis palam nuncupari ex allegatis legibus. Neque locum sibi vindicat favor clausulæ codicillaris a jure concessus testamentis, in quibus illa vel explicite, vel implicite adsit, cum non ver-

vertatur caufa de teftamento perfecto, & follemni, fed de eo, quod etiam ex teftatoris voluntate perfici debebat, uti erat charta a dictis Jofepho, & Ifabella Piro penes acta exhibita, cui deerant fubfcriptiones quinque teftium, meritoque ut codicillum fubftineri nequiverat, *L.* 11. *§.* 1. *ff. de legat.* 3. Pariter nec obftare videtur *L.* 29. *ff. qui teftam. facere poff.*, quæ loquitur de fcriptura parata ad teftamentum, & non ad codicillum, fed jam perfecta, quæ ex defectu follemnium fi corruat, veluti ob deficientiam, & qualitatem, vel unitatem actus teftium; tunc fcriptura illa ut codicillum fubftinetur, fi codicilli caracteres legales habeat; quod in præfenti caufa minime concurrit infpecta charta præfentata, quæ perfecta non eft, fed perficienda erat; & ad formam inftrumenti debebat reduci.

Hinc igitur S. C. decretum M. C. confirmandum in gradu appellationis cenfuit, etiam attenta *L.* 8. *C. de codicillis*, ubi ftatuitur non poffe ex fideicommiffo petere hereditatem illum, qui jam ipfaminet fibi ex teftamento deferri poftulavit, ut in M. C. V. fupradicti Jofeph, & Ifabella Piro fe gefferunt.

Michael Prifcelus Act. Mag.

In caufa inter heredes qu. Baronis D. Petri Pauli Maftellone, & magn. Baronem D. Antonium, D. Pafchalem, D. Raphaelem fratres de Philippis, ac filios qu. D. Claudiæ Maftellone. Die . . menfis . . . 1781.

Referente Regio Confiliario D. Petro Patritio.

S. R. C. pronunciavit: *Heredes qu. Baronis D. Petri Pauli Maftellone abfolvendos effe a petitis tam pro parte qu. Claudiæ Maftellone, quam pro parte magn. Baronis D. Antonii, D. Pafchalis, & D. Raphaelis fratrum de Philippis, filiorum qu. D. Claudiæ. Neutram partem in expenfis.*

Filia fi a patre dotem acceperit legitima portione minorem, non poteft contra fratrem ad fupplementum agere.

Filiabus fratre exiftente nullum eft parentibus fuccedendi jus, ne pro legitima quidem portione.

Ne filio quidem licet inofficiofam ar-

Filiam a patre, data dote, in matrimonium collocatam ad fupplementum contra fratrem agere non poffe, eo obtentu, quod dotem legitima portione minorem habuerit, S. C. cenfuit. Filiabus enim tam Conftit. *In ali-*

gnere dotem, quæ virilem portionem æquet, vel, salva filii legitima, etiam excedat.

quibus, quam Consuet. *Si moriatur*, existente fratre nullum est parentibus succedendi jus, ne pro legitima quidem portione; sed paragium dumtaxat eis debetur: Et sane si, ut plurimum in testamentis legitur, filias in dotibus eis constitutis heredes scriptas, id non aliter fieri, quam tabellionum impetitia, qui perperam eredunt, filias heredes scribi oportere, nostri juris peritiores animadvertunt. Remotis igitur a parentum successione filiabus, quibus paragium tantum debetur, sive congrua dos, inspiciendum est, quænam sit habenda ratio in congrua dote æstimanda, ut inde cognosci possit, num eis competat actio ad supplementum.

Profecto jure diserte cautum est, dotis quantitatem pro modo facultatum, & ex dignitate natalium esse constituendam, *L. quæro* 60. *ff. de jure dot.*, *L. si filiæ* 41. *ff. de legat.* 3. *L. cum post divortium* 70. *§. gener*, *&* *§. nuptiis ff. de jure dot.* Ac interpetrum consensu spectanda porissimum est loci, in quo matrimonium fit, consuetudo. Nulla igitur est definita quantitas ad congruæ dotis æstimationem; neque dos legitimæ portioni respondere omnino debet. Etenim si legitimam portionem æquari oporteret, frustra ex dignitate conjugum, & ex loci præsertim consuetudine æstimandam esse dotem, jure fuisset præscriptum. Quare fieri potest ut dos quandoque infra legitimam constituatur, legitimam interdum æquet, interdum eam excedat, & ad virilem portionem pertingat.

Quæ quum ita se habeant, existimandum omnino est; congruam dotem accepisse, sive secundum paragium collocatam fuisse eam filiam, quæ dote a patre accepta, pari nupsit, siquidem, ut ait Papinianus: *Pietas paterni nominis consilium pro liberis capit*. *L.* 22. *§. ult. ff. ad L. Jul. de adult.* *Quis enim* (quæ verba sunt Justiniani in *L. ult. C. de Curat. furios. vel prod.*) *talis adfectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum, vel cui alii credendum est res liberorum gubernandas, parentibus relictis?*

Nullo

Nullo modo igitur filiæ, quæ, dote a patre constituta, paris conditionis viro juncta est, dotis supplementum petere permittendum est, quum ne filio quidem liceat inofficiosam arguere dotem, quæ virilem portionem æquet, vel (salva tamen sibi legitima) etiam excedat; quippe censeri debet, filiorum rebus patrem optime consuluisse. Denegato vero filiæ dotis supplemento, consequitur, nullum ei superesse posse jus petendi, collata dote, supplementum legitimæ portionis, quia legitima debetur jure hereditario, cujus filiam, existente fratre, expertem esse nostris legibus, & moribus, dictum est.

Quibus accedit totius Regni familiarum decus labefactari, & pacem turbari, omnia denique misceri, si fœminis accepta a patribus dote honeste collocatis potestas fiat obtentu supplementi legitimæ portionis, adversus fratres agendi, qui familiæ decus, & splendorem tueri debent.

His ita definitis, omittendum non est, ex alia quoque ratione filiam repelli, si ad supplementum agat post triginta annorum lapsum a die obitus patris, quum compertum sit, quamlibet actionem triginta annorum præscriptione inanem fieri, *L. sicut*, *&* *L. fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

In causa inter nonnullos cives Status Marzani, & Ill. Principem d'Ambrosio utilem Dominum prædict. Status, & Ill. Ducem D. Dominicum Lagni; Die . . mensis . . . 1781.

Referente Regio Consil. Ill. Principe D. Placido Dentice Massaringhi.

S. R.C. pronuntiavit: *Quod Ill. Princeps D. Cajetanus d'Ambrosio, & Dux D. Dominicus Lagni absolvantur ab impetitis pro parte particularium Civium Terræ Marzani, prout ex actis, qui condemnentur etiam ad litis expensas, salvis eisdem juribus pro refectione expensarum contra magn. U.J.D. D. Dominicum del Corpo.*

Libri censuales Curiæ Feudi plenam tituli probationem inducunt.

Cum non ambigitur ex facti circumstantiis, particulares

lares Cives Status Marzani jam victos in possessorio, nunc de titulo contendentes esse possessores rerum feudalium. Hinc de annuis præstationibus nullus est dubitandi locus. Est enim in jure exploratum libros censuales Curiæ Feudi plenam tituli inducere probationem, ex *L. Conf. ff. de probat.* Idem de tabula rerum feudalium, in qua bona descripta ut Feudo reddititia jure Feudi censeri, constat ex *Cap. si de feud. controv. fuer.* His accedunt probationes ex propriis testationibus in publico censu, quæ omnem vim ac robur in judicio obtinent, ex *Ulpian. in L. 4. ff. de censib.*, & in *Cap. Reg. Kal. Maii functionum fiscal., & in singul. Civitatib.*, ac in *Pragm. 1. de appret.*: Imperator autem Justinianus ex publici census adscriptione diutina redditUum præstatione probata, colonos cujuscumque conditionis contra dominos quæstiones dominii referre non posse statuit, prout videtur sancitum in *L. 19. & 21. C. de agric. & censit.*

Quibus sane perpensis, Senatus in suprascriptam ivit sententiam, & habitis Possessoribus pro temere litigantibus, eosdem ad litis sumptus damnavit, juxta Regni sanctiones, reservatis juribus iisdem contra eorum Advocatum, & Procuratorem, qui litem fecit suam, & sciens prudens causam sibi creditam improbam esse, ac penitus desperatam, in judicio procedendum esse existimavit, contra *L. rem non nov. §. Patron. C. de judic.*, Constitut. Regni *Advocat.*, & novissimas Regales determinationes.

In causa vertente inter Regale Conservatorium, sive Collegium SS. Conceptionis Civitatis Capuæ, cum D. Dominico Mundo. Die 6. Martii 1781.

Referente Reg. Cons. D. Basilio Palmieri,

Debitore non solvente statuto temporis spatio, stipulatio committitur.

Fuit per S. R. C. declaratum: *Condemnandum esse D. Dominicum Mundo, rescisso contractu, ad solvendum in beneficium Regalis Conservatorii, sive Collegii SS. Conceptionis Capuanæ Civitatis ducatos 500., una cum tertiis præ-*

præstituto tempore in instrumento huc usque non solutis, & ad litis expensas. Attamen si præfatus D. Dominicus infra dies viginti solverit tertias decursas, supersedeatur a solutione dictorum duc. 500. capitalis; ceteroquin exequatur etiam pro pœna Regio Fisco debita.

In comperto porro est, debitore non solvente circumscripto, conventoque temporis spatio, stipulationem committi: etenim *Justinianus* ad veterum legum obscuritatem ablegandam propulsandamque edixit in *L. magnam 12. C. de contrah. & committ. stipulat.*; ut si quis certo tempore facturum se aliquid, vel daturum stipuletur, vel promiserit, adjeceritque, si statuto tempore minime adimpleverit, stipulationem commissam habendam fore; igitur si reipsa adimplementum protrahatur, eo ipso stipulatio committitur, rescinditurque contractus. At D. Dominicus Mundo tertias duc. 500. præstituto tempore in supradicto instrumento facere satis non curavit, distulitque; jure quidem merito S. R. C. declaravit, contractum rescindendum esse, condemnandumque propterea eumdem D. Dominicum ad exsolvendum non solum decursas tertias, verum etiam capitale duc. 500. Nihilosecius cum vel æquitate canonica, vel potius cerebrina, ut *Christiani Thomasii* phrasi utamur, inductum sit, impertiendum esse debitori modicum temporis intervallum ad tertias jam excursas faciendas satis, & interea exsolutionem capitalis differri; eapropter S. R. C. modo dictam æquitatem præ oculis habendo, suprascriptam sententiam dicere statuit.

U. J. D. Thomas Rubinus Act. Mag. -- Franciscus Sanseverino Scriba.

In causa vertente inter magn. D. Franciscum Rango ex una, & mag. D. Franciscum, & D. Carolum Romeo ex altera. Die 13. Martii 1781.

Referente Reg. Consil. Ill. Marchione D. Josepho Mauri.

S. R. C. declaravit: *Magn. D. Franciscum, & D. Carolum Romeo heredes qu. Rev. D. Dominici Romeo absolven-*

Exceptio litigiosi nonnisi inter collitigantes vicissim po-

vendos esse ab impetitis per magn. D. Franciscum Rango: Neutram partem pro expensis condemnando.

teft opponi, non vero cuicumque tertio de jure est licita.

Simonia committitur, cum res temporalis traditur tamquam pretium rei spiritualis, non vero cum promittitur sponte titulo liberalitatis.

Regale Diploma anni 1767. de amortizatione aptatur locis piis, & manibus mortuis, nunquam vero Sacerdoti saeculari.

Cum enim D. Franciscus Rango judicium instituisset in S. R. C. adversus D. Franciscum, & Abbatem Beneficiatum D. Carolum fratres Romeo, heredes qu. U. J. D. D. Nicolai eorum patris, utpote heredis qu. Rev. Canonici Majoris Neapolitanae Ecclesiae D. Dominici, ejusdem germani fratris, petiit, nullam declarari donationem Jurispatronatus laicalis Beneficii titulo S. Margaritae in urbe Ravellensi, anno 1736. a qu. D. Theresia Grisoni peractam praedicto D. Dominico, ejusque heredibus & successoribus; non modo quia lite pendente in Rev. Curia Episcopali Ravelli inter D. Theresiam ipsam, & Fiscum ejusdem Curiae, ac fratres de Confalone, ex *textu in L. fin. C. de litigiosis*, *Cap. Ecclesia S. Mariae*, *Ut lite pendente*; *Constit. Regni Eorum fraudibus*, *& Cap. Regni Conventus*; Verum etiam quia a praecitato D. Dominico obtenta simoniacis promissionibus; & in consequens nullum pariter Episcopi assensum fuisse concessum donationi: Nullum item ex capite obreptionis, & subreptionis ob vitium litigii, & simoniae non expositum impetrationis tempore. Quibus addidit: Nullam esse quoque ex lege Valentiniani, & Theodosii Imperatorum, quae in Theodosiano Codice legitur, qua Ecclesiasticis donationes, sive alias elargitiones supremis tabulis a viduis fieri prohibetur: Cui consonam esse Federici Imperatoris Constitutionem, & Regale Rescriptum diei 30. mensis Maji anni 1767. autumavit; quo a S. R. M. jussum fuit, praefatas leges observari. Imo etiam donationem nullam fuisse utpote omnium bonorum in effectu, etsi rei particularis, inspecta donantis tunc temporis paupertate. Et laesivam insuper ob promissiones non impletas a D. Dominico donatario; Quapropter eidem obstare Pandectarum titulum, sive condictionem *causa data*, *causa non secuta*: Adeout ex praenarratis nullitatum argumentis, ipsi D. Francisco defunctae aviae

aviæ suæ D. Theresiæ universali donatario, quamquam posteriori donationi ab ipsa facta D. Dominico Romeo, Patronatum pertinere a S. C. decernendum esse, atque D. Franciscum, & D. Carolum Romeo ad illum relaxandum fore condemnandos.

Ex adverso autem excipiebatur a Reis conventis (& S. C. jure merito admisit) nequaquam verum fuisse litigiosi oppositum vitium, neque obstare leges, ac Regni allegatæ Constitutiones, quia ipsæ robur obtinent, quando agitur inter eosdem litigatores; nam leges ipsæ unius ex collitigantibus fraudi, & malitiæ occurrunt pendente judicio, ne durior opponatur adversarius, & ne collitigantis deterior conditio fiat donando, vendendo, sive quocumque alio modo rem in judicium deductam alienando, neve cum tertio possessore alio judicio cogatur exagitari; sicuti expresse elicitur. ex supracitata *L. fin. C. de litigiosis*, *Cap. Ecclesia S. Mariæ*, *Ut lite pendente*, *Constit. Eorum fraudibus*, *de alien. rer. in judicium deductarum*, *Cap. Conventus*, *de conventis qui alienant possess.* Cum igitur fervescebat litigium in Ravelli Episcopali Curia inter D. Theresiam Grisoni actricem, quæ Juspatronatus sibi pertinere petiit decerni tanquam universali heredi sui patris, cum universitate bonorum eidem transmissum, & Rev. ejusdem Curiæ Fiscum, a quo prætendebatur devolutum ob extinctos masculos familiæ Grisoni, juxta legem taxativam institutionis pro masculis tantum, & fratres Confalone ab alia fœmina descendentes; exceptio litigiosi nonnisi inter eosdem vicissim poterat opponi, si lite pendente aliquis eorum Patronatum, qui tunc erat sub Judice, alienavisset: non vero eadem actio, sive exceptio cuicumque tertio, præter eos, lite extincta, & sententia favore Actricis pronunciata, erat de jure licita. Eo fortius quia donatio diei 15. mensis Januarii anni 1736. in confirmationem fuit alterius præcedentis donationis Sacerdoti Romeo factæ die 29. Augusti anni 1734. publico instrumento ro-

 gato

gato ab eodem Notario ante litem motam, ficuti inftrumentum confirmationis demonftrat, & ex fcripturis ab eodem D. Francifco Rango in termino productis infpicitur.

Nec minus pariter vitium obftare nullitatis ob prætenfam fimoniam ex promiffionibus, quæ afferuntur a Sacerdote Romeo factis qu. D. Therefiæ Grifoni: nam S.C. cenfuit, oppofitam fimoniæ labem non adfuiffe. Etenim non ex alio liquent promiffiones documento, quam ex quadam atteftatione trium hominum anno 1736., poft fententiam Curiæ Ravellenfis favore D.Therefiæ pro pertinentia patronatus prolatam, in termino non verificata ob conteftantium obitum; nam ipfæ enunciantur factæ a D. Dominico Romeo fponte abfque ulla pactione, aut conventione poft eidem factam patronatus donationem in anno 1734., & ante ejufdem donationis confirmationem in anno 1736. Quam atteftationem nullius effe momenti, cum judicialiter non fuerit approbata, & repetita juramento coram collitigatore, jura decernunt in *L. 3. ff. de teftib. L. fi quando C. eod. tit. cap. 2. de teftib.* Doctores communiter. Neque aliam probationem emergere ex duorum teftium dictis in termino examinatorum, S.C. vifum fuit: Nam unus teftatur de auditu a D. Therefia, ejufque filiis: Alter caufam fcientiæ minime profert; ideoque eorum teftimonia jura reprobant, prout fancitur in *Cap. Tua de confanguin. & affin. Cap. Jam literis, de teftib. Cap. Inquifitionis, de accufation. §. ult. L. folam C. de teftib.* Cum enim promiffiones (etiamfi veras fuiffe non dubitari contigiffet) illas ultroneas, nulloque pacto, conventioneque peractas fuiffe, manifefte ex eadem fuprarelata atteftatione elucefcit, & imo poftquam D. Therefia donavit D. Dominico in anno 1734. Ideoque tam ex Canoniftarum, Theologorum, quam clariffimorum Doctorum fententia, nullam argui, nec adeffe fimoniam habetur ex *Bonacina de fimonia difp. 1. qu. 1. qu. 2. difp. 1. num. 3. num. 6. difp. 1. qu. 6. & difp. 1. qu. 1. §. 2.* Qui cum Canoni-

nonistarum, & Theologorum schola edocet, tunc simoniam committi, cum res temporalis traditur, vel promittitur tamquam pretium rei spiritualis, vel spirituali adnexæ, cui sit irreverentia: nunquam vero cum ante acceptam, vel post acceptam rem spiritualem promittitur sponte titulo liberalitatis, vel gratitudinis, non tanquam pretium. In foro enim externo cum agitur de nullitate actus Beneficii jam obtenti, & alias valide quæsiti, ob simoniæ vitium (quidquid aliter sit in Beneficio quærendo) probationibus oportere omnino concludentibus, & perfectis præcedentis pactionis, & conventionis correspectivæ, utpote essentialis simoniæ requisiti, enixe docet, & testatur cum Doctoribus, & Romana Rota clarissimus, & in Romana Curia versatus *Card. de Luca* in *tract. de Beneficiis disc.* 36. *disc.* 70. *de Regular. disc.* 48. *num.* 5. *de jurepatr. disc.* 48., ceterique Doctores. Quam pactionem, vel conventionem inter D. Dominicum Romeo, & D. Theresiam Grisoni nequaquam fuisse, indubium est ex actis: Pro nihilo habito, quod suprammemorati duo testes, unus de auditu, alter absque certa speciali causa scientiæ asserunt, cum ipsi nihil probant ex suprammemoratis juribus. Inde est, quod Episcopalis assensus rite & recte, post litigium expletum, fuit concessus in donationis confirmationem; juxta præscriptum in *cap.* 5. *de Jurepatr.*, exploso litigiosi, prætenso vitio simoniæ, obreptione, ceterisque oppositis, tamquam facto, & jure non subsistentibus.

Pari modo S. C. censuit, reliquas deductas nullitates minime valere. Eis etenim jura adversantur. Lex Valentiniani, & Theodosii, atque Federici, Regaleque Diploma anni 1767. Locis piis, manibusque mortuis in comperto est aptari, non vero sæculari Sacerdoti: Et pro locis piis ipsis posteriori Regali Rescripto anni 1770. statutum fuit, ea minime turbari posse, cum longa non contradicta possessione potiri dignoscatur. Possessio enim quadraginta annorum familiæ Romeo sine ulla contradictione

hujusmodi repellit nullitatem. Cum itaque ita se res habet, alteram oppositam nullitatem donationis tamquam omnium bonorum, etsi rei singularis, locum sibi non vindicare agnovit S. C. Donatio namque jurispatronatus fuit particularis. Donatio omnium bonorum a jure non reprobatur, quinimo substinetur; rescinditur vero querela inofficiosi pro portione tantum legitima, quæ filio minuitur, vel non remanet, sicuti aperte statuitur in *L. si mater*, *L. si totas*, *C. de inoffic. donat. & toto eod. tit.* Et inofficiosi querelam sive testamenti, vel dotis, & donationis nonnisi intra quinque annos dari, & non ultra, synodalia sunt jura in *L. 34. C. de inoffic. testam. L. fin. C. de inoffic. donat.*, itaut ob lapsum longi temporis a die mortis D. Theresiæ, præscriptam esse actionem certo certius est. Neque deducta læsio in donationibus admittitur, cum in contractibus correspectivis venditionis, permutationis, ceterisque similibus obtinere de jure cautum est, communisque docet Doctorum auctoritas, ut testatur inter alios *Card. de Luca de donat. discur. 27.*

Æque deficit D. Francisci Rango altera proposita juris regula ex *causa data, causa non secuta* ob promissiones prætensas, a D. Dominico Romeo non impletas: Namque etiamsi probatio facti esset indubia, tamen eidem non opitulatur: Cum non impleta promissio a donatario donatori, jus tribuit ei tantum donationem revocandi ingratitudinis vitio, quia una ex causis ea est revocandi a jure statuta, quæ tamen soli donatori conceditur, posteritati, heredibus, & successoribus vero ejus penitus negatur, sicuti Imp. Justinianus expresse statuit in *L. 1. & ult. C. de revoc. donat.*

Et tandem egit hoc in judicio D. Franciscus Rango caractere donatarii universalis D. Theresiæ Grifoni ejus aviæ vigore instrumenti donationis dici 20. mensis Octobris anni 1736. posterioris donationi ab ipsa D. Theresia factæ D. Dominico Romeo die 29. mensis Augusti 1734., & con-

& confirmationi ejusdem die 15. Januarii 1736., cum jam dominium patronatus donati translatum erat in priorem donatarium, & perfectissimum robur habuit donatio, & confirmatio ab initio ex juris ministerio in *L. traditionibus, C. de pact. Instit. lib. 2. tit. 1. §. per traditionem, & ibid. lib. 2. tit. 7. de donat. §. 2. L. 1. ff. de precario, L. si quis argentum 35. §. fin. C. de donat. L. quod meo, ff. de acquir. possess. Cap. cum venissent, de restit. spoliat., de Franchis decis.* 213., & Doctores passim. Et in consequens D. Francisco donatario posteriori universali nullum jus competere avocandi patronatum, qui jam prius a patrimonio D. Theresiæ justo separatus fuit titulo, ex præcitatis juribus.

Michael Priscolo Act. Mag. -- Bernardus Priscolo Scriba.

In causa Antonii Muollo viri, & legitimi administratoris Annæ Cacace, cum magn. Curatore Montis instituti a qq. Josue, & Hieronymo Cacace. Die 23. Julii 1781.

Referente Regio Consil. Ill. Marchione D. Josepho Mauri,

Per S. R. C. declaratum est: *Non esse deferendum in integrum restitutioni petitæ pro parte magn. Curatoris Montis familiæ Cacace, ac visa supplicatione Antonii Muollo, idem magn. Curator nomine dicti Montis solvat in beneficium ipsius Antonii Muollo, uti viri & legitimi administratoris Annæ Cacace ejus uxoris, reliquos ducatos* 24. *ad complementum duc.* 60., *stante solutione aliorum duc.* 36. *facienda vigore alius sententiæ S.R.C. diei* 25. *Septembris elapsi anni* 1780.

Dos, uti res privilegiata, deminutionem ex facto alieno pati non potest.

Error præjudicium non affert, imo nec consensum præstat.

Ratio sic decernendi sequens fuit. Puellæ in fundatione Montis fuerunt vocatæ ex propriis personis in fruitione maritagiorum, itaut nulla deminutio, nullum præjudicium ex facto alieno juribus eorum afferri potest. His adde, quod ejus mater in constituendis dotibus Annæ Cacace ejus filiæ ex errore promisit ducatos 36. pro maritagio Montis de Cacace, cum revera dos constabat ex ducatis

catis 60. Nec error matris præjudicium afferre poteſt filiæ in juribus ſuis, nec dos, uti res privilegiata, deminutionem ex facto alieno pati poteſt. Error quippe cum manifeſte detegitur, ut eſt in caſu, de quo agimus, nullum præjudicium litigatoribus afferre poteſt, imo nec conſenſum præſtat; nam qui errat non videtur conſenſiſſe. Sic eleganter Ulpianus in *L. conſenſiſſe* 2. *ff. de judiciis*, & ubi quiſque agere, vel conveniri debeat ex Juliani ſententia reſpondit, ubi claris verbis ait: *Error enim litigatorum conſenſum non præſtat*. Et in *L.* 15. *ff. de juriſdict.* nedum idem Julianus explicatur ab eodem Ulpiano, verum etiam rationem addit: *Nam ſi per errorem quid fuerit factum, nihil valebit quod actum eſt, nec conſenſiſſe videtur, cum non conſentiant qui errant. Quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quam error, qui imperitiam detegit?* Quibus adſtipulanrur vulgatiſſimæ juris regulæ in *L. nihil conſenſui* 116. *de reg. jur.*, & in *L.* 57. *ff. de oblig. & act.* Pomponius ſtatuit: *In omnibus negotiis ſi error aliquis intervenit, nihil valet quod actum ſit*. Demum error contractum etiam ſtricti juris viriat, ut in *L.* 6. *§.* 1. *de offic. Præſ. L.* 2. *ff. de in integr. reſtit.* cum aliis concordantibus. Vel ſaltem ſexus imbecillitati, & ætati, concurrente etiam errore, quis ſuccurrendum eſſe quoque ope reſtitutionis in integrum negabit?

De Magiſtris Scriba.

In cauſa inter Paſchalem, & alios fratres de Peccerillo, & Thereſiam Groſſo. Die 30. *Junii* 1781.

Referente Regio Conſil. D. Ferdinando Corradini.

In obſcuris quod veroſimilius eſt inſpici ſolet.

S. R. C. pronuntiavit: *Bene fuiſſe judicatum per M. C. V. in ejus decreto diei* 17. *Decembris* 1779., *& male appellatum per Thereſiam Groſſo: Verum ducati* 40. *ſoluti in vim legati fratribus de Piccirillo imputentur in portionem debitam ipſis fratribus. Neutram partem in expenſis condemnando.*

Ratio

Ratio judicandi patet ex decreto M. C. Sed visum fuit S. C. Senatui imputare ducatos 40. per Rosam Grosso legatos suis nepotibus de Piccirillo. Cum enim errore juris lapsa, omnem successionem in propriam sororem suo testamento transtulisset, ac solum ducatos 40. legasset nepotibus, consequens erat præsumptæ menti testatricis non deberi legatum cum portione bonorum antiquorum, de qua ipsa non cogitaverat. *In obscuris enim*, inquit *L.115. ff. de reg. jur.*, *quod verosimilius est inspici solet*, & *L.9. eod. tit.*, *semper in obscuris quod minimum est sequimur*.

Marcus Antonius Quaranta Act.Mag. -- Joseph Sigismundus Scriba.

In causa inter Ill. Marchionem D.Jo: Franciscum Xaverium Rota; ac D. Vincentium, & D.Thomam fratres de Ventapane. Die 4. Julii 1781.

Referente Regio Consil. Consultore D.Petro Patritio.

S.R.C. pronuntiavit: *Ill. Marchionem D. Franciscum Xaverium Rota absolvendum esse a petitis pro parte D.Vincentii, & D.Thomæ fratrum de Ventapane. Neutram partem in expensis damnando.*

Non indiget Judicis decreto venditio a testatore præscripta, cui frustra opponitur minor ætas heredis; nec juvat exceptio enormis læsionis, nisi sit ultra dimidium justi pretii, quæ etiam præscribitur ob lapsum 30. annorum.

Frustra Ventapanii nullitatis arguunt ruris venditionem qu. Marchioni Rotæ factam, quod ipsis in minori ætate constitutis ea nonnisi Judicis decretum fieri citra poterat: Quum enim ipsi confiteantur, & ex testamento pateat; eorum patruum mandasse illius ruris venditionem, in ea re Judicis auctoritas necessaria non erat, quia defuncti voluntati est paritum. *L.* 1. & *L.* 3. *C. quando decreto opus non est*. Præterea neque rescissioni ex causa enormis læsionis locus esse potest, tum quia læsio ultra justi pretii dimidium, qua rescindi (elapso post minorem ætatem quatriennio) venditio potest, ex *L.* 2. & 8. *C. de rescind. vend.* nulla intercessit, tum quia actioni ex dictis legibus competenti triginta annorum lapsu præscribitur, *L.* 3. *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *annor.*

Xaverius Falanga Act.Mag. -- Raymundus de Nicola Scriba.

In

In causa taxæ petita per Doctores Physicos D. Laurentium Pieraldi, & D. Carolum Biondi Civitatis Orbitelli, contra heredes qu. Marchionis Gomez Palomba, in gradu appellationis a Regia Audientia dictæ Civitatis Orbitelli. Die 30. Julii 1781.

Per Dominum Regium Consil. D. Basilium Palmieri Delegatum interinum

Non denegandum medicis salarium eo quod ægrotus mortem obierit.

Fuit provisum & decretum: *Solvendos esse Doctoribus Physicis D. Laurentio Pieraldi, & D. Carolo Biondi scutos* 108. *per Ill. Marchionem D. Henricum Gomez Palomba filium & heredem qu. Ill. Marchionis Gomez Palomba, in bonis hereditariis ejusdem, ex causa laborum erogatorum in infirmitatibus ejusdem, demptis tamen ducatis* 12. *per ipsos magn. Professores receptis, aliisque quantitatibus forsan solutis, quæ ex legitimis documentis datæ apparebunt.*

Officium porro Judicis est de mercedibus Professorum, & Præceptorum liberalium studiorum extra ordinem jus dicere, & ut Ulpiani verbis utar in *L. 1. ff. de extraord. cognit. Medicorum quoque eadem causa est, quæ Professorum, nisi quod justior; cum hi salutis hominum (si Diis places) illi studiorum curam agant.*

Nec denegandum esse Medicis salarium, viri eruditi autumant, ideo quod ægrotus mortem obiit, modo secundum artis præcepta curam præstitere; ceteroquin eodem Ulpiano teste in *L. 6. §. 7. ff. de offic. Præs.* sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit imputari ei debet: prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium esse non debet. Adeat qui mavult multa de Medicis pernoscere *Samuelem Strikium* in *Differt. II. de Medicis*, quæ prostrat *tom.* 9. operum ejusdem clarissimi viri.

Sebastianus Ricca Act.

In

In causa inter D. Nicolaum, & Abbatem D. Josephum Venusio, & magn. D. Mariam Bozzi Colonna. Die 17. Septembris 1781.

Referente Regio Consil. D. Jo: Baptista Starace:

S. R. C. pronuntiavit: *Medietatem jurispatronatus Ecclesiæ Parochialis S. Petri Barisani, quæ pervenit a qu. Josepho Scalcione, ob deficientiam ejus lineæ spectare, & spectavisse jure non decrescendi D. Josepho Venusio, ac proinde ad eum spectare integrum exercitium ejusdem jurispatronatus: nulla habita ratione donationis respectu dicti jurispatronatus, factæ ab eodem qu. Josepho Scalcione in beneficium D. Horatii Tansi, & alterius donationis ab ipso de Tansi factæ D. Johannæ Mariæ Bozzi Colonna, oppositis non obstantibus. Neutram partem in expensis damnando.*

Reciproca in jurispatronatibus intelligitur discretive in singulis lineis, non autem de linea ad lineam.

Etenim anno 1467. ex Bulla Pontificia Pauli II. eruitur, juspatronatus cum facultate præsentandi fuisse concessum D. Angelo, & Rev. D. Matthæo Ciminelli, suisque heredibus, & legitime descendentibus, pro causis in ea specificatis. Deinde patronatus prædictus confirmatus reperitur in descendentibus dicti Angeli Ciminelli. Anno vero 1614. Portia Ciminelli decreto Curiæ Archiepiscopalis Civitatis Matheræ, præcedente examine declarata de linea, ac descendentia Fundatoris, acquisivit jus præsentandi, qua conjuncta in matrimonio cum Julio Venusio, & extinctis lineis familiæ Ciminelli, ejus heredes uti descendentes a dicta Portia Ciminelli fuerunt in possessione etiam præsentandi, ut constat ex copiis diplomatum possessionum. Demum ex actis, & probationibus apparet, præfatum Abbatem D. Josephum Venusio traxisse originem a prædicta Portia Ciminelli, ac etiam prænarratum juspatronatus fuisse gentilitium descendentale, ex eo quia pertinet ad descendentem de familia juxta dispositionem Fundatoris, non ad extraneos causa donationis. Igitur merito S.C. censuit, medietatem patronatus prædicti ob deficientiam

dicti de Scalcione spectare in beneficium D. Josephi Venusio tamquam descendentis a Fundatore, *argum. L.* 33. *ff. de legat.* 2. *§.* 3. *L.* 5. *quemadmod. testam. aper.*, *&* *L.* 16. *ff. de probat.*, nulla habita ratione donationis factæ in beneficium dictæ D. Johannæ Mariæ Bozzi Colonna, vigore *L.* 55. *de reg. jur.*, ex recepto enim jure, uti demonstrat *Card. de Luca disc.* 35., & *Van-Espen part.* 2. *tit.* 25. reciproca in jurispatronatibus intelligitur discretive in singulis lineis, non autem de linea ad lineam, unde cum juspatronatus in origine sit in una linea, extincta una descendentia, jus nominandi transit in aliam descendentiam ejusdem lineæ, neque ultimus descendens lineæ extinctæ potest de illo in extraneos disponere; ideoque cum extincta fuisset descendentia Angeli Ciminelli in Josepho Scalcione, juspatronatus integrum transit in familiam Venusii, in qua continuatur descendentia ejusdem Angeli, neque potest transire in familiam Tansi, & successive in illam Bozzi Colonna ex donationibus respective, quia juspatronatus non fuit in origine divisum, cum concessum fuit Angelo, & Rev. D. Matthæo Ciminelli, ex quo ultimo cum non poterat aliqua legitima linea formari, concessio intelligitur facta tantum descendentiæ dicti Angeli.

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag.

In causa inter D. Mariam Juliam Gonsalez, & heredes qu. D. Cajetani Falcinelli. Die 18. *Septembris* 1781.

Referente Regio Consiliario D. Petro Patritio.

Fortuita, vel casuali conditione pendente, qualis est, si viro uxor superstes erit, nulla mulieri competit actio vivente viro ad antephatum petendum.

S. R. C. pronuntiavit: *Quod condemnentur heredes qu. D. Cajetani Falcinelli ad solvendum D. Mariæ Juliæ Gonzalez ducatos* 485., *conditionatos tamen, ut collocentur in tutam emptionem pro cautela ejus dotium, & pro observantia aliarum conditionum contentarum in ejus capitulis matrimonialibus; pro quibus duc.* 485. *præstetur assistentia*

super

ſuper bonis in judicio deductis, ad finem adjudicandi, vel vendendi in forma: Pro aliis vero ducatis 42. cauſa antephati prætenſis, heredes prædicti abſolvantur a petitis pro parte dictæ D. Mariæ. Neutram partem in expenſis.

Bona pro ſecuritate dotis murus hypothecata, adjecta conſtitutione precarii, nonniſi interverſa poſſeſſione in alium per venditionem translata fuiſſe intelligi poſſunt. Quare mulieri contra tertium detentorem actio competit ad avocandam poſſeſſionem, ex *L. ult. C. de acquir. poſſ.*, ſive præſtanda ei eſt aſſiſtentia contra tertium poſſeſſorem abſque diſcuſſione principalis debitoris, ex Regis Ferdinandi I. *Prag. I. de aſſiſt.* Nullam vero mulieri actionem competere ad antephatum petendum, vivente viro, ambigi non poteſt, quia illud ſub conditione promiſſum eſt, ſi viro uxor ſuperſtes erit. Conditione vero, præſertim fortuita, vel caſuali pendente, agi non poſſe notiſſimum eſt, *tit. ff. & C. de condit.*

Xaverius Falanga Act. Mag. — Vincentius Tortora Scriba.

In cauſa inter D. Angelum, Nicolaum, & Thomam Apice ſuper hereditate qu. Johannis Apice, Die 18. Septembris 1781.

Referente Reg. Conſ. D. Nilo Malena,

S. R. C. pronuntiavit: *Nullam habendam eſſe rationem prætenſi teſtamenti qu. Doctoris Phyſici D. Joannis Apice, manu Notarii Paſchalis Venditto Terræ Vairani diei 19. menſis Junii anni 1777., ac proinde M.C.V. procedat ad expeditionem decreti præambuli ab inteſtato, auditis omnibus intereſſe habentibus, & interim bona remanſa in hereditate D. Joannis Apice ſequeſtrentur etiam quoad fructus.*

Nuncupare palam non eſt in publicum, ſed ut exaudiri poſſit: Exaudiri autem non ab omnibus, ſed a teſtibus.

Ex probationibus in termino acquiſitis, & præſertim ex fide teſtium, qui interfuerunt teſtamento, ſatis liquet D. Joannem Apice ne verbum quidem expreſſiſſe, teſtamentum illud ſuam continere voluntatem, neque lingua, ac verbis heredem nuncupaſſe, quod ſane in teſtamento

 nun-

nuncupativo lex. omnino requirit, ut ex *Ulp. in L.* 21. *qui testam. facere poss. Heredes palam*, hæc Ulpianus, *itaut exaudiri possint, nuncupandi sunt, licebit ergo testanti vel nuncupare heredem, vel scribere; sed si nuncupat, palam debet: Quid est palam? non utique in publicum, sed ut exaudiri possit: Exaudiri autem non ab omnibus, sed a testibus*. Quod etiam statuit *Imp. Justin.* in *L.* 29. *C. de testam.* illis verbis: *Necesse est testatorem voce exprimere nomen, vel nomina heredum; quæ adeo vera sunt, ut licet aliunde colligi possit, testamentum hujusmodi de testatoris voluntate scriptum fuisse, nihilominus nisi testator, dum testamentum rogatur, aut eam suam voluntatem esse expresserit; aut palam coram testibus heredem nuncupaverit, nullius momenti ea scriptura utpote præparatio ad testamentum, ad effectum non ducta remanet; nec minus ea, quæ fideicommissorum verba habent, peti posse Paulus in* L. ex ea scriptura, qui testamenta facere poss. *ait, imo si testator incæperit heredes nominare, sed unum, & non omnes heredes expresserit, ex tali testamento nihil debetur juxta* Javol. in L. 25. qui testam. facere poss.

Joannes Maria Graziano Act. Mag. — Januarius de Marco Scriba.

In causa paragii constituti a D. Francisco Foschino in beneficium D. Eugeniæ ejus filiæ. Die . . Septembris 1781.

Referente Reg. Consil. D. Josepho Criscenio,

Legitima quandoque usque ad virilem, quandoque etiam minus legitima portione constitui per Regni Consuetudines moris fuit.

S. R. C. pronunciavit: *Paragium constitutum a qu. D. Francisco Foschino in ejus testamento in beneficium D. Eugeniæ ejus filiæ, & ampliatum a magn. D. Philippo Foschino in instrumento anni* 1751. *in ducatis* 5000. *esse augendum ad duc. usque* 6000., *cum interesse ad rationem duc. quatuor pro singulis centum ab hodie. Et quantitates liberatæ, & adsignatæ eidem D. Eugeniæ remaneant compensatæ cum fructibus, & alimentis eidem debitis a die discessus a domo prædicti D. Philippi ejus fratris*.

D.Fran-

D Franciſcus Foſchino dotem Eugeniæ impuberi ejus filiæ in ducatis 2500. teſtamento conſtituit. Deinde vero anno 1751. conventio inter D. Philippum fratrem, atque communem matrem D. Mariam Annam Carfora fuit inita, qua dotes D. Eugeniæ ad duc. uſque 5000. fuerunt adauctæ. Ortis tamen diſſidiis inter D. Eugeniam, & D. Philippum, ſoror ſeorſim vivere, & fratri litem intendere pro aſſequenda virili portione, ſive pro paragio ultra legitimam ſuper bonis parentum inſtituit.

Licet autem bonorum paternorum pretium adamuſſim non liqueret, compertum nihilominus habuit S. C. de quantitate paragii nil eſſe legibus Regni definitum, ſed illius æquam æſtimationem facere, inſpecto nedum valore patrimonii, verum etiam conditione mulieris tenuit Conſuetudo, quæ rerum firmiter judicatarum auctoritate magis invaluit, itaut quandoque ad virilem uſque, quandoque etiam minus legitima portione conſtitui moris fuerit. *L.33. ff. de leg. L.9. ff. ad L. Rhod. L. ſi fund. C. de jure Reip.*
Buonocore Act. Mag. -- Joſeph Narducci Scriba.

In cauſa heredum D. Joannis Lamura, cum heredibus Antonii Toralbi. Die 6. Novembris 1781.

Referente Regio Conſil. D. Baſilio Palmieri.

S. R. C. pronuntiavit: *Syngrapham, ſeu* idiochirum, *ut illud lex appellat, quo D. Joannes Lamura vendidit D. Antonio Toralbi clavos ferreos, cum ſpeciali hypotheca ſuper ipſis clavibus, habendum eſſe publice confectum, eamdemque vim habere, utpote quælibet publica ſcriptura ſuum conſequatur effectum; pro cujus executione heredes dicti qu. D. Joannis præferantur ſuper pretio, quod pervenerit ex venditione reliquorum clavorum ferreorum in præſentiarum exiſtentium, pro reliquis ducatis* 523., *aſſibuſque* 80. *per præfatos heredes conſequendis pro integro pretio prædictorum clavorum per qu. D. Jo: Antonium Toralbi venditorum.*

Scriptura trino teſte ſignata quaſi publice confecta habetur.

Pro-

Profecto certi juris est, scripturam trino teste signatam, quasi publice confectam habendam esse *Imp. Leo* in *L. scripturas* 11. *C. qui potior. in pign. hab.* sancivit; at modo dictam syngrapham tribus testibus fide dignis subscriptam, signatamque fuisse, ex actis liquido comperitur. Igitur publice confectam existimandam esse, jure S.R.C. decernit, sententiatque. Pariterque jus edicit, Ulpiano teste in *L. Procuratoris* 5. *§. sed si dedi* 18. *ff. de tribut. act.* venditorem mercis in creditum non abire, & tributionem locum non habere, cum rem, seu mercem vendiderit, & pepegerit; non aliter esse venditam, nisi soluto pretio, vel fidejussore, seu pignore dato; quod idem est, ac ipsa re sub speciali hypotheca venditori data, seu submissa. Cum ergo qu. D. Joannes Lamura supradictos clavos ferreos vendidisset, superque illis speciali hypotheca sibi cavisset, illorumque portio extet, jure S.R.C. super pretio quod ex illis pervenerit heredes qu. D. Joannis Lamura praeferendos fore censuit.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag. -- Joannes Giordano Scriba.

In causa D. Rosa Baccicalupo, cum D. Stephano de Turris. Die 18. *Novembris* 1780.

Ad relationem Regii Consil. Marchionis Porcinari.

Conditio legato adposita, bonis moribus adversa, rejicienda est.

S.R.C. declaravit: *Nulla habita ratione conditionis adjectae in testamento qu. D. Agathae Baccicalupo, licere magn. D. Rosae Baccicalupo habitare cum magn. D. Josepho ejus fratre, & retinere usumfructum eidem relictum per praefatam qu. D. Agatham ipsius sororem.*

Conditio legato ususfructus a sorore alteri adjecta, ne cum fratre habitaret atque moraretur, utpote bonis moribus adversa, contra charitatem, quae inter conjunctos habenda est, & contra legatariae senio affectae utilitatem, rejicienda erat, ex *L. conditiones, L. filius ff. de condit. instit.* & *L.* 5. *C. de instit. & constit.*

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. -- Paschalis Salfanus Scriba.

In

In causa vertente inter Mennam, & Berardinum Jadonisi ex una parte, & Josephum, ac Apolloniam Mantuano ex altera. Die 21. Julii 1781.

Referente Regio Consil. Marchione D. Josepho Mauri.

Per S.R.C. publicata fuit sequens sententia: *Condemnentur Joseph, & Apollonia Mantuano ad relaxandam in beneficium Mennæ, & Berardini Jadonisi filiorum ac heredum qu. Annæ Mariæ Mantuano, & Francisci Antonii, ac Angeli Fischetti filiorum & heredum qu. Candidæ Mantuano, sororis dictæ Annæ Mariæ, filiarum qu. Vincentii Mantuano, medietatem bonorum in actis deductorum, una cum fructibus a die insufflationis vitæ spiritus super judicio olim moto coram qu. Regio Consil. D. Petro Sambiase contra heredes qu. Nicolai Mantuano, liquidandis, pro quorum liquidatione in biduo audiantur Partes: Nempe medietatem territorii vulgo dicti* Lago *tumulorum decem, medietatem territorii nuncupati* S. Marco *tumulorum quindecim, demptis tamen tumulis tribus propria pecunia emptis a qu. Nicolao Mantuano; medietatem territorii dicti* Fratejuorio *tumulorum quinque, medietatem alterius territorii dicti* Mazzapiecori *unius tumuli, verum sint salva jura, si quæ competunt heredibus qu. Nicolai Mantuano circa expensas forsan ab eis erogatas pro obtinenda reintegratione ejusdem territorii; medietatem territorii nuncupati* li Franciuni *tumulorum quatuor, & medietatem domus prope Ecclesiam Archipresbyteralem Terræ Ceppaluni, una cum omnibus aliis membris in actis deductis, verum liceat, & licitum sit dictis Josepho, & Apolloniæ retinere quotam, sive partem eorum bonorum, respondentem in eorum pretio summæ duc. 18. solutorum ex causa medietatis dotium qu. Camillæ Mantuano per qu. Nicolaum Mantuano ejus fratrem, & aliæ summæ duc. septem cum dimidio pariter solutorum Stephano, Sylvestro, Cajetano, & Josepho Mantuano degentibus in Regali Villa Portici, ex causa cessionis jurium, factæ*

Qui valens agere, ab agendo cessavit, nonnisi a die renovati per insufflationem spiritus judicii fructus repetere potest.

hujusmodi repellit nullitatem. Cum itaque ita se res habet, alteram oppositam nullitatem donationis tamquam omnium bonorum, etsi rei singularis, locum sibi non vindicare agnovit S. C. Donatio namque jurispatronatus fuit particularis. Donatio omnium bonorum a jure non reprobatur, quinimo substinetur; rescinditur vero querela inofficiosi pro portione tantum legitima, quæ filio minuitur, vel non remanet, sicuti aperte statuitur in *L. si mater*, *L. si totas*, *C. de inoffic. donat. & toto eod. tit.* Et inofficiosi querelam sive testamenti, vel dotis, & donationis nonnisi intra quinque annos dari, & non ultra, synodalia sunt jura in *L. 34. C. de inoffic. testam. L. fin. C. de inoffic. donat.*, itaut ob lapsum longi temporis a die mortis D. Theresiæ, præscriptam esse actionem certo certius est. Neque deducta læsio in donationibus admittitur, cum in contractibus correspectivis venditionis, permutationis, ceterisque similibus obtinere de jure cautum est, communisque docet Doctorum auctoritas, ut testatur inter alios *Card. de Luca de donat. discur. 27.*

Æque deficit D. Francisci Rango altera proposita juris regula ex *causa data*, *causa non secuta* ob promissiones prætensas, a D. Dominico Romeo non impletas: Namque etiamsi probatio facti esset indubia, tamen eidem non opitulatur: Cum non impleta promissio a donatario donatori, jus tribuit ei tantum donationem revocandi ingratitudinis vitio, quia una ex causis ea est revocandi a jure statuta, quæ tamen soli donatori conceditur, posteritati, heredibus, & successoribus vero ejus penitus negatur, sicuti Imp. Justinianus expresse statuit in *L. 1. & ult. C. de revoc. donat.*

Et tandem egit hoc in judicio D. Franciscus Rango caractere donatarii universalis D. Theresiæ Grisoni ejus aviæ vigore instrumenti donationis dici 20. mensis Octobris anni 1736. posterioris donationi ab ipsa D. Theresia factæ D. Dominico Romeo die 29. mensis Augusti 1734., & con-

& confirmationi ejusdem die 15. Januarii 1736., cum jam dominium patronatus donati translatum erat in priorem donatarium, & perfectissimum robur habuit donatio, & confirmatio ab initio ex juris ministerio in *L. traditionibus, C. de pact. Instit. lib. 2. tit. 1. §. per traditionem, & ibid. lib. 2. tit. 7. de donat. §. 2. L. 1. ff. de precario, L. si quis argentum 35. §. fin. C. de donat. L. quod meo, ff. de acquir. possess. Cap. cum venissent, de restit. spoliat., de Franchis decis.* 213., & Doctores passim. Et in consequens D. Francisco donatario posteriori universali nullum jus competere avocandi patronatum, qui jam prius a patrimonio D. Theresiæ justo separatus fuit titulo, ex præcitatis juribus.

Michael Priscolo Act. Mag. -- Bernardus Priscolo Scriba.

In causa Antonii Muollo viri, & legitimi administratoris Annæ Cacace, cum magn. Curatore Montis instituti a qq. Josue, & Hieronymo Cacace. Die 23. Julii 1781.

Referente Regio Consil. Ill. Marchione D. Josepho Mauri,

Per S. R. C. declaratum est: *Non esse deferendum in integrum restitutioni petitæ pro parte magn. Curatoris Montis familiæ Cacace, ac visa supplicatione Antonii Muollo, idem magn. Curator nomine dicti Montis solvat in beneficium ipsius Antonii Muollo, uti viri & legitimi administratoris Annæ Cacace ejus uxoris, reliquos ducatos 24. ad complementum duc. 60., stante solutione aliorum duc. 36. facienda vigore alius sententiæ S.R.C. diei 25. Septembris elapsi anni* 1780.

Dos, uti res privilegiata, deminutionem ex facto alieno pati non potest.

Error præjudicium non affert, imo nec consensum præstat.

Ratio sic decernendi sequens fuit. Puellæ in fundatione Montis fuerunt vocatæ ex propriis personis in fruitione maritagiorum, itaut nulla deminutio, nullum præjudicium ex facto alieno juribus eorum afferri potest. His adde, quod ejus mater in constituendis dotibus Annæ Cacace ejus filiæ ex errore promisit ducatos 36. pro maritagio Montis de Cacace, cum revera dos constabat ex ducatis

catis 60. Nec error matris præjudicium afferre poteſt filiæ in juribus ſuis, nec dos, uti res privilegiata, deminutionem ex facto alieno pati poteſt. Error quippe cum manifeſte detegitur, ut eſt in caſu, de quo agimus, nullum præjudicium litigatoribus afferre poteſt, imo nec conſenſum præſtat; nam qui errat non videtur conſenſiſſe. Sic eleganter Ulpianus in *L. conſenſiſſe 2. ff. de judiciis*, & ubi quiſque agere, vel conveniri debeat ex Juliani ſententia reſpondit, ubi claris verbis ait: *Error enim litigatorum conſenſum non præſtat*. Et in *L. 15. ff. de juriſdict.* nedum idem Julianus explicatur ab eodem Ulpiano, verum etiam rationem addit: *Nam ſi per errorem quid fuerit factum, nihil valebit quod actum eſt, nec conſenſiſſe videtur, cum non conſentiant qui errant. Quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quam error, qui imperitiam detegit?* Quibus adſtipulanrur vulgatiſſimæ juris regulæ in *L. nihil conſenſui 116. de reg. jur.*, & in *L. 57. ff. de oblig. & act.* Pomponius ſtatuit: *In omnibus negotiis ſi error aliquis intervenit, nihil valet quod actum ſit*. Demum error contractum etiam ſtricti juris viriat, ut in *L. 6. §. 1. de offic. Præſ. L. 2. ff. de in integr. reſtit.* cum aliis concordantibus. Vel ſaltem ſexus imbecillitati, & ætati, concurrente etiam errore, quis ſuccurrendum eſſe quoque ope reſtitutionis in integrum negabit?

De Magiſtris Scriba.

In cauſa inter Paſchalem, & alios fratres de Peccerillo, & Thereſiam Groſſo. Die 30. Junii 1781.

Referente Regio Conſil. D. Ferdinando Corradini.

In obſcuris quod veroſimilius eſt inſpici ſolet.

S.R.C. pronuntiavit: *Bene fuiſſe judicatum per M.C.V. in ejus decreto diei 17. Decembris 1779., & male appellatum per Thereſiam Groſſo: Verum ducati 40. ſoluti in vim legati fratribus de Piccirillo imputentur in portionem debitam ipſis fratribus. Neutram partem in expenſis condemnando.* Ratio

Ratio judicandi patet ex decreto M. C. Sed visum fuit S. C. Senatui imputare ducatos 40. per Rosam Grosso legatos suis nepotibus de Piccirillo. Cum enim errore juris lapsa, omnem successionem in propriam sororem suo testamento transtulisset, ac solum ducatos 40. legasset nepotibus, consequens erat præsumptæ menti testatricis non deberi legatum cum portione bonorum antiquorum, de qua ipsa non cogitaverat. *In obscuris enim*, inquit *L.115. ff. de reg. jur.*, *quod verosimilius est inspici solet*, & *L.9. eod. tit.*, *semper in obscuris quod minimum est sequimur*.

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. -- *Joseph Sigismundus Scriba*.

In causa inter Ill. Marchionem D. Jo: Franciscum Xaverium Rota, ac D. Vincentium, & D. Thomam fratres de Ventapane. Die 4. Julii 1781.

Referente Regio Consil. Consultore D. Petro Patritio.

S.R.C. pronuntiavit: *Ill. Marchionem D. Franciscum Xaverium Rota absolvendum esse a petitis pro parte D. Vincentii, & D. Thomæ fratrum de Ventapane. Neutram partem in expensis damnando.*

Non indiget Judicis decreto venditio a testatore præscripta, cui frustra opponitur minor ætas heredis; nec juvat exceptio enormis læsionis, nisi fit ultra dimidium justi pretii, quæ etiam præscribitur ob lapsum 30. annorum.

Frustra Ventapanii nullitatis arguunt ruris venditionem qu. Marchioni Rotæ factam, quod ipsis in minori ætate constitutis ea nonnisi Judicis decretum fieri citra poterat: Quum enim ipsi confiteantur, & ex testamento pateat; eorum patruum mandasse illius ruris venditionem, in ea re Judicis auctoritas necessaria non erat, quia defuncti voluntati est paritum. *L. 1. & L. 3. C. quando decreto opus non est*. Præterea neque rescissioni ex causa enormis læsionis locus esse potest, tum quia læsio ultra justi pretii dimidium, qua rescindi (elapso post minorem ætatem quatriennio) venditio potest, ex *L. 2. & 8. C. de rescind. vend.* nulla intercessit, tum quia actioni ex dictis legibus competenti triginta annorum lapsu præscribitur, *L. 3. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

Xaverius Falanga Act. Mag. -- *Raymundus de Nicola Scriba.*

In

In causa taxæ petita per Doctores Physicos D. Laurentium Pieraldi, & D. Carolum Biondi Civitatis Orbitelli, contra heredes qu. Marchionis Gomez Palomba, in gradu appellationis a Regia Audientia dictæ Civitatis Orbitelli. Die 30. Julii 1781.

Per Dominum Regium Consil. D. Basilium Palmieri Delegatum interinum

Non denegandum medicis salarium eo quod ægrotus mortem obierit,

Fuit provisum & decretum: *Solvendos esse Doctoribus Physicis D. Laurentio Pieraldi, & D. Carolo Biondi scutos* 108. *per Ill. Marchionem D. Henricum Gomez Palomba filium & heredem qu. Ill. Marchionis Gomez Palomba, in bonis hereditariis ejusdem, ex causa laborum erogatorum in infirmitatibus ejusdem, demptis tamen ducatis* 12. *per ipsos magn. Professores receptis, aliisque quantitatibus forsan solutis, quæ ex legitimis documentis datæ apparebunt.*

Officium porro Judicis est de mercedibus Professorum, & Præceptorum liberalium studiorum extra ordinem jus dicere, & ut Ulpiani verbis utar in *L.* 1. *ff. de extraord. cognit. Medicorum quoque eadem causa est, quæ Professorum, nisi quod justior; cum hi salutis hominum (si Diis placet) illi studiorum curam agant.*

Nec denegandum esse Medicis salarium, viri eruditi autumant, ideo quod ægrotus mortem obiit, modo secundum artis præcepta curam præstitere; ceteroquin eodem Ulpiano teste in *L.* 6. *§.* 7. *ff. de offic. Præs.* sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit imputari ei debet: prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium esse non debet. Adeat qui mavult multa de Medicis pernoscere *Samuelem Strikium* in *Dissert. II. de Medicis*, quæ prostrat *tom.* 9. operum ejusdem clarissimi viri.

Sebastianus Ricca Act.

In

In causa inter D. Nicolaum, & Abbatem D. Josephum Venusio, & magn. D. Mariam Bozzi Colonna. Die 17. Septembris 1781.

Referente Regio Consil. D. Jo: Baptista Starace:

S. R. C. pronuntiavit: *Medietatem jurispatronatus Ecclesiæ Parochialis S. Petri Barisani, quæ pervenit a qu. Josepho Scalcione, ob deficientiam ejus lineæ spectare, & spectavisse jure non decrescendi D. Josepho Venusio, ac proinde ad eum spectare integrum exercitium ejusdem jurispatronatus: nulla habita ratione donationis respecta dicti jurispatronatus, factæ ab eodem qu. Josepho Scalcione in beneficium D. Horatii Tansi, & alterius donationis ab ipso de Tansi factæ D. Johannæ Mariæ Bozzi Colonna, oppositis non obstantibus. Neutram partem in expensis damnando.*

Reciproca in jurispatronatibus intelligitur discretive in singulis lineis, non autem de linea ad lineam.

Etenim anno 1467. ex Bulla Pontificia Pauli II. eruitur, juspatronatus cum facultate præsentandi fuisse concessum D. Angelo, & Rev. D. Matthæo Ciminelli, suisque heredibus, & legitime descendentibus, pro causis in ea specificatis. Deinde patronatus prædictus confirmatus reperitur in descendentibus dicti Angeli Ciminelli. Anno vero 1614. Portia Ciminelli decreto Curiæ Archiepiscopalis Civitatis Matheræ, præcedente examine declarata de linea, ac descendentia Fundatoris, acquisivit jus præsentandi, qua conjuncta in matrimonio cum Julio Venusio, & extinctis lineis familiæ Ciminelli, ejus heredes uti descendentes a dicta Portia Ciminelli fuerunt in possessione etiam præsentandi, ut constat ex copiis diplomatum possessionum. Demum ex actis, & probationibus apparet, præfatum Abbatem D. Josephum Venusio traxisse originem a prædicta Portia Ciminelli, ac etiam prænarratum juspatronatus fuisse gentilitium descendentale, ex eo quia pertinet ad descendentem de familia juxta dispositionem Fundatoris, non ad extraneos causa donationis. Igitur merito S.C. censuit, medietatem patronatus prædicti ob deficientiam

dicti de Scalcione spectare in beneficium D. Josephi Venusio tamquam descendentis a Fundatore, *argum. L. 33. ff. de legat. 2. §. 3. L. 5. quemadmod. testam. aper.*, *&* *L. 16. ff. de probat.*, nulla habita ratione donationis factæ in beneficium dictæ D. Johannæ Mariæ Bozzi Colonna, vigore *L. 55. de reg. jur.*, ex recepto enim jure, uti demonstrat *Card. de Luca disc. 35.*, & *Van-Espen part. 2. tit. 25.* reciproca in jurispatronatibus intelligitur discretive in singulis lineis, non autem de linea ad lineam, unde cum juspatronatus in origine sit in una linea, extincta una descendentia, jus nominandi transit in aliam descendentiam ejusdem lineæ, neque ultimus descendens lineæ extinctæ potest de illo in extraneos disponere; ideoque cum extincta fuisset descendentia Angeli Ciminelli in Joscpho Scalcione, juspatronatus integrum transit in familiam Venusii, in qua continuatur descendentia ejusdem Angeli, neque potest transire in familiam Tansi, & successive in illam Bozzi Colonna ex donationibus respective, quia juspatronatus non fuit in origine divisum, cum concessum fuit Angelo, & Rev. D. Matthæo Ciminelli, ex quo ultimo cum non poterat aliqua legitima linea formari, concessio intelligitur facta tantum descendentiæ dicti Angeli.

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag.

In causa inter D. Mariam Juliam Gonsalez, & heredes qu. D. Cajetani Falcinelli. Die 18. Septembris 1781.

Referente Regio Consiliario D. Petro Patritio.

Fortuita, vel casuali conditione pendente, qualis est, si viro uxor superstes erit, nulla mulieri competit actio vivente viro ad antephatum petendum.

S. R. C. pronuntiavit: *Quod condemnentur heredes qu. D. Cajetani Falcinelli ad solvendum D. Mariæ Juliæ Gonzalez ducatos 485., conditionatos tamen, ut collocentur in tutam emptionem pro cautela ejus dotium, & pro observantia aliarum conditionum contentarum in ejus capitulis matrimonialibus; pro quibus duc. 485. præstetur assistentia super*

super bonis in judicio deductis, ad finem adjudicandi, vel vendendi in forma. Pro aliis vero ducatis 42. causa antephati prætensis, heredes prædicti absolvantur a petitis pro parte dictæ D. Mariæ. Neutram partem in expensis.

Bona pro securitate dotis mirus hypothecata, adjecta constitutione precarii, nonnisi interversa possessione in alium per venditionem translata fuisse intelligi possunt. Quare mulieri contra tertium detentorem actio competit ad avocandam possessionem, ex *L. ult. C. de acquir. poss.*, sive præstanda ei est assistentia contra tertium possessorem absque discussione principalis debitoris, ex Regis Ferdinandi I. *Prag. I. de assist.* Nullam vero mulieri actionem competere ad antephatum petendum, vivente viro, ambigi non potest, quia illud sub conditione promissum est, si viro uxor superstes erit. Conditione vero, præsertim fortuita, vel casuali pendente, agi non posse notissimum est, *tit. ff. & C. de condit.*

Xaverius Falanga Act. Mag. — Vincentius Tortora Scriba.

In causa inter D. Angelum, Nicolaum, & Thomam Apice super hereditate qu. Johannis Apice. Die 18. Septembris 1781.

Referente Reg. Cons. D. Nilo Malena,

S. R. C. pronuntiavit: *Nullam habendam esse rationem prætensi testamenti qu. Doctoris Physici D. Joannis Apice, manu Notarii Paschalis Venditto Terræ Vairani diei 19. mensis Junii anni 1777., ac proinde M.C.V. procedat ad expeditionem decreti præambuli ab intestato, auditis omnibus interesse habentibus, & interim bona remansa in hereditate D. Joannis Apice sequestrentur etiam quoad fructus.*

Nuncupare palam non est in publicum, sed ut exaudiri possit: Exaudiri autem non ab omnibus, sed a testibus.

Ex probationibus in termino acquisitis, & præsertim ex fide testium, qui interfuerunt testamento, satis liquet D. Joannem Apice ne verbum quidem expressisse, testamentum illud suam continere voluntatem, neque lingua, ac verbis heredem nuncupasse, quod sane in testamento nun-

nuncupativo lex omnino requirit, ut ex *Ulp. in L.* 21. *qui testam. facere poss. Heredes palam*, hæc Ulpianus, *itaut exaudiri possint, nuncupandi sunt, licebit ergo testanti vel nuncupare heredem, vel scribere; sed si nuncupat, palam debet: Quid est palam? non utique in publicum, sed ut exaudiri possit: Exaudiri autem non ab omnibus, sed a testibus*. Quod etiam statuit *Imp. Justin.* in *L.* 29. *C. de testam.* illis verbis: *Necesse est testatorem voce exprimere nomen, vel nomina heredum; quæ adeo vera sunt, ut licet aliunde colligi possit, testamentum hujusmodi de testatoris voluntate scriptum fuisse, nihilominus nisi testator, dum testamentum rogatur, aut eam suam voluntatem esse expresserit; aut palam coram testibus heredem nuncupaverit, nullius momenti ea scriptura utpote præparatio ad testamentum, ad effectum non ducta remanet; nec minus ea, quæ fideicommissorum verba habent, peti posse Paulus in* L. ex ea scriptura, qui testamenta facere poss. *ait*, *imo si testator incæperit heredes nominare, sed unum, & non omnes heredes expresserit, ex tali testamento nihil debetur juxta* Javol. in L. 25. qui testam. facere poss.

Joannes Maria Graziano Act. Mag. -- Januarius de Marco Scriba.

In causa paragii constituti a D. Francisco Foschino in beneficium D. Eugeniæ ejus filiæ. Die . . Septembris 1781.

Referente Reg. Consil. D. Josepho Criscenio,

Legitima quandoque usque ad virilem, quandoque etiam minus legitima portione constitui per Regni Consuetudines moris fuit.

S. R. C. pronunciavit: *Paragium constitutum a qu. D. Francisco Foschino in ejus testamento in beneficium D. Eugeniæ ejus filiæ, & ampliatum a magn. D. Philippo Foschino in instrumento anni 1751. in ducatis 5000. esse augendum ad duc. usque 6000., cum interesse ad rationem duc. quatuor pro singulis centum ab hodie. Et quantitates liberatæ, & adsignatæ eidem D. Eugeniæ remaneant compensatæ cum fructibus, & alimentis eidem debitis a die discessus a domo prædicti D. Philippi ejus fratris*.

D.Fran-

D. Franciscus Foschino dotem Eugeniæ impuberi ejus filiæ in ducatis 2500. testamento constituit. Deinde vero anno 1751. conventio inter D. Philippum fratrem, atque communem matrem D. Mariam Annam Carfora fuit inita, qua dotes D. Eugeniæ ad duc. usque 5000. fuerunt adauctæ. Ortis tamen dissidiis inter D. Eugeniam, & D. Philippum, soror seorsim vivere, & fratri litem intendere pro assequenda virili portione, sive pro paragio ultra legitimam super bonis parentum instituit.

Licet autem bonorum paternorum pretium adamussim non liqueret, compertum nihilominus habuit S. C. de quantitate paragii nil esse legibus Regni definitum, sed illius æquam æstimationem facere, inspecto nedum valore patrimonii, verum etiam conditione mulieris tenuit Consuetudo, quæ rerum firmiter judicatarum auctoritate magis invaluit, itaut quandoque ad virilem usque, quandoque etiam minus legitima portione constitui moris fuerit. *L.33. ff. de leg. L.9. ff. ad L. Rhod. L. si fund. C. de jure Reip.*
Buonocore Act. Mag. -- Joseph Narducci Scriba.

In causa heredum D. Joannis Lamura, cum heredibus Antonii Toralbi. Die 6. Novembris 1781.

Referente Regio Consil. D. Basilio Palmieri.

S. R. C. pronuntiavit: *Syngrapham, seu idiochirum, ut illud lex appellat, quo D. Joannes Lamura vendidit D. Antonio Toralbi clavos ferreos, cum speciali hypotheca super ipsis clavibus, habendum esse publice confectum, eamdemque vim habere, utpote qualibet publica scriptura suum consequatur effectum; pro cujus executione heredes dicti qu. D. Joannis præferantur super pretio, quod pervenerit ex venditione reliquorum clavorum ferreorum in præsentiarum existentium, pro reliquis ducatis 523., assibusque 80. per præfatos heredes consequendis pro integro pretio prædictorum clavorum per qu. D. Jo: Antonium Toralbi venditorum.* Scriptura trino teste signata quasi publice confecta habetur.

Pro-

Profecto certi juris est, scripturam trino teste signatam, quasi publice confectam habendam esse *Imp. Leo* in *L. scripturas* 11. *C. qui potior. in pign. hab.* sancivit; at modo dictam syngrapham tribus testibus fide dignis subscriptam, signatamque fuisse, ex actis liquido comperitur. Igitur publice confectam existimandam esse, jure S.R.C. decernit, sententiatque. Pariterque jus edicit, Ulpiano teste in *L. Procuratoris* 5. *§. sed si dedi* 18. *ff. de tribut. act.* venditorem mercis in creditum non abire, & tributionem locum non habere, cum rem, seu mercem vendiderit, & pepegerit; non aliter esse venditam, nisi soluto pretio, vel fidejussore, seu pignore dato; quod idem est, ac ipsa re sub speciali hypotheca venditori data, seu submissa. Cum ergo qu. D. Joannes Lamura supradictos clavos ferreos vendidisset, superque illis speciali hypotheca sibi cavisset, illorumque portio extet, jure S.R.C. super pretio quod ex illis pervenerit heredes qu. D. Joannis Lamura præferendos fore censuit.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag. -- Joannes Giordano Scriba.

In causa D. Rosæ Baccicalupo, cum D. Stephano de Turris. Die 18. Novembris 1780.

Ad relationem Regii Consil. Marchionis Porcinari.

Conditio legato adposita, bonis moribus adversa, rejicienda est.

S.R.C. declaravit: *Nulla habita ratione conditionis adjectæ in testamento qu. D. Agathæ Baccicalupo, licere magn. D. Rosæ Baccicalupo habitare cum magn. D. Josepho ejus fratre, & retinere usumfructum eidem relictum per præfatam qu. D. Agatham ipsius sororem.*

Conditio legato ususfructus a sorore alteri adjecta, ne cum fratre habitaret atque moraretur, utpote bonis moribus adversa, contra charitatem, quæ inter conjunctos habenda est, & contra legatariæ senio affectæ utilitatem, rejicienda erat, ex *L. conditiones*, *L. filius ff. de condit. instit.* & *L.* 5. *C. de instit. & constit.*

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. -- Paschalis Salsanus Scriba.

In

In causa vertente inter Mennam, & Berardinum Jadonisi ex una parte, & Josephum, ac Apolloniam Mantuano ex altera. Die 21. Julii 1781.

Referente Regio Consil. Marchione D. Josepho Maari.

Per S.R.C. publicata fuit sequens sententia: *Condemnentur Joseph, & Apollonia Mantuano ad relaxandam in beneficium Mennæ, & Berardini Jadonisi filiorum ac heredum qu. Annæ Mariæ Mantuano, & Francisci Antonii, ac Angeli Fischetti filiorum & heredum qu. Candidæ Mantuano, sororis dictæ Annæ Mariæ, filiarum qu. Vincentii Mantuano, medietatem bonorum in actis deductorum, una cum fructibus a die insufflationis vitæ spiritus super judicio olim moto coram qu. Regio Consil. D. Petro Sambiase contra heredes qu. Nicolai Mantuano, liquidandis, pro quorum liquidatione in biduo audiantur Partes: Nempe medietatem territorii vulgo dicti* Lago *tumulorum decem, medietatem territorii nuncupati* S. Marco *tumulorum quindecim, demptis tamen tumulis tribus propria pecunia emptis a qu. Nicolao Mantuano; medietatem territorii dicti* Fratejuorio *tumulorum quinque, medietatem alterius territorii dicti* Mazzapiecori *unius tumuli, verum sint salva jura, si quæ competunt heredibus qu. Nicolai Mantuano circa expensas forsan ab eis erogatas pro obtinenda reintegratione ejusdem territorii; medietatem territorii nuncupati* li Franciuni *tumulorum quatuor, & medietatem domus prope Ecclesiam Archipresbyteralem Terræ Ceppaluni, una cum omnibus aliis membris in actis deductis, verum liceat, & licitum sit dictis Josepho, & Apolloniæ retinere quotam, sive partem eorum bonorum, respondentem in eorum pretio summæ duc. 18. solutorum ex causa medietatis dotium qu. Camillæ Mantuano per qu. Nicolaum Mantuano ejus fratrem, & aliæ summæ duc. septem cum dimidio pariter solutorum Stephano, Sylvestro, Cajetano, & Josepho Mantuano degentibus in Regali Villa Portici, ex causa cessionis jurium, factæ*

Qui valens agere, ab agendo cessavit, nonnisi a die renovati per insufflationem spiritus judicii fructus repetere potest.

factæ super tumulis sex territorii in loco dicto S. Marco. *Ac proinde procedatur ad divisionem bonorum desuper descriptorum, sive per unum ex Tabulariis S.R.C., prævia buxula eligendum, sive per aliquem Regium Ingegnerium destinandum, prævia lista suspectorum, per Dominum causæ Commissarium, sumptibus communibus, sive demum per Peritos locales communiter eligendos, si Partes consenserint.*

Ratio præsentis sententiæ evincitur ex *duobus titulis ff. & C. familiæ ercisc.*, & *communi dividundo*, quibus cavetur bona hereditaria inter coheredes esse dividenda: ut evenit in casu, de quo agitur, quod hereditas qu. Antonii Mantuano ob mortem Josephi nullis relictis liberis, erat dividenda inter Nicolaum, & Vincentium superstites. Quæ divisio cum non fuisset servata, omnia enim bona remanserunt penes Nicolaum; jure S. R. C. censuit, medietatem illorum filiis & heredibus Vincentii esse deferendam vigore præcitatorum jurium.

Æquissimum quoque Senatus censuit in ordinata divisione, recte faciendas esse deductiones pro justissimis causis in eadem sententia enunciatis, & publicis scripturis comprobatis.

Ac demum respectu fructuum, etsi *Paulus* in *L.56. ff. familiæ ercisc.* statuat: *Non solum in finium regundorum, & familiæ ercisciundæ judicio, præteriti quoque temporis fructus veniunt*; attamen non visum fuit juri consonum, in præsenti judicio omnes fructus præteritos esse præstandos, quoties actor a primo judicio decessit, litemque per annos triginta deseruit, & qui nonnisi in anno 1780. obtenta insufflatione vitæ spiritus, illam novissime instauravit. Sibi igitur imputet actor, qui valens agere, ab agendo cessavit, tamquam malum jus in causa foveret. Unde fructus tantum deberi a die novi judicii S.R.C. censuit *L. cum lite 2. ff. judicatum solvi, L. properandum C. de judiciis, L.13. 15. & 16. ff. eod., L. ult. ff. de procurat., L. 24. ff. quibus ex causis major.*

U.J.D. Franciscus d'Amora Ab. Mag. Michael Spadetta Scriba.

In causa Rev. Canonici D. Archangeli Valente, cum Rev. Canonico D. Honuphrio Tanzarella, Die 5. Novembris 1781.

Referente Reg. Consil. D. Petro Patrizio.

Per S. R. C. fuit decretum: *Juspatronatus Cappellaniæ laicalis sub titulo S. Joannis Evangelistæ in Cathedrali Ecclesia Civitatis Ostunei spectavisse, & spectare ad illos de familia D. Leonardi Valente Civitatis Martinæ, ac proinde stante nominatione facta a dicto D. Leonardo, Canonicus D. Archangelus Valente nominatus immittatur in possessionem bonorum Cappellaniæ prædictæ addictorum cum onere celebrationis missarum, prout ex actis. Neutram partem in expensis.*

Licet desit fundatio laicalis Cappellaniæ, fundationis tamen defectum pro descendentibus ex familia supplet immemorabilis pacifica possessio.

Laicalem Cappellaniam sub titulo S. Joannis Evangelistæ spectare ad personas de Familia Valente, quæ descendit ab Archangelo, & Leonardo Valente ejus filio, evincunt nominationes sive electiones Cappellanorum a majoribus de illa Familia ab immemorabili tempore factæ, qui Cappellani impleto onere missarum, fructus bonorum Cappellaniæ addictorum perceperunt ad annum usque 1728. Licet enim desit fundatio, ex qua jus suum descendentes de ea Familia repetere possent, fundationis tamen defectum ipsa supplet immemorabilis pacifica possessio ad prædictum annum continuata. Cur enim asserendo juri nominandi, sive eligendi Cappellanum, quod temporale totum est, privatæ personæ, minime suffragari dicemus tam diuturnam possessionem, quam vel in asserendo jurepatronatus Ecclesiastici Beneficii, quod spirituali annexum dicimus, personis potentioribus ea opem ferat, immo & sufficiens putetur quinquaginta annorum possessio, ex ipso *Conc. Trid. sess. 25. cap. 29. de reform.* Neque descendentibus de Familia quicquam officere potest, quod Episcopi Ostunenses, nullo interposito decreto, sciverint ea a Canonico Pœnitentiario ex eo anno possi-

possideri, quo Leonardus Valente Martinam domicilium transtulit. Namque, ut alias rationes praetermittamus, pluribus Regum nostrorum edictis, rescriptisque declaratum est, ex quibuscumque in hisce rebus Ordinariorum factis nullum juribus laicorum detrimentum afferri debere, nec laicis ullam, vel centum annorum praescriptionem objici posse.

U. J. D. Franciscus d' Amora Act. Mag.

In causa inter magn. D. Franciscum Antonium, & D. Annangelam Bennati; cum D. Cajetano, & D. Nicolao Bennati, & D. Carmino Capogreco. Die 26. Novembris 1781.

Possessor interpellatus non intelligitur possessor.

ANno 1758. Franciscus Antonius Bennati Civitatis Hyeracii, ejusque filia Annangela supplicatione a S.R.C. petiverunt, ille quidem dimidium bonorum Cajetani Bennati, ac Martiae Alagò avi, atque aviae defunctorum, quae possessa erant a patruelibus suis, Carmini Bennati demortui filiis, & praedium *la Pignara*, quod vendiderant Carmino Capogreco; haec vero, uti heres Antoniae Bennati, amitae paragium, quod ad hanc pertinebat.

Vocati sunt in jus ii omnes, quos adversus agebant. Post personarum legitimationem per praeambulorum documenta, dato termino ordinario, palam factum est, reos, quos actionibus convenerant, non sine dolo in possessionem esse bonorum omnium hereditariorum Cajetani intrusos, occupantes simul hereditatis partem, quae Franciscum Antonium Bennati sequebatur. Constitit item in hereditate Cajetani amplam fuisse domum, praedium *la Pignara*, mobilia, argentum, animalia, aliamque suppellectilem. Quare instituerunt, ut non medietas solum omnium bonorum sibi restitueretur, sed & Carminus Capogreco dimidium praedium, a non domino emptum, sibi cederet una cum fructibus, quum & is in judicium accitus esset. Quum autem nos cura omni, ac religione

ad

ad trutinam perpenderimus & Francisci Antonii, atque Annangelæ, & reorum exceptiones, illas quidem legibus innixas novimus, has vero omni jure destitutas, præter donationem partis quartæ, matrimonii contemplatione, Carmino a Cajetano patre factam, quam haud respuendam placuit. Quod ad paragium Antoniæ Bennati debitum, & per eam Annangelæ ejusdem heredi; anceps minime est, quin solvendum omnino sit a fratribus ambobus in parentum successionem vocatis: quum Fridericus II. Constitutione *Aliquibus*, statuerit, ut filii masculi in successione bonorum, cujuscumque conditionis pater sit, sorores secundum paragium maritent.

Porro venditio prædii *la Pignara*, a filiis Carmini Bennati Carmino Capogreco facta, vitiosa prorsus est, quando vitia possessionum a majoribus contracta perdurant, successoremque auctoris sui culpa comitatur *L.* 11. *C. de adquir. & retin. possess.* Et heres quum in jus omne defuncti succedat, nec ignoratione sua defuncti vitia excludit *L.* 11. *ff. de divers. tempor. præscript.* Ad hæc, Carminus emptor malæ fidei censendus; nam postquam legitime admonitus fuit, aliud cum filiis Carmini Bennati instrumentum de eodem prædio stipulatus est. Quum igitur possessio ejus civiliter usurpata fuerit, solus temporis lapsus sibi prodesse non poterit, *L.* 1. *&* 2. *C. de long. temp. præscript.* Tunc enim legitima est possessio, quum omnium adversariorum silentio, & taciturnitate firmatur; nec possessor interpellatus intelligitur possessor, *L.* 10. *C. de adquir. & retin. possess.* Quapropter his omnibus perpensis,

Referente Reg. Consil. D. Hectore Capyciolatro,

Per S. R. C. decretum fuit: *Deberi filiis & heredibus qu. Francisci Antonii Bennati medietatem trium quartarum bonorum hereditariorum qu. Carmini Bennati, & medietatem omnium bonorum qu. Martiæ Alagò conjugum, una cum fructibus pro quantitate, & tempore liquidandis, pro qua liquidatione in biduo audiantur partes, cum onere tamen*

men solvendi pro rata Annangelæ Bennati paragium debitum qu. Antoniæ Bennati, & cum aliis oneribus legitime debitis. Ac proinde condemnetur Carmelus Capogreco emtor territorii nuncupati la Pignara *ad relaxandum filiis & heredibus qu. Francisci Antonii Bennati medietatem trium quartarum præfati territorii, una cum fructibus, pro quantitate, & tempore liquidandis, pro qua liquidatione terminus alias datus iterum currat, testamentis qu Cajetani, & Hieronymi Bennati, ac instrumento assignationis inito inter Cajetanum, & Carmelum Bennati non obstantibus: Salva provisione facienda super sequestro ceterarum partium ejusdem territorii in qualibet parte termini.*

Bonaventura Benocore Act.Mag. -- Joseph Russo Scriba.

In causa magn. Doctoris Physici D. Laurentii d'Orta, cum D. Josepho d'Orta. Die 15. Decembris 1781.

Referente Regio Consil. Ill. Marchione D. Josepho Mauri.

Fideicommissarius, qui male in fideicommissi administratione versatur, cogitur hereditatem restituere.

Per S.R.C. decretum fuit: *Damnari Rev. D. Josephum d'Orta ad reficiendum suo ære Palatium ab ipso possessum in Casali Curtium Civitatis Capuæ, quod ei pervenerat a qu. Rev. U.J.D. D. Laurentio d'Orta seniore, & agnatitio perpetuo fideicommisso, una cum omnibus aliis ejus bonis ab ipso possessis subjectum, servata forma descriptionis factæ a Regio Architecto D. Francisco de Pompeis in sua relatione. Et respectu deductorum ab ipso Rev. D. Josepho in ejus comparitionibus, quoad novam divisionem ab ipso petitam, sint ei salva jura, si quæ competunt in alio judicio.*

Liquet enim tam ex testamento qu. D. Laurentii senioris anno 1687. confecto, quam ex sententia S.C. anni 1759., quæ cum judicati vim habuerit, veritatis locum obtinet, fideicommissum ab ipso qu. D. Laurentio institutum. Præterea non solum ex instrumento anni 1677. innotescit, Palatium prædictum fuisse a dicto fideicommit-

tente

tente constructum, sed & ex alio instrumento anni 1725., illudque vigore divisionis obtigisse Nicolao ejus ex fratre nepoti, a quo pervenisse ipsi Rev. D. Josepho ejus filio. Quod cum fuisset tam male ab ipso D. Josepho administratum, ut integram minetur ruinam, non ambigi ipsum ad ejus refectionem adigendum: Etenim fideicommissarius, qui male in fideicommissi administratione versatur, restituere hereditatem, etiam ante conditionis eventum, cogitur, *L. 50. ff. ad Sen. Consf. Trebell.*, & ibi *Gotofred.*, nec aliter induci in possessionem fideicommissi, quam post satisdatum, de rebus fideicommissi servandis, *L. 5. C. ut in possess. legat.*; & quam satisdationem nec etiam testatoris præcepto remitti posse, *L. 7. C. eod.*

Demum non esse retractandam divisionem anni 1725. publico instrumento perfectam præsertim exequutive, S.C. censuit, cum divisio vicem emptionis venditionisve obtineat, *L. 1. C. comm. utriusq. judic.*, nec, si læsionem excipias, post divisionis placitum amplius pœnitentiæ locum præberi, jus fasque est, *L. 45. ff. de pact. L. 21. C. eod. L. 15. C. famil. ercisc.*

Bonaventura Benecore Act. Mag. -- Philippus Florino Scriba.

In causa D. Michaelis Longo, cum Ill. heredibus qu. Ill. D. Alphonsi Capano apud acta Patrimonii qu. Nicolai Longo. Die 7. Januarii 1782.

Referente Regio Consil. D. Joanne Pallante.

Per S.R.C. provisum est, *quod executioni mandetur peritia, seu revisio facta per Ill. Primarium S. R. C., ac proinde annuus census in actis deductus reducatur ad annuos ducatos* 121. *a die litis contestatæ*. Jura favent domino directo, quando fatalitate, non culpa deterioratio prædiis censitis acciderit.

Nam ex actis clare constat, ædificium, & membra inferiora suburbani censita qu. Nicolao, & aliis de Longo corrupta, & deperdita fuisse per ruinam ædium nobilium superiorum dictis ædificiis, & membris censitis voluntate domini directi, qui pro derelictis habuit dictas ædes

ædes superiores, & per quarum ruinam depressa fuerunt ædificia, & membra inferiora censita dictis de Longo. Jura autem favent dominis directis, quando clades, seu fatalitas prædia censita deterioraverint, ut habetur in *L. 1. C. de jure emphyt.*, non vero quando culpa, vel causa domini directi deterioratio acciderit.

Falanga Act. Mag. — Basile Scriba.

In causa nonnullorum concurrentium super Monte instituto a qu. Rev. D. Joanne Simone Girardi, cum Doctore Physico D. Joanne Jacobo Girardi. Die 25. Februarii 1782.

Referente Regio Consil. D. Nilo Malena.

Familia nomine parentes, liberi, omnesque propinqui intelliguntur.

Per S.R.C. fuit decretum: *In subsidiis ordinatis, & dispositis a qu. Rev. D. Joanne Simone Girardi fuisse, & esse comprehensos mares, & fœminas descendentes a qu. Jo: Leonardo Girardi etiam per medium fœmineum; ac proinde ipsis deberi subsidia prædicta; verum mares, & fœminæ descendentes per lineam masculinam dicti qu. Jo: Leonardi in concursu cum masculis, & fœminis descendentibus per medium fœmineum, præferantur; & pro annis, in quibus deficiunt descendentes ex masculis & fœminis, ad dicta subsidia admittantur duæ puellæ pauperes Vici Terræ Lauriæ in die festo S. Mariæ ad Nives, eligendæ, una nempe a D. Jo: Jacobo Girardi, ejusque heredibus & successoribus, altera ab hodierno, & Cappellanis pro tempore, & tam dictus D. Jo: Jacobus, quam hodiernus Cappellanus reddant rationes fructuum bonorum dictis subsidiis addictorum infra menses duos, quo termino elapso, & rationibus non redditis, providebitur, quod compellantur, & quod fiat sequestrum bonorum prædictorum. Nil in expensis.*

Quum enim qu. Rev. D. Jo: Simon Girardi nuncupativo testamento condito sub die 14. Octobris 1750. manu Notarii Jo: Andreæ Majorini Terræ Lauriæ heredem ex asse instituisset Jo: Leonardum Girardi fratrem, ex revocata

cata donatione facta sub die 7. Decembris 1634. per instrumentum rogatum manu ejusdem Notarii ad familiæ suæ statum conservandum Montem ordinasset ex annuis redditibus in eodem testamento descriptis sub administratione Cappellani eligendi per dictum Jo: Leonardum, & per ejus heredes, ut reditus prædicti per triennium tantum erogarentur pro subsidiis favore masculorum descendentium ex eodem Jo: Leonardo, qui studiis vacaverit, & fœminarum ab eo descendentium occasione nuptiarum in perpetuum, & his in singulis annis deficientibus, vocasset mares, & fœminas descendentes a Jo: Matthæo Girardi usque ad quartum gradum, occasione studiorum, & nuptiarum respective, hisce tandem neque extantibus, jussisset, ut quotannis reditus dividerentur pro dote duarum puellarum egenarum de Suburbio ejusdem Terræ, eligendarum in die festo S. Mariæ ad Nives a Cappellano pro tempore, & ab ejus herede, & heredis heredibus; extinctis descendentibus usque ad quartum gradum a Jo: Matthæo Girardi, lis orta fuit in annis 1754. & 1755. inter descendentes agnatos, & descendentes cognatos a prædicto Jo: Leonardo, utrum scilicet agnati, agnatæque tantum, exclusis omnino cognatis, an vero cum agnatis etiam cognati, cognatæque in enunciatis casibus forent admittendi, & dato, ac expleto termino probatorio, S. R. C. re sedulo perpensa censuit, sub nomine descendentium tam agnatos, quam cognatos fuisse a testatore vocatos, cum prælatione tamen agnatorum, casu concursus, liberorum enim appellatione continentur omnes sive virilis, sive fœminini sexus, sicut & ex fœmineo sexu descendentes, ex *Ulpiano* in *L. cognoscere 56. de verb. signif.* & in *L. inter liberos 15. de pollicit.* Nil prorsus obstante, testatorem Montem instituisse pro statu familiæ suæ conservando; nam familiæ nomen talem habet vigorem, ut parentes, liberi, omnesque propinqui per hanc appellationem significentur, ex *Justiniano* in *L. fin. C. de verb. signif.*

signif. Quod magis procedit, ubi nullus sit habitus de agnatis sermo, nulla familiæ Girardi contemplatio, nulla descendentium ex fœminis exclusio in testamento dignoscantur, & ubi nullum majus lucrum agnatorum habeatur, si cognati a subsidiis revocantur. Hoc ipsum denique satis dilucide eruitur ex testatoris expressa declaratione, quæ fassus fuit Margaritæ Majorino descendenti per fœminam a Jo: Matthæo Girardi vigore suæ dispositionis, deficientibus agnatis, dandum esse subsidium, jussitque ob amorem erga ipsam, præstandum ei esse, agnatis etiam existentibus.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag. — Michael Spadetta Scriba.

In causa inter magn. Caratorem Montis instituti per qu. D. Decium Pellegrino, cum D. Antonio Cepulli. Die 4. Februarii 1782.

Ad relationem Regii Consil. Marchionis Porcinari.

Ordinata conservatio bonorum in familia inducit fideicommissum, sed tantummodo intra terminos expressos a testatore constitutos.

Per S. R. C. fuit decretum: *Condemnandum esse magn. D. Antonium Cepulli ad relaxandum in beneficium Montis instituti per qu. magn. D. Decium Pellegrino in ejus testamento, rus in actis deductum, una cum fructibus a die præsentis sententiæ. Neutram partem in expensis.*

Rus enim prædictum in instrumento inito die 23. Februarii anni 1663. fuit a Camillo Pellegrino donatum qu. D. Decio Pellegrino ejus ex fratre nepoti, ea voluntatis significatione, ut servari, ac augeri etiam posset in familia qu. Alexandri Pellegrino ipsius patris, vel saltem in familia Pellegrino, originem ex Civitate Bononiæ trahente, his siquidem conceptis verbis: *Sperando, e desiderando, che si abbia a conservare, ed aumentare, e mantenere nella famiglia di detto qu. Alesandro suo padre, o almeno nella famiglia Pellegrino discesa da Bologna.* Qua de re vetuit alienationem infra annos centum, excurrendos a die mortis ipsius Camilli donantis, quo nempe eadem bona servarentur in dicta familia Pellegrino, quæ suos

ſuos tranſtulerat lares ex Civitate Bononiæ, vocatis filiis, ac deſcendentibus maſculis præfati qu. Decii donatarii, ac ipſius filiabus, ſub conditione tamen, qua Decius ipſe deficeret abſque filiis, & deſcendentibus maſculis. Tradidit inſuper eidem Decio, ſuiſque ſucceſſoribus facultatem diſponendi, ſive in vita, ſive in morte favore cujuſcumque ex eadem familia, vel nati, vel in ventre prægnante exiſtentis, dummodo tamen non impediti proli legitimæ & naturali ſuſcipiendæ; qua nominatione non facta, vocavit proximiores ab inteſtato ejuſdem familiæ, & majoris ætatis inter perſonas ejuſdem gradus, excluſiſque inſuper iis ex eadem familia, qui bona prædicta quæſiviſſent, & ex poſt facto, ac temporis aliquo tractu ſe proli inhabiles reddidiſſent: adjecitque demum ſubſtitutionem in ædificio rurali favore Ven. Eccleſiæ Parochialis Suburbii de Caſapullo pro habitatione ejus Curati, eo tantum caſu, quo infra centum annos deficeret ipſa familia, vel ſi ultimus Poſſeſſor ejuſdem familiæ, qui bona obtinuiſſet ante centum annos, ſuperexiſteret, etiam poſt decurſum centum annorum, ac in ipſo integra deficeret familia.

Ex eodem Decio donatario tres extiterunt filii, nempe D. Alexander, D. Joanna, & D. Anna, qui quidem in ultimis conſtitutus, inſtituit in ejus teſtamento ſcripto die 2. Septembris 1707. ſuum heredem D. Alexandrum, relicta dote duc. 5000. unicuique ex prædictis filiabus: ſejunxit tamen ex hereditate rus prædictum in Suburbio de Caſapullo, palatium ſitum in Civitate Capuæ, aliud rus modiorum centumviginti, ac aliud territorium modiorum quinquaginta in pertinentiis ejuſdem Civitatis, eaque titulo donationis, exequendæ poſt ejus obitum, addixit perpetuo majoratui favore primogeniti ex dicto D. Alexandro naſcituri, ejuſque primogenitorum maſculorum exinde deſcendentium, fœminis prorſus excluſis. Deficientibus vero maſculis, ſubjecit eadem corpora Monti erigendo, ſub nomine ipſius Decii, in quo vocavit D. An-

dream, & D.Nicolaum Pellegrino ejus respective fratrem, ac nepotem, eorumque descendentes primogenitos; post quos vocavit insuper proximiores primogenitos ex stipite, & familia qu. Pompei Pellegrino, præcipiens inter singulos primogenitos fructuum distributionem, fœminis pariter exclusis: ac demum, deficientibus omnibus primogenitis ex prædictis lineis masculinis, admisit primogenitos ex lineis fœmininis. Juxta prænarratum testamentum, præfato D. Alexandro adhuc impubere, fuit, petentibus ipsius tutoribus, interpositum anno 1707. per M. C. V. decretum præambuli, *cum oneribus*, *vinculis*, *conditionibus*, *substitutionibus*, *fideicommissis*, *& majoratu in testamento contentis*: effectusque deinde major idem D. Alexander retinuit omnia bona paterna, se se pro herede gerendo usque ad annum 1757.; quo demum tempore senior jam effectus, ac in cælibatu adhuc existens, in quo etiam obiit, obtinuit a M.C.V. super rure subjecto fideicommisso a præfato qu. Camillo, decretum spectavisse, & spectare. Hinc morti jam proximus prædictus D. Alexander, in ejus testamento condito die 21. Octobris 1764., elapsis jam centum annis a die obitus præfati qu. Camilli, legavit rus prædictum Suburbii de Casapullo D. Joannæ Pellegrino ejus sorori: qua exinde e vivis sublata anno 1777., extitit ipsius heres D.Antonius Cepullo ejus filius, in quem fuit translatum judicium jam prius in S.C. cœptum super pertinentia præfati ruris qu. Camilli Pellegrino. In quo quidem judicio petita antea fuerat usque ab anno 1760. a qu.D.Gaspare Pellegrino prædicti ruris spectantia, vigore ejusdem donationis, ac fideicommissi qu. Camilli, in vivis adhuc tunc temporis existente prædicto D. Alexandro, ob modum suscipiendæ legitimæ prolis per ipsum non impletum, deinde prosequutum ipsum etiam spectantiæ judicium a D.Pompeo Pellegrino post mortem prædicti D. Gasparis ejus patris, quo tempore fato functus jam erat prædictus D. Alexander. Ac postmodum, data

dato per S.C. Curatore pro tuendis juribus Montis instituti a prædicto qu. D.Decio, novissima supplicatione ejusdem Curatoris, fuit ejusdem ruris de Casapullo petita spectantia in beneficium præfati Montis, nedum vigore testamenti prædicti D. Decii, verum etiam ex voluntate, sive expressa, sive tacita in fideicommisso ipsius qu. Camilli comprehensa. Prædictis tamen spectantiæ actionibus sese opponentibus prius præfata D. Joanna, & postea prædicto D. Antonio Cepulli, factaque per S.C. provisione super possessorio in beneficium prædictæ D. Joannæ, quo tempore ipsa in humanis adhuc supererat, fuit deinde compilatum judicium super petitorio pro parte tam præfati D.Pompei, quam Curatoris Montis, ac in eorumdem judiciorum expeditione, censuit S. C. esse judicandum pro spectantia præcitati ruris in pertinentiis de Casapullo in beneficium prædicti Montis qu. D. Decii Pellegrino, juxta suprascriptam sententiam.

In prædictis siquidem judiciis de duobus fuit disceptatum. Primo, an fideicommissum a qu. Clerico Camillo in ejus donatione institutum, esset perpetuum, & ultra cursum centum annorum, ita ut ad illud vocatus dijudicari posset in præsentiarum D.Pompeus Pellegrino, filius D. Gasparis, defectis jam filiis, ac descendentibus qu. D. Decii, fratris utrinque conjuncti qu. Jo: Baptistæ Pellegrino, abavi prædicti D Pompei, fideicommissum petentis, vel potius ex lapsu centum annorum, vivente adhuc D. Alexandro, censeri debuisset extinctum fideicommissum, & exinde territorium in judicio deductum effectum esse liberum, riteque propterea legatum ab eodem D. Alexandro in beneficium qu. D.Joannæ Pellegrino ejus sororis utrinque conjunctæ. Secundo disputatum fuit de viribus testamenti prædicti qu. D.Decii respectu tantummodo territorii in actis deducti, an scilicet rite justeque idem D. Decius, non obstante fideicommisso præfati qu. Camilli, disponere de eodem territorio potuisset in beneficium fi-

liorum ex præfato D. Alexandro ipsius filio procreandorum, eorumque descendentium, iisque deficientibus, in beneficium Montis per eumdem D. Decium instituti pro familia Pellegrino.

Quoad primum, ex ipso donationis instrumento, & ex verbis ejusdem donationis facilis fuit resolutio: Dictus enim Camillus expresse vetuit ruris in donatione comprehensi, durante cursu centum annorum, alienationem, ut saltem infra idem tempus centum annorum servaretur in familia. Insuper, tam in periodo incipiente: *Item, che fra lo spazio di cento anni li suddetti &c.*; & in alio periodo: *Item, che fra li detti cento anni, o trovandosi finiti &c.* donator iterum suam patefecit voluntatem, fore extinguendum prætensum fideicommissum intra spatium centum annorum. Cum ergo verba sint clara pro fideicommisso temporali, nulla est admittenda voluntatis quæstio, *L. ille, aut ille 25. §. cum in verbis de leg. 3.*: quod eo magis admittendum est in proposita disceptatione, quia contraria interpretatio insuper deducitur ex conservatione bonorum ordinata in familia; hæc enim conservatio inducere fideicommissum in dubium non vocatur; sed inducit tantummodo intra terminos expressos a testatore constitutos. Contemplavit profecto familiam, eamque dilexit, sed dilexit, & contemplavit infra centum annos. Et id confirmatur etiam ex dicto ultimo periodo, ut supra citato, in quo, defecta familia, vocavit Ecclesiam Parochialem; quam tamen non vocavit in omni futuro eventu familiæ deficientis, sed tantummodo, si familia deficeret intra spatium eorumdem centum annorum, vel deficeret post lapsum centum annorum, in persona tamen ultimi possessoris, qui ad fruitionem prædicti territorii admissus fuisset intra spatium eorundem centum annorum: adeoque si Ecclesia Parochialis, ultimo loco substituta, non vocatur post cursum centum annorum, multo minus ceteri de eadem familia vocati censeri possunt post lapsum dictorum centum annorum.

Quoad

Quoad secundum; Clare ex testamento qu. Decii dignoscitur Montis vocatio in defectum filiorum nasciturorum ex qu. Alexandro ejus filio. Præfatus enim Camillus in præcitato instrumento donationis, tribuit eidem Decio, & ejus successoribus facultatem disponendi *a favore di chi li piacerà di detta famiglia, o nato, o in ventre pregnante*. Eadem ipsa facultate rite usus est idem D.Decius. Vocavit siquidem filios nascituros dicti D. Alexandri ipsius filii, ejusque descendentes masculos, & in eorum defectu, erexit Montem in beneficium descendentium ex Pompeo seniore ejus patre, cujus Montis modo persona legitima est magn. Curator U.J.D. D. Belisarius de Bellis.

Opponebatur tamen, facultatem a Camillo concessam disponendi favore cujuslibet ex familia, intelligendam esse tantummodo in beneficium aliorum agnatorum, juxta *text. in L. heredes mei 57. §. peto de te ff. ad Trebell.*, & in *L. cum pater 77. §. a te peto 32. de legat.* 2. Decius vero, posthabito Alexandro filio, vocavit ejusdem filios nascituros, ac in eorum defectu, substituit agnatos familiæ; unde arguebatur ob inutilem nominationem, sive dispositionem a Decio factam, territorium prædictum pervenisse ad Alexandrum ejus filium, ac in ejus manibus liberum effectum fuisse; atque proinde licite ab eodem legatum prædictæ Joannæ. Sed pro objectionis solutione animadvertendum est, in dictis §§. speciem proponi de patre, vel matre disponentibus; quorum ex pietatis, & affectionis conjectura præsumitur, ordinatam fuisse dispositionem primo pro filiis, postea vero pro agnatis, sive consanguineis. Quæ quidem ratio patet ex dicto *§. peto de te ad Sen. Conf. Trebell.* ibi: *Inter filios respondi, substitutionem fideicommissi factam videri, sed quoad nepotes, ceterosque cognatos facultatem eligendi datam:* Unde patet liquido differentia inter filios, aliosque agnatos; nam sicut inter filios dicitur adesse fideicommissum, ita e contra, inter alios consanguineos censetur data facultas eligendi. In dicto

cto §. *peto de te ad Trebell.* proponuntur filii; & inde nepotes, ibi; *hereditatem meam restituas filiis meis, vel uni eorum, vel nepotibus meis, vel cui volueris*, prout etiam in dicto §. *a te peto ff. de leg.* 2. species scripta est: *A te peto; marite, si quid liberorum habueris, illis prædia relinquas, vel si non habueris, tuis, sive meis propinquis, aut etiam libertis nostris, non esse datam electionem, sed ordinem scripturæ factum substitutioni, respondi.* In nostra tamen specie præfatus qu. Camillus non erat neque parens, neque adscendens, & propterea pari amore, atque affectione prosequebatur Alexandrum, filium Decii, ac Pompeum, filium Jo: Baptistæ æque ex fratre nepotes. Præterea facultas disponendi non fuit Decio tributa relative ad ejus filios, & descendentes nominatim, ac specifice, sed generaliter ad agnatos ex familia, ibi; *disponere a favore di chi li piacerà di detta famiglia*. Adeoque cum agatur de Camillo, non adscendente, sed collaterali, & de effrænata, ac libera facultate disponendi, minime inferri potest, D. Decium adstrictum fuisse ad servandum prætensum ordinem charitatis, eligendi scilicet prius filios, & postea adgnatos; sed pro libitu libere poterat, omissis filiis, eligere remotiores, juxta *text. L. unum ex familia 67. §. si de falcidia* 1. *ff. de legat.* 2. ibi: *Itaque si cum forte tres ex familia essent ejus, qui fideicommissum relinquit, eodem, vel dispari gradu, satis erit, uni reliquisse: Nam postquam paritum est voluntati, ceteri conditione deficiunt.* Nec obstat, quod idem Decius speciatim non fuerit usus dicta facultate; quia ex ejus interventu in instrumento donationis, jam ipse sciebat, rus prædictum quæsiisse ex eadem donatione dicti Camilli, & juxta leges in donatione scriptas; sciens igitur prudens nominatim de eodem rure disposuit in beneficium dicti Montis. Neque etiam adversatur, quod idem Decius haud poterat gravare immediate ab eo nominatum in beneficium aliorum futurorum vocatorum, juxta *text. in ead. L. unum ex familia 67. ff. de*

ff. de leg. 2.; quia hoc non reddit irritam ipsius Decii dispositionem, sed tantummodo primus nominatus poterat respuere onus, ac libere, juxta citatam legem, territorium habere; quod profecto non evenit, nam nullus ex D. Alexandro exortus fuit filius, qui fuisset primo vocatus in majoratu. His omnibus accedit, quod prædictus Alexander fuit heres in reliquis bonis ejusdem Decii sui patris, cujus agnovit testamentum, sese pro herede gerendo, post majorem ætatem usque ad annum 1757. Cumque in dubium haud revocari possit, valide per testatorem legari posse rem heredis, potissimum si scienter legaverit, ex *textu in dicta L. unum ex familia* 67. *§. si rem tuam* 8. *de legat.* 2., atque pariter minime inficiari possit, vocatum in fideicommisso teneri ad præstandum factum sui auctoris, tamquam heredem, & quatenus vires hereditatis suppetant; clare hinc consequitur, eundem D. Alexandrum filium ac heredem D. Decii nulliter legasse prædium, per ejus patrem Monti subjectum, juxta *L. cum a matre* 14. *C. de reivind.*, *& L. filiusfam.* 114. *§. sed &* 16. *de leg.* 2. Neque demum omittendum est, voluntatem qu. Camilli donantis fuisse, quod prædium nedum servaretur, sed etiam augeretur in familia. Decius vero in familia servavit prædium ipsum, illudque auxit in Monte ab ipso instituto, adjiciendo duo alia prædia, ac palatium; & hac de re justa ratione putandum est, minime voluntatem qu. Camilli donantis refragare, aut obstare dispositioni per Decium factæ in Montis erectione pro familia; nullimodo etiam obstante postrema contemplatione masculorum ex fœminis in eodem Monte; quia ipsi fuerunt vocati in defectum omnium masculorum de familia; ac proinde nullum ipsi agnationi illatum censeri debet præjudicium.

Victum denique ad litis expensas damnare S. C. abstinuit, eum satis justam litigandi causam habuerit, qui de voluntate defunctorum contendit, & in possessorio Magistratus decretum obtinuerat.

U.J.D. Basilius Basile Act. Mag. -- Andreas Ripoli Scriba.

In causa D. Valerii Gomez Cardosa, cum Gubernatoribus Cappellæ SS. Assumptionis Nationis Catalanorum. Die 2. Martii 1782.

Referente Regio Consil. D. Basilio Palmieri.

Locus est conditioni pecuniæ causa datæ, causa non secuta.

Per S. R. C. visis legato facto per qu. D. Franciscam de Leon, exscripto in instrumento diei 16. Novembris 1646., ac conventione in eodem instrumento pacta inter Consulem, & Gubernatores Cappellæ S. Mariæ Assumptæ Nationis Catalanorum, collocatæ in Regali Ecclesia S. Jacobi Hispanorum hujus Civitatis, cum Cappellano majore ipsius Regalis Ecclesiæ D. Didaco Gomez Cardosa, & Cappellano Alvaro de Aquilar Hispano Procuratore Alvari de Espeno, qua exsoluti fuerunt dictis Consuli, & Gubernatoribus ducati 1700., pro quibus ab hisce fuit facta venditio annuorum duc. 144. super fructibus, seu redditibus domus in præfato instrumento descriptæ, pro quibus annuis duc. 144. sese nomine prædicto obstrinxerunt in perpetuum celebrare facere & curare missas duas qualibet die in dicta Cappella per duos Sacerdotes eligendos, unum nempe per eosdemmet Gomez Cardosa, & de Espeno, eorumque heredes & successores in perpetuum, alium vero per Gubernatores pro tempore futuros, statuta eleemosina, sive stipendio, vel honorario ducatorum 50. per quemlibet, relictis ceteris duc. 44. in beneficium dictæ Cappellæ, cum pactis tamen in eodem instrumento contentis: Visisque pariter fide alterius instrumenti diei 29. Novembris 1677., testium depositionibus in termino per D. Valerium Gomez Cardosa productis, fidibus præambuli, ac ceteris scripturis per utramque partem in actis exhibitis; fuit lata sequens sententia: *Ex quo Gubernatores pro tempore antedictæ Cappellæ non adimpleverunt conventis, neque curaverunt continuam celebrationem missæ quotidianæ per Cappellanum ab eisdem eligendum, immo contra jus pactumque defecerunt nedum ab adimplemento præfatæ celebrationis,*

nis, verum etiam ab appositione tabellæ, inque ea missarum prædictarum descriptione; licere eapropter D. Valerio Gomez Cardosa nedum auferre celebrationem prædictarum missarum a dicta Cappella, illamque curare adimplendam in alia Ecclesia, verum etiam debere Gubernatores ejusdemmet Cappellæ reficere omnia damna, & expensas. At ne in Ecclesia tam præclara deficiat numerus missarum; Cappellaniæ prædictæ expleantur in eademmet Cappella, & ad hoc ut missæ tutius, securiusque celebrentur, ambi Cappellani nominentur per præfatum D. Valerium Gomez Cardosa, ejusque heredes & successores, cum eleemosina, sive stipendio duc. 50. anno quolibet per quemlibet Cappellanum, exsolvendorum menstruorum per Gubernatores, pro quibus fiat assignamentum super pensionibus, & redditibus supradictæ domus. Perpensa denique supplicatione per Gubernatores prædictos porrecta, annui ducati 144. reducantur ad annuos duc. 100., etiam habito respectu ad annuos duc. 44. per Cappellam Nationis Catalanorum sibi appropriatos ab anno 1645. hucusque absque ullo onere.

Duxit profecto S.R.C. supra exaratam sententiam proferre, atque dicere, quia ex instrumentis annorum 1646. & 1677. in comperto est, ducatos 1700. exsolutos fuisse Gubernatoribus, sive Consulibus Cappellæ S. Mariæ Assumptionis Nationis Catalanorum, atque illorum annuos redditus ducatorum 144. iisdem Gubernatoribus, Consulibusque cessos, adsignatosque fuisse pro Sacris adimplendis, missisque duabus qualibet die in eademmet Cappella celebrandis, atque explendis. Igitur pecunia data fuit, acceptaque ob causam celebrationis quotidie in perpetuum duarum missarum. Liquet porro ex actis in antecessum descriptis, designatisque adimpletam non fuisse celebrationem missarum earum, implementum quarum per eosdem Gubernatores curandum erat, ceteroquin ex pacto adjecto licere heredibus de Gomez Cardosa celebrationem missarum a dicta Cappella auferre, & cuicumque Ecclesiæ addi-

addicere, eosque ad exsolvendos annuos ducatos 144. cogere, atque compellere. Statuit profecto juris œconomia, condictioni pecuniæ causa datæ esse locum, causa non sequuta, adimpletaque; prostat sane in *Libro duodecimo Pandectarum Titulus IV. de condictione causa data, causa non sequuta*, ibique Juliani Jurisconsulti responsum exscribitur in *L. si heres* 11., quo cavetur æqui, bonique juris esse condicere, seu repetere pecuniam datam pro monumento faciendo, monumento non facto; extatque pariter in *Lib.* 4. *Codicis Titulus integer sextus de condictione ob causam datorum, in quo Imperatores Antoninus, Alexanter Severus, Valerianus, & Gallienus, atque Diocletianus, & Maximianus* idem jus sancivere: hi porro præcipue rescripserunt, quæ sequuntur cuidam *Flaviano*: *dictam legem donationi, si non impossibilem contineat causam, ab eo qui hanc suscepit, non impletam, condictioni facere locum, juris dictat disciplina: Quapropter si titulo liberalitatis res tuas in sponsam conferendo, certam dixisti legem, nec huic illa cum posset, paruit, successores ipsius de repetendis quæ dederas, si hoc tibi placuerit, convenire non prohiberis:* Extat hoc rescriptum in *L.* 8. *C. eod. tit.* At ne pœnam pateretur Regalis Ecclesia S. Jacobi culpa Gubernatorum prædictorum commissam, æquius censuit S. R. C. missarum celebrationem ab ea non esse auferendam; verum ut in posterum firmo talo, securiusque staret missarum celebratio, nominationem utriusque Cappellani D. Valerio Gomez Cardosa addixit, adjudicavitque, atque adsignamentum duc. 50. quotis annis exsolvendorum pro quolibet Cappellano super præcipuis redditibus domus in actis deductæ decrevit, mandavitque.

Joannes Maria Graziano Act. Mag. -- *Jannarius de Marco Scriba.*

In causa D. Alphonsi de Drago, cum Rev. Canonico D. Francisco Paulo Belliporio, ac D. Josepho Natale Mastrangelo Civitatis Polimniani. Die 23. Martii 1782.

Referente Regio Consil. D. Basilio Palmieri.

Per S.R.C. lata fuit sequens definitiva sententia: *Juspatronatus fundatum, institutumque a qu. Rev. D. Alphonso de Donato instrumento diei 14. mensis Septembris anni 1652., auctumque ejus testamento diei 17. mensis Novembris anni 1682., ob deficientiam, atque extinctionem lineæ masculinæ descendentis a qu. Francisco de Donato germano fratre ipsiusmet Fundatoris in persona qu. Clerici D. Francisci Pauli de Donato, spectavisse, & spectare ad D. Alphonsum de Drago uti successum in locum primogeniti masculi qu. Juliæ Antoniæ de Donato ejus matris, & consequenter tamquam primogenitum masculum descendentem ex linea fœminina prædicti qu. Francisci de Donato, ejusque primogenitos masculos in posterum ab ipsomet descendentes; in omnibus servata forma prælaudatæ fundationis anni 1652., pro cujus effectu Rev. Canonicus D. Franciscus Paulus Bellipario condemnatur ad relaxandum Cappellaniam, & juspatronatus prædictum in beneficium dicti D. Alphonsi, & pro eo in beneficium Rev. D. Vincentii de Drago filii ipsius D. Alphonsi tamquam ab eo nominati in eadem Cappellania; eapropter immittatur in possessionem, seu quasi ejusdem, cum onere tamen Sacra celebrandi, atque adimplendi, & fructus omnes jurispatronatus prædicti percipiendi, servata tamen semper firma lege in fundatione contenta. Neutram partem in expensis.*

Masculus posterius natus præfertur fœminæ anterius natæ, cum Fundator juspatronatus filio primogenito adscribit.

Duxit sane S. R. C. hujuscemodi sententiam dicendam, proferendamque, ut firmo talo, sartaque tecta staret lex a qu. Rev. D. Alphonso de Donato in fundationis jurispatronatus limine descripta, atque mandata, quam tamquam publici juris nemo lædere, neque immutare potis fuit. Præscripsit profecto Fundator, ut in jurepatronatus

Y y 2 per

per eum erecto succederent primogeniti omni ævo descendentes a Francisco de Donato ejus germano fratre, ejusque linea masculina, qua tamen deficiente, statuit ut succederent primogeniti descendentes ex linea fœminea ipsiusmet Francisci; quæque porro linea masculina defecit statim ac mortem obiit Clericus D. Franciscus Paulus de Donato, transivitque eapropter juspatronatus ad qu. Juliam Antoniam de Donato ejus germanam sororem, & ex filio neptem dicti qu. Francisci fratris fundatoris, quæque locum primogenitæ tunc temporis obtinebat. Ex ea quidem progeniti fuere Rev. Archidiaconus D. Nicolaus primogenitus, Camilla secundo nata, Alphonsus tertio natus, & Sophia quarto genita. Sequuto jam obitu Rev. Archidiaconi D. Nicolai, concertatio extitit inter Camillam uti secundo natam, & Alphonsum, qui tametsi fuisset tertio prognatus, qualitatem porro masculinam a Fundatore statutam præseferebat; & quamquam a Curiis Diœcesana, & Metropolitica, judicibus in hujusce causis prorsus jurisdictione carentibus, pro Camilla inscitissime, atque insipide, contraque juris principia, & Fundatoris legem pronunciatum fuisset, jure siquidem merito S. R. C. jurisdictionem sui invictissimi, Augustique Principis vindicando, attentatum dictarum Curiarum prostravit, causamque ad se evocavit. Hic porro termino ordinario impertito, expletoque, S. R. C. sententiam in antecessum exaratam dixit, protulitque. Profecto juris canon est, masculum etiam posterius natum præferri fœminæ primo natæ, cum Fundator juspatronatus filio primogenito adscribit. Missos facimus *Guillelmum Benedicti* in *cap. Rainutius de testamentis verb. in eodem testamento n.* 173. *& seq. Tiraquellum de jure primogenituræ qu.* 10., ceterosque, qui quæstionem hanc sub incudem posuerunt, & solummodo clarissimi viri *Francisci de Roye* verba hic exscribere satius esse existimamus. Ait enim laudatissimus vir in *Proleg. de jure patron. cap.* 9. *Cum Fundator suum juspatronatus primogenito adscripsit*, hoc

hoc de masculo constat intelligendum, itaut filius, vel nepos, & sic deinceps, quantumvis posterior in eo jure, fæminis præfertur, quantumvis natu majoribus, aut primogenitis, & illæ ab eo jure prorsus excluduntur, extantibus masculis, quia primogenitus tum primum, & proprie dicitur de masculino; & paucis interjectis, idem præclarissimus vir apposite ad concertationem nostram differendo, prosequitur: *Si filium habeat, & filiam, solus filius quantumvis natu minor jus illud habebit, & quia primogenitus est, & quia masculus, quod utrumque Fundator exigit*. En igitur qua de causa, quaque juris regula S.R.C. juspatronatus a qu. D. Alphonso de Donato fundatum, & primogenitis descendentibus ex linea fœminea Francisci adscriptum, post extinctam ejusdemmet lineam masculinam, sua sententia duxit addicere Alphonso de Drago, licet posterius nato, eumque præferre Camillæ suæ sorori anterius progenitæ.

Flocci fecit S.R.C. expetitionem Rev. D. Josephi Natalis Mastrangelo, utpote quæ omne studium, omnemque operam fixit super assertam donationem jurispatronatus sibi factam per sæpe dictum D. Franciscum Paulum de Donato, superque testamentum qu. Rev. D. Alphonsi fundatoris. Ajebat porro D. Joseph Natalis, quod licet dictus D. Alphonsus instrumento anni 1652. juspatronatus fundaverit pro primogenitis in perpetuum descendentibus; primo ex linea masculina, deinde ex linea fœminea Francisci; nihilo secius idem Fundator testamenti sui tabulis anni 1682. solemniter factis, fundationem anni 1652. revocando, juspatronatus ex familiari in hereditarium vertit; eapropter præfatus Clericus D. Franciscus Paulus de Donato jure potuit illud utpote hereditarium ipsimet D. Josepho Natali donare.

Hæc sane sic asserta eumdemmet D. Josephum Natalem facto, jureque expertem faciunt, etenim D. Alphonsus fundator non solum juspatronatus instrumento anni 1652.

1652. erectum suis testamenti tabulis non immutavit, verum etiam illud confirmavit, aliisque prædiis auxit. Insuper jus eum fugit, profecto quia testamentis data non est potestas revocandi contractus solemniter stipulatos, minusque fundationes jurispatronatus, quippe quæ cum sint publici juris, a nemine prorsus immutari queunt: leges sane in limine fundationis semel adscriptæ, retrorsum dari vetitum est, nequeuntque convelli. Supervacuum porro existimamus hic exscribere, quæ apposite docent *Antonius Bengeus*, & *Franciscus Pinsonius* viri præclarissimi in *tractatu de Beneficiis, cap. de Canonicis institutionum conditionibus n. 6. & 7.*, & disertissimus, eruditissimusque *Franciscus de Roye* in *Prolegom. de jurepatr. cap. 9.*, satiusque est hic laudare idem S.R.C. utpote quod sic sua solemni sententia diei 26. mensis Januarii anni 1781. servari mandavit, nobis ipsis referentibus, in causa pro D. Eligio Liscari, penes magn. Act. Mag. Basilium Basile, & Scribam Capaldum minorem.

Doct. Eusebius Girardi Act. Maj. -- Benedictus de Vivo Scriba.

In causa D. Paschalis Milone, D. Fortunati Vellante, & Annæ Mariæ Philippæ d'Angelo, cum D. Vita, & D. Marianna, seu D. Anna Maria de Veroni. Die . . mensis Aprilis 1782.

Referente Regio Consiliario D. Petro Patritio.

Scriptura quinque testium subscriptionibus munita, codicillorum nomine, & jure optimo valet.

Per S.R.C. decretum fuit: *Scripturam, seu codicillos factos a qu. Blasio de Veroni fuisse, & esse veros ac validos; ac proinde omnia contenta in codicillis prædictis esse executioni demandanda.*

Blasius de Veronibus scriptura suam ultimam voluntatem eam esse significavit, ut totam supellectilem, immo omnia, quæ domi suæ reperirentur post ejus obitum, tres ejus familiares, qui ei ægroto opera, studioque præsto erant, peræque haberent. Cetera vero bona, quæ in Patria possidebat, heredum ex lege vocatorum essent; idque

que coram pluribus testibus peregit, quorum quinque, præter Tabellionem subscripserunt. Objecere Blasii sorores, eædemque proximiores heredes, scripturam non esse veram, ac etiamsi vera esset, non fuisse subscriptam a quinque testibus coram ipso Blasio, sed a tribus tantum, & aliorum subscriptiones postea fuisse appictas. Sed scripturæ fidem evincunt, ac quinque testium subscriptiones eodem tempore coram dicto Blasio factas esse probant testium dicta in termino summario susceptorum, & qui subscripsere, & qui, licet non subscripserint, præsentes tamen fuerunt, *tot. tit. ff. & C. de testibus*, *& de probat.* Id præterea dubitatum fuit, num ratio haberi possit ejus scripturæ, quæ neque testamentum esset, neque codicillorum, aut donationis causa mortis ullam speciem referret; sed, re perpensa, S. C. censuit, eam codicillorum nomine, & jure optimo valere; sunt enim codicilli minus sollemnis testatorum, intestatorumque voluntas, *L.1. L. si quis 3. L. Divi 6. ff. de jur. codicill.* Apposite Paulus inter codicillos, qui ab eo, qui nullum testamentum habet, fiunt, & alios, qui ad testamentum pertinent, hoc adnotat discrimen: *Intestato patrefamilias mortuo, nihil desiderant codicilli, sed vicem testamenti exhibent; testamento autem facto, jus sequuntur ejus, L. ab intestato 16. ff. eod. tit.* Et Marcianus ait: *Codicillos & plures quis facere potest, & ipsius manu neque scribi, neque signari necesse est, L. Divi 6. §. 1. ff. de jur. codicill.* Hæc tantum ex Theodosii Constitutione servari debent in omni ultima voluntate, excepto testamento, ut quinque testes vel rogati, vel qui fortuito venerint, in uno eodemque tempore adhibeantur, sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur: testibus videlicet, quando in scriptis voluntas componitur, subnotationem suam accommodantibus, *L. ult. §. ult. C. de codicill.* Atque hæc in codicillis, de quibus agitur, minime desiderantur. Quare quum iis non hereditas directo data sit, jure legati, sive fideicommissi relicta debe-

deberi exploratum est, *L. quod per manus* 10. *ff. de jur. codicil. L.* 2. *C. de codicil.* §. 2. *instit. eod. tit. L.* 2. *C. comm. de legat. & fideic.* §. 3. *instit. de leg.*

Euphebius Girardi Act. Mag. — Nicolaus Barletta Scriba.

In causa magn. D. Nicolai Amorosi, cum magn. D. Gregorio Amorosi ejus fratre. Die 20. *Aprilis* 1782.

Referente Regio Consil. Ill. Marchione D. Carolo Cito,

Quidquid pater donat filio propter nuptias, vel filiabus in dotem, conferendum est in divisione hereditatis paternæ.

Per S. R. C. fuit pronunciatum: *Non constare de controventione testamentariæ dispositioni qu. D. Jo: Antonii Amorosi; ac proinde D. Gregorius Amorosi absolvatur ab impetitis per D. Nicolaum ejus fratrem. Verum in divisione bonorum hereditariorum qu. D. Francisci Antonii Amorosi, quæ ex paterna hereditate ei obvenerunt, executioni mandetur substitutio ordinata in testamento dicti qu. D. Jo: Antonii, & in divisione bonorum hereditariorum ipsius D. Jo: Antonii conferantur bona contenta in donatione propter nuptias facta a qu. D. Jo: Antonio in beneficium D. Gregorii ejus filii vigore instrumenti anno* 1740. *inter ipsos confecto; firmis tamen remanentibus prælegatis, & fideicommissis contentis in testamento qu. D. Jo: Antonii. Nil pro expensis.*

Quantum enim ad controventionem testamentariæ dispositioni qu. D. Joannis Antonii allegatam a D. Nicolao Amorosi adversus D. Gregorium ejus fratrem, quum Actor in probatione defecisset, reum esse absolvendum, existimavit S. C. ex *Antonino* in *L. qui accusare* 4. *C. de edendo*, & in *L. possessiones* 2. *C. de probat.* Quumque qu. D. Franciscus Antonius Amorosi dicto instrumento anni 1740. bona ad ipsum perventura ex paterna hereditate propter nuptias donasset D. Gregorio ejus fratri, & D. Joannes Antonius pater filiis ex æquo institutis, reciproce eosdem substituisset, idem D. Franciscus Antonius bona hereditaria patris adeptus fuit cum onere reciprocæ substitutionis inter

inter fratres, & cum eodem onere ad D. Gregorium ejus fratrem eadem bona vigore prædictæ donationis transtulit: propterea S. C. existimavit, in divisione bonorum hereditariorum qu. D. Francisci Antonii esse exequendam substitutionem in testamento patris ordinatam, ut sic tam donatio prædicta favore D. Gregorii, quam reciproca substitutio favore fratrum superstitum tempore obitus ipsius D. Francisci Antonii observentur: *publice enim expedit suprema hominum judicia exitum habere*, ex *Paulo* in *L. vel negare 5. ff. quemadm. testam. aper.*; *& nihil est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium*, ex *Ulpiano* in *L. Prætor 1. ff. si quis omissa causa testam.* cum quamplurimis concordantibus.

Censuit tandem S. C. in divisione bonorum hereditariorum D. Joannis Antonii, facienda inter filios heredes institutos, esse conferenda bona donata a patre in beneficium D. Gregorii ejus filii propter nuptias, nam quidquid pater donat filio propter nuptias, vel filiabus in dotem, esse conferendum in divisione hereditatis paternæ, explorati juris est, ex *Zenone* in *L. quoniam*, *Nov. 29. C. de inoff. testam.*, ex *Leone* in *L. ut liberis 17. C. de collat.*, & ex *Justiniano* in *Auth. cum testamento C. eod.* & in *Nov. de triente, & semisse, cap. 7.*

Quaranta Act.Mag. -- *Carolus Daniele Scriba.*

In causa in gradu appellationis inter D. Joannem Antonium de Labar, cum Vincentio Galatola, & Rosa Palomba. Die 18. Maji 1782.

D. Joannes Antonius de Labar Civitatis Orbitelli ab anno usque 1774. emptionis jure possidebat prædium quoddam vitibus mille & biscentum plantatum, ceterisque fructuum arboribus cultum in districtu S. Stephani, & præcipue in regione nuncupata *il Campone* collocatum, cui

In solutum rei datio quæ fit pro pecunia debita facienda fatis, venditionis vicem gerit, iisdemque juris regulis consistit.

cui porro prædio limitaneum erat, atque est aliud prædium germanorum fratrum de Botti. Rosa vero Palumbo vidua Nicolai de Botti unius ex modo dictis fratribus, cum esset ereditrix ducatorum 60. ejus viri pro dote ipsi soluta, fieri satis petiit ab suis leviris de prædictis ducatis 60.; qui quidem pro satisfaciendis dictis ducatis 60. Rosæ Palumbo debitis, & Nicolao ejus primo viro solutis pro dote ipsiusmet, particulam quamdam eorum prædii limitanei cum supradicto prædio D. Joannis Antonii pro summa ducatorum 60. in solutum dederunt die 12. mensis Decembris 1777. præfatæ Rosæ Palumbo, quæ tunc temporis, etiam infra luctus annum, Vincentio Galatola secundo nupta erat.

Ipsi profecto fratres de Botri die 23. ejusdem mensis Decembris anni 1777. venundederunt D. Joanni Antonio de Labar totum reliquum eorum prædium limitrophum, seu conterminum cum prædio ipsiusmet D. Joannis Antonii pro scutis romanis 250., licet verum pretium fuisset scutorum romanorum 150.

Rosa autem Palumbo, proque ea Vincentius Galatola vir die 13. Julii anni 1778. institit in Regia Audientia Orbitelli, seu Regiorum Etruriæ Præsidiorum, petiitque compellendum fore D. Joannem Antonium de Labar ad relaxandum eidemmet Rosæ jure prothomiseos, seu congrui modo dictum prædium emptum a fratribus de Botti, utpote quod confine erat cum illa particula ejusdem prædii, quæ nuperrime ipsimet Rosæ in solutum tradita fuerat, subjunxitque, dolose, captioseque instrumento venditionis assertum fuisse, prædium venumdatum extitisse pro scutis 250., cum re ipsa venditio peracta fuerat pro scutis 150.

D. Joannes Antonius porro non solum excepit jus aliquod non competere Rosæ Palumbo pro retrahendo prædio ab ipso a fratribus de Botti empto, sed etiam reconventionis judicio eamdem compellendam fore institit ad

ad sibi relaxandum jure congrui particulam illam prædii a fratribus de Botti suis leviris in solutum ei datam pro faciendo satis ducatos 60. qu. Nicolao de Botti ipsius primo viro in dotem datos; quæ profecto particula prædii a fratribus de Botti ab integro eorum prædio dissecta, atque obtruncata, & pro exsolvendis dictis ducatis 60. Rosæ Palumbo in solutum data, contermina, & confinis erat prædio, quod ipse idem D. Joannes Antonius jam pridem ab anno usque 1774. possidebat, eique empti titulo obvenerat a Michaele Schiano, ut dilucide liquebat ex instrumento in antecessum laudato. Cum igitur tempore supradictæ in solutum dationis ipsimet D. Joanni Antonio jus prothomiseos super eamdemmet divulsam, dissociatamque prædii particulam competebat, eapropter ipsa Rosa Palumbo jure cogenda erat ad illam sibi relaxandam.

Regia Audientia Præsidiorum Etruriæ super hisce judiciis conventionis, reconventionisque terminum summarium impertiit, quo tandem expleto, die 7. mensis Januarii anni 1779. decrevit, relaxandum esse jure prothomiseos per D. Joannem Antonium de Labar Vincentio Galatola, & Rosæ Palomba conjugibus prædium in actis deductum, una cum fructibus perceptis post litis contestationem; faciendasque insuper esse satis per ipsummet D. Joannem Antonium de Labar eisdem conjugibus litis expensas; quod firmatum etiam fuit die 19. ejusdem mensis Januarii. Nullitatibus objectis per præfatum de Labar non obstantibus. Adversus quod decretum D. Joannes Antonius de Labar reclamavit ad hanc Delegationem, in qua cum fuissent acta transmissa, alius terminus *ad non posita ponendum, & non probata probandum*, ut juris est, impertitus fuit; quo tandem explendo, definiendum, decernendumque modo est, jure ne, an injuria a prædicto decreto ab D. Joanne Antonio de Labar appellatum sit.

In facto porro contentio inter litigatores nulla est,

 ete-

etenim extra dubitationis aleam est, D. Joannem Antonium de Labar die 19. mensis Octobris anni 1774. empti titulo acquisivisse a fratribus de Schiano prædium quoddam collocatum in Regione S.Stephani in loco nuncupato *Campone*. Dubio etiam procul est, die 12. mensis Decembris anni 1777. fratres de Botti in solutum dedisse Rosæ Palumbo exiguam partem proprii eorum prædii, quæ dicitur in instrumento fuisse obtruncatam, & vulgari idiomate, & locutione, *smembrata* ab eorum prædio similiter in loco *Campone* posito, pro faciendis satis eidem Rosæ ducatis 60. ab eadem in dotem traditis qu. Nicolao Botti ipsiusmet Rosæ primo viro. Nec denique ambigitur, D. Joannem Antonium de Labar die 23. ejusdemmet mensis Decembris anni 1777. emisse ab ipsis fratribus de Botti integrum reliquum prædium, a quo paucis retroactis diebus sæpe dicta pars minima abscissa fuerat, & Rosæ Palumbo in solutum tradita.

Comperitur etiam ex actis, & ex delineatione utriusque prædii, tam videlicet illius ab D. Joanne-Antonio possessi usque ab anno 1774., quam alterius fratrum de Botri, ab ipsomet D. Joanne-Antonio empti, & particulæ illius Rosæ in solutum datæ, eademmet prædia inter se finitima esse, & confinia.

His itaque adnotatis, monitisque, inficiari nequit, quia D. Joannes-Antonius de Labar jus prothomiseos experiri in judicio quam maxime potis erat, quotiescumque fratres ipsi de Botti, sive integrum, sive partem eorum prædii alteri venumdedissent. Ast cum iidem fratres de Botti prædicta die 12. mensis Decembris anni 1777. in solutum dederunt Rosæ Palumbo particulam sæpius enunciatam eorum prædii pro exsolvendis ducatis 60. ipsimet Rosæ debitis ex causa restitutionis ejus dotis; jure quidem merito fas erat D. Joanni-Antonio præferri actione prothomiseos in emptione ejusdemmet particulæ præfati prædii, si ante dationem in solutum denunciata hæc ipsi fuis-

fuiſſet, præſertim quia ipſamet prædii particula limitanea eſt prædio D. Joannis-Antonii ab anno 1774. uſque dominico jure poſſeſſo, ut ex ſupradicta delimitatione dilucide patet. Commiſſum porro fuit non ſolum contra *Conſtitutionem Sancimus de jure prothomiſ.*, verum etiam contra peculiare ſtatutum, quo cavetur: *Che qualunque perſona aveſſe alcuna poſſeſſione, caſalino, o giardino, o prati, cioè beni ſtabili, e quelli voleſſe vendere, non poſſa quelli vendere a neſſuna perſona, ſe prima non richiede i ſuoi proſſimali vicini, a' quali ſia tenuto vendere per lo pari danaro.ne trovaſſe da un altro in verità; e ſe così non faceſſe, non la poſſa vendere; ma intendaſi venduta a quello tale proſſimano vicino la voleſſe per detto vero prezzo l' aveſſe venduta, per togliere ogni materia di ſcandali poteſſero occorrere.*

En igitur quomodo interdictum erat fratribus de Botti vendere, ſeu in ſolutum dare præfatam particulam eorum prædii Roſæ Palomba pro faciendo ſatis ejus credito dotali, irrequiſito, atque inconſulto D. Joanne-Antonio de Labar vicino, proximoque; qua profecto requiſitione neglecta, immo deſpicatui habita, ope, & vi ejuſdemmet ſtatuti ipſa prædii particula pro venumdata habita fuit D. Joanni-Antonio de Labar.

Si vero Federici I. Conſtitutio *Sancimus de jure prothomiſ.* inſpiciatur, ipſa ſiquidem vetat, prohibetque domino fundi illum vendere, atque alienare, niſi prius denuntietur iis, quos per ordinem eademmet Conſtitutio vocat, inter quos recenſet vicinos, reque conjunctos; ſi ſane ſecus fiat, jus eſt vicino fundum alienatum e manu poſſeſſoris evincere, atque in curriculo decennii retrahere.

Neque mehercule tam audacter hic obſiſtere licet, in ſolutum dationem venditionem non eſſe, ut Regia Audientia Præſidiorum Etruriæ abs re exploratum habuit; etenim in ſolutum rei datio, quæ ſit pro pecunia debita facienda ſatis, venditionis vicem gerit, iiſdemque juris regu-

regulis conſtitit, non ſecus ac lex ſtatuit de locatione, & conductione, quæ licet emptio, & venditio non ſit, proxima quidem eſt emptioni, & venditioni, ex eiſdemmet regulis, & œconomia legali procedit, auctorante *Cajo* in *L.2. ff. loc. & cond.*; pretium enim nota, atque ſymbolum eſt emptionis, ut appoſite docet *Dionyſius Gothofredus* in notis ad laudatam legem. Datio igitur in ſolutum rei, quæ contrahitur pro ſatisfacienda pecunia debita, pro emptione, & venditione indubie habetur, ſiquidem datur creditori res æſtimata pro illo pretio, proque illa quantitate pecuniæ, cujus eſt debitor ipſemet dator rei.

At quæſo, ſi res in ſolutum creditori data, ea evincatur ab alio, quænam modo actio huic creditori contra debitorem, qui rem in ſolutum tradidit lex civilis accommodat? non aliam profecto, niſi utilem actionem ex empto; en *Ulpiani* deciſio in *L. eleganter* 24. *ff. de pign. act.* *Eleganter apud me quæſitum eſt, ſi impetraſſet creditor a Cæſare, ut pignus poſſideret, idque evictum eſſet, an habeat contrariam (actionem) pignoratitiam? & videtur finita eſſe pignoris obligatio, & a contractu receſſum. Imo utilis (actio) ex empto accommodata eſt, quemadmodum ſi pro ſoluto ei res data fuerit, ut in quantitatem debiti ei ſatisfiat.*

Videsne *Ulpianum* aliud præſidium accommodandum non eſſe exiſtimantem creditori, qui evictionem paſſus eſt rei per debitorem in ſolutum datæ pro ſatisfacienda quantitate debiti, niſi utilem actionem ex empto? Si igitur actio ex empto datur creditori contra debitorem, qui in ſolutum, ſive pro ſoluto dedit rem, ut quantitatibus ejus debiti ſatisfieret; re e manu creditoris evicta, atque ablata; obtorto etiam collo fatendum eſt, dationem in ſolutum ſimilem eſſe emptioni, iiſdemque juris regulis conſtitiſſe, atque conſtare.

Quæ quidem *Ulpiani* deciſio loquitur de datione pro ſoluto facta in judicio, quæ quodammodo cogit, compel-

pellitque creditorem ad rem accipiendam, ut pro quantitate sui crediti satisfiat; quam maxime sane fatendum est, dationem in solutum rei, quæ ultro citroque sponte fit per creditorem, & debitorem pro exsolvenda quantitate debiti, habendam esse pro vera emptione; nam adnotat laudatus *Gothofredus* ad exscriptam *L.* 12. *Qui pignus ex judicati causa habet, emptoris loco est*; sed quorsum isthæc *Gothofredi* auctoritas? num ne ipse *Imp. Antoninus* in *L. si prædium* 4. *C. de evictionib.* sancivit, hujusmodi contractus dationis pro soluto, vicem venditionis obtinere? ita sane; si igitur venditionis vicem in solutum datio obtinet, effectus etiam civiles omnes emptionis, & venditionis ipsa datio in solutum obtinere debet, eaque propter jus prothomiseos complecti necesse est.

Præsertim quia exscriptum statutum cogit venditorem ad præferendum vicinum in emptione, ut absint scandala, hoc est, ne vicinus habeat novum dominum possessorem prædii limitanei, cum suo prædio, a quo iniqua conditio, perturbationes, & sollicitudines afferri possint, quæ quidem incommoda, atque negotium facessiri queunt a novo domino prædii contermini, tam si prædium ei perveniat jure emptionis, quam si causa dationis in solutum. Quas profecto molestias, importunasque curas summopere quoque *Constitutio Federiciana* abhorruit, atque execrata fuit.

Verum enimvero si Pragmaticorum dictamina hic afferre concessum esset, innumeri pene exscribi potis essent, qui omnino exploratum habent jus prothomiseos complecti dationem in solutum, sive voluntaria isthæc sit, sive necessaria; & quamvis aliqui videantur excludere, atque ablegare jus prothomiseos ab datione in solutum, inter quos antefertur *Napodanus* in Consuet. *Si quis emit, de jure congrui*; nihilominus ipsum loquutum fuisse in datione in solutum necessaria, non autem voluntaria monet *Andreas Molphesius in Commentario super Consuet. tom.* 3. *par.* 2.

cium dicti D. Joannis Antonii de Labar prædium ab eo emptum a prædictis fratribus de Botti instrumento diei 23. mensis Decembris anni 1777. una cum fructibus ab ea perceptis, & a Regia Audientia suo decreto jure congrui addictum eidem Rosæ, restituto per dictum D. Jo: Antonium ipsi Rosæ pretio per eandem soluto, una cum usuris, sive interesse fructuum compensativo; pro quorum fructuum, & usurarum liquidatione in biduo audiantur Partes.

Sebastianus Ricca Act.

In causa magn. Michaelis de Simone, cum magn. D. Paulo Signorelli. Die 3. Junii 1782.

Referente Reg. Cons. D. Nilo Malena,

S.R.C. decrevit: *Cappellanias sub titulo S. Rocci erectas in Cappella Casalis Cescheti, ac S. Mariæ Lauretanæ, S. Cajetani, & S. Benedicti intus Ecclesiam Parochialem Oppidi Coriolani spectavisse & spectare ad Michaelem de Simone nomine ut in actis vigore donationis diei 22. Aprilis anni 1770.; ac proinde condemnandum esse D. Paulum Signorelli ad illas relaxandas in beneficium dicti Michaelis, qui teneatur adimplere celebrationi missarum dictis Cappellaniis addictarum; quo vero ad ceteras Cappellanias, aliaque deducta, & prætensa per ipsum Michaelem, dictum Paulum absolvendum esse. Nil pro expensis.*

Donatio perfecta non potest revocari, nec conditiones capit.

Matthæus Cajetani instrumento diei 22. Aprilis 1770. donationis titulo irrevocabiliter inter vivos cessit Canonico D. Alphonso de Simone, ejusque heredibus & successoribus Cappellanias titulis S. Rocci, S. Mariæ Lauretanæ, S. Cajetani, & S. Benedicti insignitas, retento bonorum dictis Cappellaniis addictorum usufructu quoad viveret, adempta tamen sibimetipsi quacumque alienandi facultate absque consensu dicti Canonici D. Alphonsi; postmodum vero, anno scilicet 1774., altero instrumento dictus Matthæus easdem Cappellanias donavit D. Paulo Signorelli : lite

lite igitur exorta inter Canonicum de Simone, & D. Paulum Signorelli, cui eorum Cappellaniæ prædictæ deberentur, vita functus est Canonicus D. Alphonsus, litemque Michael ejus heres prosequutus est; cum itaque S. C. pro certo habuerit, donationem jam perfectam minime posse revocari, *L. 4 & 5. C. de revoc. donat.*, imo nec etiam conditiones postea capere, *L. perfecta C. de donat. quæ sub modo*; & prædictum Matthæum Cajetani pacto se adstrinxisse nunquam posse Cappellanias prædictas aliis cedere, seu donare sine consensu Canonici D. Alphonsi, ideo easdem ad Michaelem de Simone spectare S. C. censuit; quoad alias Cappellanias vero, D. Paulum Signorelli esse absolvendum, ex probationum defectu, vulgatis juribus idem S. C. censuit.

Joannes Maria Graziano Act. Mag. -- Vincentius Milone Scriba.

In causa appellationis in S.R.C. inter Honuphrium Rajano, & Ill. Principissam S. Viti. Die 18. Junii 1782.

Referente Regio Consil. D. Basilio Palmieri.

Non est necessaria scriptura ad jus emphyteuseos constituendum.

S. R. C. pronunciavit: *Bene fuisse appellatum per Honuphrium Rajano, non jure vero judicatum per M. C. V., pro quo effectu dictus Honuphrius absolvatur ab impetitis pro parte Ill. Principissæ S. Viti D. Mariæ Nicolettæ de Baucio, seu del Balzo. Neutram partem in expensis.*

Duxit porro S. R. C. exaratam sententiam proferre, quia ex *Zenoniana Constitutione* in *L. 1. C. de jure emphyt.* non depromitur necessariam esse scripturam ad jus emphyteuseos constituendum, ut M.C.V. definire decrevit; etenim licet in dicta Constitutione legatur dicendi formula: *Pactionibus scriptura interveniente habitis*, absonum siquidem est exinde inferre, *Imp. Zenonem* statuisse, scripturam seu instrumentum esse de substantia & necessitate contractus emphyteuseos, ceteroquin scriptura non interveniente, contractum emphyteuticum minime pacisci posse,

se, vel existere. Absit mehercle ab erudito Jurisconsulto, Jus civile, ejusque formulas callente, hoc proferre, minusque affirmare; etenim etsi *Julius Clarus lib. 4. sententiar. §. emphyteusis, qu.* 4., ceterique Pragmatici, quos ipse laudat, affirmare ausi sint, scripturam ab initio necessariam esse in contractu emphyteutico, secus subsistere vel valere neutiquam posse; necessitati scripturæ obsistit clarissimus *Cujacius* in Commentario ad dictam *Zenonis Constitutionem*, solummodo necessariam illam esse in contractu libellario docet; qui, ut constituatur, aliqua pecuniæ quantitas contractus tempore ab eo, qui libellarius fit, solvitur; qui quidem contractus non parum differt ab emphyteusi, ut ipse *Cujacius* notat, advertitque præclarus *Leiserus* in suo *Jure Georgico lib. 1. cap. 16. de prædiis libellariis*. Necessitatem scripturæ repellit etiam doctissimus *Molineus ad Consuet. Paris. §. 33. n. 38.*, ut & hanc necessitatem ab emphyteusi ablegant viri eruditi, & Juris Civilis quam maxime meriti.

Ast ne in oppositarum Pragmaticorum, eruditorumque virorum opinionum concertatione moremur, expendantur quæso *Zenonis* verba, dignoscaturque deinde num ipsemet Imperator exscriptis verbis, scripturæ necessitatem statuerit in emphyteuseos contractu, necne? Postquam porro Imperator definivit descripsitque characterem hujuscemodi contractus, eumque justum, validumque esse affirmavit (erat namque in usu, cognitusque in Jure Romano, meminitque illius *Ulpianus*, ut alibi ostendimus, & decreto M.C.V. olim definivimus) post hoc igitur præscripsit, valida & firma esse quæ inter contrahentes conventa fuerunt, ac perpetua stabilitate custodiri debere, ***ut & ea quæ super omnibus, vel etiam fortuitis casibus, pactionibus scriptura interveniente placuerint***. Hæc sane loquendi, seu statuendi formula, qua sancitur esse firma & valida cuncta, quæ contrahentibus placuerint etiam de fortuitis casibus, cum pactionibus conventis, ***interveniente scri-***

scriptura (quod idem est, ac contentis in scriptura, quæ inter contrahentes intervenit, seu stipulatur, vel fit) haud quidem vertit, impellitque contractum emphyteuseos in necessitatem scripturæ; minusque sensum, sententiamve sanciendi interventum necessarium illius; sed tantum *custodiendi ea omnia, quæ inter contrahentes pactionibus conventa fuerint, & in scriptura forsan descripta erunt*.

Hæc profecto loquendi formula, videlicet *scriptura interveniente* sæpenumero legitur in legum libris, necessitate tamen scripturæ prorsus remota, eamque propterea leges minime sancientes; & ne diutius hoc argumento immoremur, & sermonem plusquam causa postulat in longum ducamus, en ejusdemmet *Imp. Zenonis* eadem loquendi formula, ex qua nemo huc usque somniavit necessitatem scripturæ deducere in illo contractu, de quo *Zeno*, sanciendo, ea formula usus fuit. Ipse siquidem *Imp. Zeno* in *L. ne cui* 32. *C. de loc. & cond.*, postquam statuisset, non licere conductori, expleta conductione, obicem domino rei inferre, cui sibi placuerit rem eamdem locare, prælationemque expetere, hæc subjunxit: *Ipsis nihilominus qui conduxerint, ab omni super hoc molestia liberis conservandis, nisi forte pacta per scripturam specialiter inita cum dominis, vel cum his, qui postea conduxerint, legibus videlicet cognita, agentis intentionibus suffragentur*. Vetuit sane Imperator deturbari novus conductor a præcedenti prælationis prætextu, nisi pactionibus aliud sive cum domino rei locatæ, vel cum novo conductore, præcedens conductor *per scripturam*, quod idem est, *& scriptura interveniente*, convenerit, pactusque fuerit. Loquitur hic *Zeno* de scriptura, pactionibusque in ea contentis, conventisque inter locatorem, conductoresque antecedentem, & subsequentem, nec proinde huc usque quis tam demens, Jurisque Civilis expers fuit, qui ausus sit comminisci in contractu locationis, & conductionis, vel in pactionibus super eodem contractu conventis, necessariam

riam fore scripturam, ceteroquin contractum corruere, & quaecumque vi, & potestate ademptum, atque denudatum esse. Hoc sane attinet ad characterem seu naturam contractus emphyteuseos, qui necessitatem scripturæ, ut constituatur, a se profligat, atque repellit.

At in præsenti concertatione nedum ipsa Ill. Principissa actrix, verum hi, a quibus ipsamet causam suæ possessionis ducit, tam instrumento, quam acceptis apoehis semper confessi sunt, fundum seu prædium, de quo in præsentiarum lis est, emphyteutico jure possessum fuisse tam ab Honuphrio Rajano, quam a suis progenitoribus; quam porro confessionem non obsistere, perfracte declarat M.C.V., eamque nullius momenti esse, utpote factam ex causa ignorantiæ; nam deficiente scriptura, contractum non valere ipsa M.C., si Dis placet, definivit, decrevitque.

Igitur ex rationibus currenti calamo enarratis, S R.C. in antecessum exaratam sententiam pronunciandam esse jure optimo censuit.

Bonaventura Bonetore Act. Mag. -- Joseph Russo Scriba.

In causa Ill. Ducissæ Rodi, cum Ill. Marchione Cammarota. Die 8. *Junii* 1782.

Conditionis mixtæ ea est natura, ut si eadem casu deficiat, legati defectum inferat, satisque est, ut ille, in cujus personam conditio impleri debet, in eadem causa non fuerit, quominus ea adimpleretur.

D. Joannes Baptista Marchese, qui feudum nuncupatum *la Poderia*, aliaque bona burgensatica possidebat, testamento condito anno 1687. heredem instituit suorum bonorum feudalium, & duarum ex tribus partibus bonorum burgensaticorum unicum ejus filium masculum D. Hannibalem; in reliqua vero tertia parte burgensaticorum heredem scripsit postumum ex ventre prægnante D. Corneliæ del Duce uxoris ejus nasciturum, si masculus nasceretur; si vero nasceretur fœmina, jussit ei dari tantum duc. 2000. tempore ipsius matrimonii, & heredem esse voluit eumdem ejus filium D. Hannibalem reliquæ tertiæ partis dictorum bonorum burgensaticorum: Præcepit vero, quod si D. Han-

D. Hannibal in pupillari ætate, vel post quandocumque moreretur sine filiis legitimis & naturalibus, succederet postumus nasciturus, si foret masculus, si vero fœmina esset, ipsa quoque succederet, ita tamen ut D. Octavio Marchese filio tertiogenito Marchionis Cammarotæ D. Josephi sui fratris nuberet: Casu autem quo postuma matrimonium cum dicto D. Octavio inire noluisset, utens ipse testator facultate Baronibus tributa, reliquit postumæ causa ejus paragii, & legitimæ duc. 5000., eique reliquum hereditatis suæ feudalis, & burgensaticæ ademit, quod filio primogenito, vel hujusce locum habenti dicti sui fratris D. Josephi reliquit. Jussit insuper, quod si postumus nasciturus masculus sine filiis decederet, tertia pars bonorum burgensaticorum, in qua ipsum heredem instituerat, D. Hannibali adcresceret, ejusque heredibus & successoribus: Si vero & hic postumus, & D. Hannibal sine filiis (quod semper de masculis intelligendum esse declaravit) moreretur, sicuti & si eorum filios sine filiis mori contigisset, ad ejus integram hereditatem vocavit dictum fratrem suum D. Josephum, vel eo mortuo, ipsius filium primogenitum: Declaravit quoque, velle eum filias fœminas penitus exclusas, atque veluti non existentes, ut successioni lineæ masculinæ D. Josephi Marchese ejus fratris locus daretur, relictis tantum dotibus dictis fœminis: En testamenti verba: *Istituisco, fo, e nomino mio erede universale, e particolare nelli miei beni feudali D. Annibale Marchese mio amatissimo figlio primogenito procreato in costanza di matrimonio con la Sig. D. Cornelia del Duce mia amatissima consorte, e dippiù ne' miei beni burgensatici in qualsivoglia specie consistenti istituisco per le due terze parti il medesimo D. Annibale mio figlio primogenito, e nell' altra terza parte il postumo nascituro dal ventre pregnante della medesima Sig. D. Cornelia essendo mascbio, ed essendo femina, oltre il Monte grande de' maritaggi, che gode la nostra famiglia, li lascio duc. 2000.*

da

da pagarsi nel tempo del suo casamento dagli effetti espliciti della mia eredità, restando in questo caso questa terza parte de' beni burgensatici in beneficio di detto D. Annibale mio figlio primogenito, il quale ex nunc, seguendo il caso predetto, istituisco erede universale in tutti detti miei beni burgensatici. Però dichiaro, che la detta istituzione sia soggetta al vincolo dell' infrascritta sostituzione, e fedecommesso, cioè: Che morendo (quod absit) il detto D. Annibale mio figlio primogenito in pupillari ætate, vel quandocumque senza figli legittimi, e naturali, succeda detto postumo nascituro, essendo maschio, ed essendo femina similmente debba succedere in tutta detta mia eredità, così de' beni feudali, come de' burgensatici, con obbligo però di doversi casare col Sig. D. Ottavio Marchese figlio terzogenito del Sig. Marchese di Cammarota mio carissimo fratello; ed in caso che detta postuma nascitura nel caso suddetto non volesse casarsi con detto Sig. D. Ottavio, in tale caso avvalendomi della grazia conceduta al Baronaggio di questo Regno dalli Serenissimi Re, lascio per ragione di paragio, legittima, istituzione, porzione, ed ogni altra miglior via ducati 5000. pro una vice tantum a detta postuma, e la privo di tutto il rimanente di detta mia eredità, così feudale, come burgensatica, e chiamo alla successione di quella il figlio primogenito, o quello, che terrà il luogo di primogenito di detto mio fratello, e legittimo successore nel caso predetto; siccome nella suddetta terza parte della mia eredità lasciata al suddetto postumo nascituro, essendo maschio, di detti beni burgensatici. Similmente ordino, che morendo (quod absit) il detto postumo nascituro in pupillari ætate, vel post quandocumque senza figli legittimi e naturali ex corpore; in detto caso voglio, che in detta terza parte di detti beni burgensatici li suceeda, e debba succedere il suddetto D. Annibale, suoi eredi, e successori. Ed in caso (quod absit) venissero a morte tanto detto D. Annibale figlio pri-

primogenito, quanto il postumo nascituro senza figli legittimi e naturali ex corpore, ut supra, o pure avendone figli, venissero quelli a morte senza figli legittimi e naturali, in tale caso succeda in tutta detta mia eredità, e beni burgensatici, e feudali, a rispetto de' quali anche intendo avvalermi della grazia, che si trova ultimamente concessa al Baronaggio di questo Regno, il detto D. Giuseppe Marchese, Marchese di Cammarota mio fratello, ed in caso che quello si travasse premorto, vi succeda il suo figlio, o discendente primogenito, seu quello, che terrà il luogo di primogenito. Dippiù dichiaro, che acciocchè i miei beni si conservino nella mia famiglia nelli casi come di sopra, la suddetta condizione di sopra apposta di difetto de' figli mascoli, non femine, di sorte che essendo nelli casi suddetti esistenti le femine, si abbiano quelle per non esistenti, e siano penitus escluse dalla successione, facendosi il luogo alla suddetta linea mascolina, come di sopra, alle quali femine nelli casi suddetti per ragione di esclusione dalla successione feudale, lascio duc. 4000. per una sola volta a quella, che dovrebbe succedere, con che non possa pretendere altro dalla mia eredità.

Ex ventre prægnante D. Corneliæ del Duce testatoris uxoris nata est fœmina, cui Antoniæ Victoriæ nomen datum fuit: Post mortem D. Jo: Baptistæ D. Hannibal declaratus fuit a M.C.V., viso etiam exitu ventris prægnantis D. Corneliæ, heres ejusdem universalis. D. Antonia Victoria vero die 30. Novembris anni 1706. D. Januario Caracciolo nupsit, eique promissæ fuerunt dotes instrumento capitulorum matrimonialium ducatorum 18006., inter quos fuerunt duc. 2000., quos paragii loco ei reliquerat D. Jo: Baptista testamento suo: Eoque instrumento renunciavit D. Antonia Victoria in beneficium ejus fratris, ejusque heredum quorumcumque omnes hereditates & fideicommissa ad eam spectantia tunc, & deinceps, quarum rerum, ejusque jurium se consciam esse confessa est. Ex hoc matrimonio

monio D. Antoniæ Victoriæ plures nati sunt filii, quorum primus fuit D. Vincentius Caracciolus. Anno autem 1719., soluto matrimonio ob mortem dicti D. Januarii Caracciolo, D. Antonia Victoria, quæ annum ætatis suæ trigesimum primum vix expleverat, Monasterium S. Jo: Baptistæ hujus Civitatis ingressa est: Verum antequam professionem emitteret, intuitu futuræ professionis donavit dicto D. Vincentio ejus primonato filio omnia bona, juraque sua, generali eorum facta mentione, medio instrumento diei 1. Decembris 1728., quod in fasciculis, non autem in prothocollo repertum est: Et die 13. mensis Januarii 1730. in dicto Monasterio professionem emisit.

Anno autem 1740. D. Hannibal donavit feudum *la Poderia*, omniaque ejus bona feudalia, & burgensatica Ill. Marchioni Cammarotæ D. Domitio Marchese ejus fratri patrueli, nepotique primogenito D. Josephi, quæ bona eodem donationis instrumento subjecit vinculo perpetuæ primogenituræ agnatitiæ masculinæ favore dicti Marchionis, ejusque descendentium masculorum, in quorum beneficium oneravit ipsum Marchionem D. Domitium integro feudi pretio, retento donec ipse, & mater ejus viverent fructu eorumdem bonorum, vice cujus dictus D. Domitius solvere promisit D. Hannibali, ac D. Corneliæ ejus matri annuos duc. 500. Postea alio instrumento inito die 6. Septembris ejusdem anni 1740. idem D. Hannibal vendidit ipsi D. Domitio feudum *la Poderia* cum omnibus ejus bonis pretio duc. 18000., quorum solutione pendente promisit dictus Marchio solvere annuos ducatos 720. causa eorum interesse ad rationem ducatorum quatuor pro centenario; eosdemque duc. 18000. cum dicto eorum interesse donavit ipse D. Hannibal in beneficium filiorum masculorum primogenitorum D. Domitii, fideicommissi vinculo subjectos, retento tantum ejus, & matris suæ vita durante, eodem interesse; hæcque venditio fuit Regio Assensu probata. Ingressus deinde est

D. Hannibal Congregationem PP. Oratorii hujus Civitatis, ibique Sacros Ordines est adeptus: Atque anno 1746. testamentum scripsit, quo heredes fecit proprietarios Ill. Ducem Sirignani D. Vincentium Caracciolo, ac Ill. Marchionem D. Domitium Marchese, usumfructum vero bonorum suorum reliquit D. Beatrici Caracciolo sorori dicti Ducis, ac Marchionis D. Domitii uxori; atque cuique dictorum suorum heredum sine filiis morienti filium primogenitum alterius coheredis substituit: Cavitque, ne eorum quis testamentum suum contratabularet, quo casu eumdem hereditatis suæ spoliavit, relictis aliquot legatis dicto D. Vincentio, aliisque.

Tandem obiit D. Hannibal mense Januario anni 1753. Hinc D. Vincentius Caracciolo judicis decreto semel, iterum, atque tertio admonitus, hereditatem D. Hannibalis repudiavit, retentis tantum juribus, quæ sibi super hereditate qu. D. Jo: Baptistæ pertinere autumavit; qua repudiatione sequuta, præceptum fuit M. C. V., ut decretum præambuli pro integra D. Hannibalis hereditate in beneficium Marchionis Cammarotæ D. Domitii Marchese proferret. Ipsa M. C. ejus decreto declaravit dictum D. Domitium heredem universalem D. Hannibalis quoad proprietatem, atque in usufructu Marchionissam D. Beatricem Caracciolo ejus uxorem. Hæc autem circa D. Hannibalis successionem facta sunt in S. C., & M. C. postquam *judicium* in eodem S. C. institutum fuerat a D. Vincentio *Caracciolo*. Hic enim eodem anno 1753., quo D. Hannibal obiit, die 12. mensis Maji supplicationem in S. C. exhibuit, qua memoravit testamentum D. Jo: Baptistæ, matrimonium a D. Antonia Victoria cum ejus patre D. Januario initum, donationem ei a matre factam antequam in Monasterio profiteretur, mortem D. Hannibalis, donationemque, sive venditionem feudi *la Poderia* in beneficium Marchionis Cammarotæ a D. Hannibale factam; atque assumpsit, ad eum, veluti filium, ac donatarium D. Antoniæ Victoriæ ejus matris,

tris, vigore substitutionis in testamento dicti D. Jo: Baptistæ contentæ, spectare omnia bona ab eodem relicta, nulla habita ratione præcepti paterni ejus filiæ impositi nubendi D. Octavio Marchese, tum quia dicta ejus mater matrimonium hoc inire non potuerat ob ejus ætatem, ac professionem in Monasterio emissam, tum quia præceptum istud erat turpe, contra bonos mores, ac matrimonii libertatem impediens, ideoque rejiciendum: Petiit ideo a S. C. declarari ad eum spectare bona omnia cujusvis generis a D. Jo: Baptista relicta, & a Marchione D. Domitio possessa. D. Domitius vero huic D. Vincentii petitioni reposuit, non aliter fuisse D. Antoniam Victoriam ad paternam hereditatem vocatam, nisi conditione adjecta præfiniti matrimonii contrahendi, cui conditioni cum eadem D. Victoria parere noluisset, indigna effecta erat paternæ successionis. Super quibus mutuis petitionibus, ac oppositionibus dato termino ordinario, eoque deinceps composito etiam inter Ducissam Rodi D. Cæciliam Caracciolo filiam & heredem D. Vincentii, & D. Horatium Marchese Marchionem Cammarotæ filium & heredem D. Domitii,

Referente Regio Consil. D. Salvatore Caruso, cum interventu Ill. Marchionis Patritii, & Regii Consil. Præsid. R. C. Summariæ D. Dominici Potenza,

S. R. C. sequentem protulit sententiam: *Absolvendum esse Ill. Marchionem Cammarotæ ab impetitis pro parte Ill. Ducissæ Rodi.*

Rationes, ob quas S. C. in suprascriptam ivit sententiam, hæ sunt. Ex testamento D. Jo: Baptistæ Marchese apparet, eum apprime expetivisse decus familiæ suæ effectivæ primum, & deinde hac deficiente, contentivæ, quæ ab ejus fratre D. Josepho Marchione Cammarotæ incipiebat; quod ut fieret, jussit, ut ab ejus hereditate arcerentur omnes fœminæ, atque illæ etiam, quæ nasci poterant ab ejus filio D. Hannibale, & a postumo, si masculus futurus fuisset, eisque prætulit filios masculos dicti Marchionis Cammarotæ, unoque tantum casu fœminam (quod

 de

de fœtu tantum ventris uxoris ejus prægnantis cavit) ad ejus hereditatem vocavit, si ipsa D. Octavium Marchese filium tertiogenitum fratris ejus D. Josephi virum duceret, eamque fœminam postumam ad hereditatem suam vocavit, ad hoc, ut posset ipsius ope familia ejus contentiva bona sua acquirere. Ex quibus manat, præceptum nubendi D. Octavio Marchese omnino a D. Antonia Victoria implendum fuisse, ut hereditatem patris ejus adquireret; itaut si quovis casu etiam præter culpam ipsius D. Antoniæ Victoriæ matrimonium a D. Jo: Baptista designatum initum non fuisset, hereditas illius, exclusa ipsa D. Antonia Victoria, ad filium primogenitum Marchionis Cammarotæ, vel ad alios masculos ejusdem familiæ pervenire debebat; etenim præterquam quod voluntas haud dubia, imo expressa satis dicti D. Jo: Baptistæ id suadebat, idem in jure casu dispositionis illius simili cautum est, *L.4. C. de condit. insert.* Nec S. C. visæ sunt prædictæ causæ, quæ afferebantur, ut conditionis antedictæ contemptum excusarent. Ex actis enim non constat (ut dictum est a D. Vincentio Caracciolo, & ejus filia Ducissa Rodi) D. Octavium Marchese inhabilem esse ad eam juxta sui nobilitatem alendam; sicuti verum non est illud, quod dicebatur conditionis illius implementum dilatum esse in tempus, quo ipsa ei parere non potuisset, tempore scilicet mortis D. Hannibalis, cum id testator non caverit, potueritque ipsa D. Antonia Victoria facillime illi conditioni parere, suadente præsertim spe mortis D. Hannibalis sine filiis masculis. Hæ autem causæ, quatenus veræ, eam neque excusatam reddidissent, neque capacem successionis paternæ efficere potuissent: Conditionis enim mixtæ, ut est hæc *nubendi Titio*, ea est vis, atque natura, ut si eadem casu deficiat, legati defectum inferat, satisque sit, ut ille, in cujus personam conditio impleri debet, in causa non fuerit, quominus ea impleretur; hoc namque tantum casu conditio pro impleta habetur ab eo, a quo implenda erat, *L.24.*

L. 24. ff. de condit. & demonstr. Vidit autem e contrario S. C. D. Antoniam Victoriam non modo noluisse conditioni, sive præcepto parere, cum nunquam se animumque suum illius implemento paratum monstraverit; imo eam contra voluntatem sui patris semel, atque iterum egisse. Duxit namque primum virum D. Januarium Caracciolo conscia dispositionis paternæ, ut ex tabulis matrimonialibus clare eruitur. Deinde vidua effecta, ætatis adhuc matrimonio aptæ, maluit aliquot annis in viduitate manere, ac postea Monasterium ingredi, ibique profiteri potius, quam D. Octavium Marchese virum ducere. Quibus addi potest, eamdem D. Antoniam Victoriam cum nuptui traderetur, renunciasse fratri ejus omnes successiones, hereditatesque quomodolibet ad eam spectantes, ac deinceps perventuras, donationem etiam ab ea ejus filio D. Vincentio factam minus recte legitimeque ex actis constare, eandemque inutiliter factam fuisse, tum quia ob spontaneam inobservantiam præcepti paterni nil quæsiverat, tum quia spei substitutionis, si ulla adfuisset, in tabulis nuptialibus renunciasse, probabiliter substineri poterat.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act. Mag. -- Vincentius Basile Scriba.

In causa magn. Vita Irenes Franco, cum magn. Doctore Physico D. Carolo Andreani. Die 6. Julii 1782.

Referente Regio Consiliario D. Petro Patritio.

Sponsalia contracta publico instrumento recte stant, licet neque Parochi, neque testium fide sint roborata.

S. R. C. decrevit: *Adesse sponsalia inter D. Carolum Andreani, & D. Vitam Irenem Franco.*

Regali edicto diei 11. Decembris 1780. cavetur, solis testibus, sine Parochi interventu, minime probari adesse sponsalia, quæ de futuro dicuntur; ad explendam vero legitimam probationem existentiæ sponsalium, opus est, ut sponsalia sint contracta coram Parocho, & testibus. Atque hanc legem vim suam exercere a die promulgationis, declaratum est Regio Rescripto diei 18. Augusti 1781.

Quare

Quare indubium est, extare sponsalia contracta inter D. Carolum Andreani, & D. Vitam Irenem Franco; non tantum quia Parochus id testatur, cui fides habenda est, etiam testibus non productis, quum agatur de sponsalibus contractis ante edictum, quae coram solo Parocho iniri consueverant; sed etiam quia sponsalia contracta sunt publico, sollemnique instrumento, ex quo optima maxima probatio praebetur, vel post novissimam legem, qua cum jubetur sponsalia iniri debere coram Parocho, & testibus, quod minus est, non excluditur sponsaliorum contractus publico instrumento, quod plus est, perficiendus. *L. 1. 26. 110. 163. & 165. ff. de divers. reg. jur.*

Joannes Maria Graziano Act. Mag. -- Petrus Mayonus Scriba.

In causa D. Vincentii, & aliorum de Coda, cum D. Francisca Coda. Die 23 Julii 1782.

Referente Reg. Consil. D. Petro Patrizio.

Renunciationes mulierum licet abhorreant a Juris Romani principiis, substinentur tamen receptis ubique moribus.

S. R. C. decrevit: *quod D. Vincentius, D. Nicolaus Angelus, & D. Paschalis fratres de Coda absolvantur ab impetitis per D. Mariam Franciscam Coda eorum sororem in ejus supplicatione, & comparitionibus.*

Praetermisso examine omnium, quae in judicio deducta fuerunt, fratres de Coda absolvi meruerunt, quod renunciationem ante factam soror ante causae decisionem, acceptis reliquis ducatis 300. causa ejus dotium promissis, ratam habuit. Renunciationes enim mulierum licet a Juris Romani principiis abhorrere videantur, publicae tamen utilitatis causa, & ad familiarum decus, receptis ubique moribus, & annuente Jure Canonico, substinentur.

Cajetanus de Martino Act. Mag. -- Leonardus Sarto Scriba.

In

In causa Rev. Canonici D. Nicolai Corvo, & viduæ D. Ceciliæ Ragnatela, cum Creditoribus D. Matthia la Monica. Die 30. Julii 1782.

Per Reg. Consil. D. Nilum Malano Judicem appellationis destinatum per S.R.M.

Fuit provisum & decretum: *Bene fuisse appellatum per Rev. Canonicum D. Nicolaum Corvo, & viduam D. Ceciliam Ragnatela, ac proinde signifer D. Matthias la Monica condemnetur ad solvendum in beneficium dicti Rev. Canonici D. Nicolai Corvo ducatos* 800.: *necnon ad restituendum viduæ D. Ceciliæ Ragnatela domum in dotem adsignatam qu. D. Franciscæ Marchetta, & bona mobilia instrumento capitulorum matrimonialium descripta, nempe quæ in auro, argento, & gemmis consistunt, prout tradita fuere, vel eorum pretium, cetera vero usu consumpta, & uti ad præsens reperiuntur; ac proinde quantitates, quæ perveniunt a mensuali stipendio dicti D. Matthiæ, liberentur in beneficium dictorum Corvo, & Ragnatela, cum prælatione omnibus creditoribus ejusdem la Monica, qui usque adhuc penes acta comparuerunt.*

Restitutio dotium, ceteris creditoribus posthabitis, decretur dotantibus, quia hypothecæ beneficio gaudent.

Constat enim de dotis constitutione ex instrumento capitulorum matrimonialium diei 11. Junii 1768., atque de ejus receptione ex alio instrumento diei 21. Februarii 1769.; qua de re cum D. Francisca Marchetta absque liberis jam obierit, restitutio dotium in beneficium dotantium ex forma pacti instrumento dotali adjecti ambigi nequit, ceteris creditoribus posthabitis, qui nonnisi apodixarii sunt, cum creditum dictorum Corvo, & Ragnatela hypothecæ gaudeat privilegio, juxta *L.* 9. *C. qui pot. in pign. hab.*, qua monemur, *eos, qui acceperunt pignora, cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus, quæ personalibus actionibus competunt, præferri.*

Scrupulum sane injecerant bina tabularum nuptialium exemplaria, alterum nempe die 20. mensis Junii 1768., alterum die 11. ejusdem mensis, & anni signatum. Idemque

que schedula receptionis dotium, quæ instrumento solutionis earumdem dotium die 21. mensis Februarii 1769. inito contraria videbantur: hac itaque de causa Regiæ Provinciali Audientiæ commissum fuit, ut protocollis Notarii Felicis Pellegrino anni 1768. & 1769., a quibus prædicta omnia exemplaria fuerant deprompta, probe examinatis, referret, an in protocollo anni 1768. adesset nuptiale instrumentum sub die 11. aut 21. Junii conscriptum, & an in protocollo anni 1769. extaret instrumentum solutionis dotium die 21. Februarii signatum, & denique an ea protocolla vitio aliquo laborarent. Id sane jam factum est, ac trium Tabellionum judicio omnis fraudis suspicio explosa est, ut ex actis transmissis a dicta Regia Provinciali Audientia clare patet; qua de re creditum nequit amplius in dubium revocari.

Philippus de Simone Scriba.

In causa Ill. Marchionis Tufi D. Paschalis Piatti, cum filiis, & heredibus qu. Clementis Fiorenza. Die 9. Augusti 1782.

Referente Regio Consil. Marchione D. Josepho Mauri.

Qui fundi dominium emptori tradit, sibi speciali pacto hypotheca super eo reservata, fidem habendo de pretio; probata remanet favore ipsius venditoris hypothecaria actio contra emptorem.

Per S. R. C. sequens promulgata fuit sententia: *Filii & heredes qu. Clementis Fiorenza possessores fundi novem modiorum siti in Civitate Litterarum in actis deducti condemnentur ad solvendum in beneficium Ill. Marchionis Tufi D. Paschalis Piatti ex persona Ill. Comitis D. Jacobi Piatti ejus patris heredis qu. D. Antonii Torniello nedum capitale duc. 550., verum etiam tertias ad rationem ducatorum quatuor pro quolibet centenario usque adhuc decursas & non solutas a die 14. Maji 1721., a quo tempore mutuo soluti fuerunt duc. 1100. a dicto de Torniello cessionario qu. Jo: Antonii Todisco in beneficium Baronis Battinelli pro solvendis dictis duc. 550., & minime solutis.*

Sic judicandum visum est S. R. C.; ex instrumento enim venditionis die 17. Aprilis 1721. initæ compertum est,

est, fundum novem modiorum una cum domo a Jo: Antonio Todisco ducatis 1350. Clementi Fiorenza fuisse venditum, cui fidem habuit de pretio., adeout fundi dominium in ipsum emptorem tradiderit, sibi tamen hypotheca super eo speciali pacto reservata: unde dubio procul probata remanet favore ipsius Jo: Antonii Todisco hypothecaria actio contra emptorem Fiorenza, ejusque heredes, ex *textu L. 23. ff. de probat.*, ex notamento namque ad idem instrumentum exarato apparet, Jo: Antonium Todisco recepisse a Barone D. Petro Battinelli per Bancum Spiritus Sancti in computum præfati pretii summam duc. 550., atque de ea quievisse ipsum Fiorenza emptorem. Insuper ipse Jo: Antonius Todisco venditor videtur fuisse satisfactus de pecunia dicti Antonii Torniello, quippequi ea lege Baroni Battinelli solverit per affatum Bancum duc. 550., ut eidem venditori satisfaceret, ac omnia jura sibi cedere posset, qualia tunc ad ipsum ex instrumento venditionis pertinebant; quemadmodum vero ex alio instrumento die 14. Maji dicti anni 1721. inter Antonium Torniello, & Baronem D. Petrum Battinelli confecto uberius patet. Denique ab apocha dicti Banci clare fulget, cessionem illam jam conventam de omnibus juribus, hypothecisque quibuscumque revera ipsum venditorem explevisse ad favorem præfati Antonii Torniello. Adeoque pro comperto habetur ob *textum L. 6. ff. de hered. vel actione vendit.* omne ipsius jus hypothecarium; quod venditori competebat, statim delatum fuisse ad eundem Antonium Torniello, ejusque heredem Marchionem Tufi D. Paschalem Piatti ex persona patris Ill. Marchionis D. Jacobi, consequendi gratia id, quod præstare tenentur heredes dicti emptoris Clementis, scilicet D. Joseph, D. Laurentius, & D. Joannes Fiorenza possessores dicti fundi empti, ut manifeste liquet ex decreto S.R.C. lato die 23. Martii 1751., & ex fide catasti Civitatis Litterarum.

Bonaventura Bonecore Act. Mag. — Joachim de Magistris Scriba.

In causa D. Josephi Lofrano cum heredibus qu. Ill. Marchionis D. Josephi Maria Palma. Die 17. Augusti 1782.

Referente Regio Consil. Ill. Marchione D. Carolo Cito,

Usuræ in bonæ fidei contractibus ex mora debentur.

Per S. R. C. fuit decretum: *Condemnari heredes qu. Ill. Marchionis D. Josephi de Palma pro ratis, & in bonis hereditariis ejusdem ad solvendum in beneficium D. Josephi Lofrano usuras sortis duc. 496., & as. 45. pretii gemmarum venditarum Ill. Marchionissæ D. Xaveriæ Transo olim ejus uxori, dilata pretii solutione ad rationem duc. quinque pro singulis centum a die retardatæ solutionis: Pro quo effectu fiat calculus per Scribam causæ partibus requisitis.*

Usuræ enim in bonæ fidei contractibus (qualis est emptio venditio) ex mora debentur, ex *Paulo* in *L. cum quidem 17. §. si pupillo*, & ex *Marciano* in *L. mora 32. §. 2. ff. de usur.* Hoc præterea potissimum viget, ubi pro auro, argento, veste venditis, dilata pretii solutione usuræ promittantur, ex *Constantino* in *L. pro auro 25. C. eod.*, earumque modus ex more regionis, ubi contractum est, constituitur, ex *Papiniano* in *L. 1. ff. eod.*

U. J. D. Vincentius Basile Act. Mag. -- Carminus Majorino Scriba.

In causa Ill. Ducis Turani D. Vincentii Mariæ Caputi cum Patrimonio qu. Baronis D. Caroli Campagna. Die 13. Novembris 1782.

Referente Regio Consil. Ill. Marchione D. Carolo Cito.

Juris regula, *præscriptionem in feudis non admitti*, locum tantum habet pro Fisco.

Per S. R. C. fuit decretum: *Non esse locum revocationi venditionis feudi Sartani, petitæ per Ill. Ducem Turani D. Vincentium Mariam Caputo heredem in feudalibus qu. D. Fabii Caputo senioris. Nil pro expensis.*

Quum enim anno 1665. qu. D. Fabius Caputo per publicum instrumentum manu Notarii Philippi Sinesi vendidisset feudum Sartani qu. D. Dominico Lupinacci pre-

tio

tio duc. 20000., & super dicta venditione fuisset obtentus Regius Assensus die 4. Januarii 1666., dictusque emptor Lupinacci eodem anno 1666. illud vendidisset D. Laurentio Cavalcante, ac demum D. Xaverius Cavalcante D. Laurentii heres anno 1745. illud vendidisset qu. D. Carolo Campagna, interposito etiam Regio Assensu, Ill. Dux Turani D. Vincentius Maria Caputo asserens se heredem in feudalibus qu. D. Fabii Caputo senioris per instrumentum diei 26. Junii 1769. manu Notarii Cajetani Mazzola a Neapoli revocavit venditionem factam anno 1665. a dicto qu. D. Fabio ob defectum registrationis Assensus in quinternionibus Regiæ Cameræ, vigore Constiturionis Regni *Constitutionem divæ memoriæ*, petiitque in S.R.C. condemnari Patrimonium qu. D. Caroli Campagna ad relaxandum feudum prædictum in sui beneficium, oblato pretio duc. 20000. Hinc daro, & expleto termino probatorio, Curator Patrimonii excepit, ob lapsum centum annorum, & ultra fuisse præscriptam in successoribus D. Fabii Caputo senioris actionem ad revocandam venditionem, & ipsum Ill. Ducem tacite juri suo renunciasse, ubi per complures actus penes Patrimonium petiit, instititque pro venditione feudi, ut ex pretio satisfieret ejus credito.

At re sedulo perpensa, S.R.C. visum est, præscriptionem centum annorum, & ultra actori obstare, immo illam annorum triginta tantum locum in præsenti causa habere ad actionem elidendam, & ad tutum reddendum possessorem feudi, nam cum explorati juris sit, ob defectum registrationis Assensus in quinternionibus Regiæ Cameræ, virtute clausulæ appositæ in Assensibus competere conditionem ex Constitutione Friderici *Constitutionem divæ memoriæ* ad revocandam venditionem, sive actionem in factum revocatoriam, hæ actiones triginta tantum annorum spatio præscribuntur. Nec dicendum prorsus, has juris regulas non procedere, ubi agitur de re feudali in Regno, in quo cautum est, præscriptionem in feudis non

admitti; id enim locum habet pro Fisco tantum, & nisi intercedat spatium centum annorum; secus vero ubi agitur de privatorum actionibus, in quibus præscriptione per triginta annos continuata, bona fide, & præstatione servitii domino directo concurrentibus, adversario præsente, etiam feudum contra privatum præscribitur, ut nimis clare cautum habemus ex Constitutione Friderici *Consuetudinem pravam hactenus*, *sub tit. de rei act. & except.*, ne rerum dominia perpetuo sint in suspenso, ut docuere *Donatus Antonius de Marinis lib. 1. Resol. jur. cap. 234.*, & Doctores ab eo enunciati, & ut per S. R. C. junctis Aulis fuit decisum in causa inter Cæsarem Gallucci, & heredes Mariæ Gallucci, referente Consiliario Jo: Baptista Hodierna sub die 28. Januarii 1661. teste *Rodoerio in addit. ad dictum caput*.

Nec omittendum censuit S. R. C., ex scripturis in actis exhibitis constare, eundem Ill. Ducem tacite actioni in factum revocatoriæ pluries renunciasse, ubi in judicio petiit venditionem feudi, ut de suo credito satisfieret, ob quas petitiones ab actione cecidit; ægre enim jura patiuntur, aliquem improbare quod jam antea semel probavit, ex *Scævola* in *L. Pomponius 10. ff. de neg. gest.*, & ex *Ulpiano* in *L. quod si nolit 31. §. in factum ff. de ædil. edicto*.

Advertit tandem S. R. C., qu. D. Fabium Caputo in instrumento venditionis pacto se obligasse tamquam specialem Procuratorem emptoris ad Regium Assensum obtinendum, & ad adimplenda cetera necessaria pro validitate, ac firmitate venditionis. Unde liquet, defectum registrationis Assensus in quinternionibus Regiæ Cameræ esse tantummodo imputandum culpæ ejusdem qu. D. Fabii venditoris. Exinde heredem ejus, qui nullitatis Assensus causa fuit, non posse nullitatem allegare, sic enim esset aperta via fraudibus, & ex unius culpa alter damnum pateretur, quod jura abhorrent, ne ex aliena malignitate damnum tertii emergat, ex *Justiniano* in *L. ex libris 12. C. de*

C. de acquir. & retin. possess. Hinc S. R. C. censuit esse actori denegandam petitam revocationem.

Michael Priscolo Act. Mag. -- Bernardus Priscolo Scriba.

In causa Ill. D. Nicolai Pallavicino, cum Doctore D. Josepho Macri. Die 5. Novembris 1782.

Referente Reg. Cons. D. Jo: Baptista Starace,

S. R. C. decrevit: *Contractum emphyteuseos initum inter qu. D. Philippum Pallavicino, & Doctorem D. Josephum Macri sub die 3. mensis Aprilis 1751. fuisse, & esse nullum; pro cujus effectu dictus Macri relaxet domum in actis deductam in beneficium Ill. D. Nicolai Pallavicino, vigore fideicommissi instituti a qu. D. Juditha de Trojanis, solutis prius per dictum D. Nicolaum meliorationibus in beneficium dicti Doctoris Macri forsan factis, pro quarum liquidatione in biduo audiantur partes, & idem de Macri procuret compilationem termini, & expeditionem causæ infra duos menses, quibus elapsis, providebitur per S. C. super exequutione præsentis sententiæ.*

Alienatio rerum minoris, nonnisi cum æs alienum urgeat, Prætori permissa est.

Liquet enim, a D. Juditha de Trojanis non solum alienationem domus in actis descriptæ, sed fructuum etiam obligationem expresse fuisse prohibitam, & super domo prædicta perpetuum instituisse fideicommissum in beneficium primogeniti ex D. Ambrosio Pallavicino ejus filio, & donatario descendentis in infinitum, quibus deficientibus, ad alios vocatorum gradus fuisse progressam. Constat etiam, D. Nicolaum Pallavicino esse vocatum in primogenitura prædicta, ideoque nulla prorsus habenda est in emphyteusim concessio facta in beneficium D. Andreæ Garofalo, & pro eo D. Josephi Antonii Macri contra donantis voluntatem, & contra jus *L. 7. C. de reb. alienis non alienan.*; qua cavetur, sive lex alienationem inhibuerit, sive testator hoc fecerit, sive pactio contrahentium hoc admiserit, non solum dominii alienationem esse prohibendam,

dam, sed ususfructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi: Similique modo & servitutes minime imponi, nec emphyteuseos contractus. Neque obstat decretum *Quod expedit* una Aula a M.C.V. expeditum; nam in præjudicium minorum, aut eorum, qui minorum privilegio gaudent, ex *Nov. 72. cap. 5. in fin.*, uti sunt futuri vocati in fideicommisso, non est alienatio permittenda, nisi constet de legitima alienationis necessitate; Prætori enim non liberum arbitrium datum est distrahendi res minorum, sed ita demum, si æs alienum immineat: ideoque si Prætor alienationem permiserit ære alieno non allegato, consequenter dicimus, nullam esse alienationem, nullumque decretum; non enim passim distrahi juberi Prætori tributum est, sed ita demum si urgeat æs alienum, ut in *L. 5. §. 14. ff. de reb. eor. qui sub tutela &c.* At cum in emphyteusis concessione nulla legitima necessitas fuit probata, merito itaque nulla a S. C. domus alienatio fuit declarata, maxime vero, quia deficiunt solemnitates a *Prag. un. de vinc. & condit. quomodo amov.* statutæ in quolibet decreto *quod expedit* pro alienatione legitima bonorum fideicommisso subjectorum. Et refectio meliorationum a S. C. fuit ordinata, quia iniquum est etiam pupillum ceptare lucrum ex damno alieno, ut in *L. 13. in fin. ff. de reb. eor. qui sub tutela &c.*

U.J.D. Basilius Basile Act. Mag. -- Antonius Perez Scriba.

In causa Ill. Ducis Castellucii D. Joannis Francisci Caracciolo, cum Ill. Duce, & Ducissa Montis Ardui D. Fulvio Januario Caracciolo, nomine ut ex actis, & D. Hippolyta Caracciolo. Die 18. Novembris 1782.

Referente Regio Consil. Ill. Consultore D. Deodato Targiani, cum interventu Regii Consil. D. Basilii Palmeri adjuncti.

Fideicommissum agnatitium masculinum familiare intelligitur, in quo vocantur primogeniti ex primogenitis ma-

Per S. R. C. fuit declaratum: *Bona subjecta fideicommisso instituto per qu. D. Mutium Caracciolo, stante morte sequuta Ill. Ducis Resiliani D. Dominici Caracciolo absque filiis masculis, spectavisse & spectare ad Ill. Ducem Castellu-*

stellatii D. Jo: Franciscum Caracciolo una cum fructibus a die mortis dicti Ill. Ducis Resiliani. Neutram partem in expensis.

Mutius Caracciolo primo ad sui successionem in usufructu dumtaxat vocavit Carolum Caracciolo Jo: Francisci fratrem sibi sanguine conjunctum: præterea ejusdem Caroli filium primogenitum: & sic deinceps primogenitos ex primogenitis masculis, feminis semper exclusis, ut bona numquam distrahenda perpetuo servarentur in familia; at masculis deficientibus, vocavit primogenitum ex sua familia Caracciolo ultimo defuncto proximiorem. Quis in hujusmodi dispositione non agnoverit fideicommissum agnatitium masculinum familiare, exclusis semper fœminis? Defuncto igitur sine filiis masculis Dominico Caracciolo Resiliani Duce ultimo fideicommissario, restat exclusa Hippolyta Caracciolo ejus filia, quæ licet sit agnata, & ultimo defuncto proximior, caret tamen qualitate sexus masculini, quam testator expresse requirit. Prius necesse est, ut quis sit ex genere vocatorum ad successionem; deinceps, ut sit proximus: nihil enim prodest proximitas ei, qui non habet jus capiendæ hereditatis, ut videre est in *§. emancipati: Inst. tit. de success. quæ ab intest. deferunt., & in toto tit. ff. ad S.C. Tertyll.* Restat pariter exclusus D. Paschalis Caracciolo D. Hippolytæ filius, qui licet gaudeat masculini sexus qualitate, haud ille tamen natus est ex masculo. Videtur res sane absona, testatorem, neglecta femina agnata filia fideicommissarii vocasse ad successionem filium non agnatum ejusdem feminæ neglectæ. Quæ huc in controversiam ducunt Doctores, an scilicet appellatione masculorum in substitutionibus comprehendantur masculi nati ex feminis, in specie nostra nihili habenda sunt; testator enim aperte prædilexit masculos natos ex masculis. Utraque igitur illa sententia lubrica, ac periculosa censenda est: eaque sola approbanda, quæ testatoris voluntate fulcitur. Ruit denique & altera quæstio agi-

sculis, feminis, licet agnatis, & proximioribus, semper exclusis.

agitata de nuptiis D. Hippolytæ in familia initis cum D. Fulvio Caracciolo Duce Montis Ardui, qui prætenditur descendisse ex Marino Caracciolo Tiberii fratre, ex quo Tiberio & Resiliani Dux, & Castellucii Dux descendunt. Etenim esto licet firma ac certa ista descensio ex Marino, haud tamen evincuntur nuptiæ in familia testatoris, sed dicendæ potius in testatoris gente, quæ & familiam, & domum ipsius testatoris prorsus excludit, ut patet notione agnatorum de domo, & familia, & notione gentilium, ex *L. pronunciatio* 195. *ff. de verb. sign.* Restat contra vocatus in fideicommisso instituto a Mutio Jo: Franciscus Dux Castellucii, qui descendens ex Jo: Francisco fratre Caroli primo vocati, est extra dubitationis aleam de familia testatoris. Jure igitur meritoque S.C. censuit, fideicommissum spectavisse & spectare, non Doctorum opinationibus, sed voluntate testatoris, quæ tuenda est, *L.* 17. *ff. de injusto, rupto, ac irrito testam. C. admonere, e. consideratio qu.* 1. *causa* 6., ad eumdem Jo: Franciscum Castellucii Ducem.

Doct. Euphebius Girardi Act.Mag. -- Nicolaus Barletta Scriba.

In causa Doctoris Physici D. Antonini Castellano, cum Rev. D. Thoma, & aliis fratribus de Ossivaldi. Die 7. Junii 1783.

Referente Regio Consil. D. Nilo Malena.

Qui alii consensit, jus suum remittere videtur.

Per S.R.C. decretum fuit: *quod D. Antoninus Castellano non molestetur ad instantiam fratrum de Ossivaldi pro prætenso congruo. Nil pro expensis.*

Ratio decisionis in eo consistit, quod fratres de Ossivaldi, qui retractus jure fundum petiere, ejusdem fundi venditioni non modo consensum præstitere, sed venditionis quodammodo auctores extiterunt. Cum enim D. Nicolaus, D. Hadrianus, & D. Carolus Ossivaldi fundum alienare animo destinassent, actores de Ossivaldi eis Judicis decreto venditionem inhibuere ob substitutionem, cui fundus

dus subjectus dicebatur, atque ob creditum quod super eo ipsi actores habere jactabant, quod inhibitionis decretum fuit D. Antonino Castellano significatum.

Postmodum vero conventione inita actores alienationi consenserunt; quinimmo eorum creditum in summa duc. 89. ab emptore Castellano virtute dictæ conventionis receperunt, eique insuper jura cesserunt. Quæ cum ita sint, contractum, cui ipsimet consenserunt, infirmare, fundumque ab emptore quovis jure revocare non posse S. C. censuit: ex consensu enim permissivo tacita colligitur renunciatio, unde regula est, quod qui alii consensit, jus suum remittere videtur, perinde si ipse actum, cui consensum accommodavit, faceret, *L. nihil §. 1. de leg. 1. L. fidejussor §. pater de pignore*; id sane in usufructuario locum habet, qui consensiens proprietario, ut alienet rem totam, videtur remisisse usumfructum, *L. apud Celsum §. quæsitum de dol. mal. except.* Id denique & in hypotheca, qua jus retractus potentius est, exploratum habemus. Creditor enim, qui permittit rem venire, pignus dimittit, *L.* 119. *de reg. jur. L. debitor* 4. *§.* 1. *L. sciant* 8. *§. si voluntate quib. mod. pign. vel hypoth. solvitur.*

De Martino.

In causa D. Andreæ, & D. Rosæ Pansa, cum Creditoribus Patrimonii D. Thomæ Pansa, & D. Ursulæ Palumbo. Die 8. Julii 1783.

AD instantiam nonnullorum Creditorum usque ab anno 1768. in Supremo S.R.C. Senatu reperitur deductum Patrimonium magn. conjugum D. Thomæ Pansa, & D. Ursulæ Palumbo, necnon ceterorum fratrum de Pansa; pro cujus effectu bona, quæ dictis debitoribus a qu. D. Hieronymo Pansa, & D. Horatio Palumbo, ac D. Agnete Casoria obvenere, sequestro subjecta fuere etiam quoad fructus. At pro parte filiorum conjugum Pansa, & Palumbo deductum fuit in S. C. bona prædicta obnoxia reperiri fidei-

Favore alimentorum bona ipsa fideicommisso subjecta possunt alienari.

fideicommissis, & substitutionibus per præfatos qu. Pansa, Palumbo, & Casoria ordinatis, ad quorum fruitionem cum ipsi ex propriis personis vocarentur; idcireo petierunt ad illorum venditionem non procedi, ac ipsis alimenta super bonis prædictis fore præstanda.

Super hisce actionibus, & Creditorum exceptionibus S.R.C. terminum ordinarium statuit, quo per utramque partem expleto, die 18. Septembris 1772. suam definitivam sententiam dixit, quæ etiam in gradu in integrum restitutionis fuit confirmata, & fideicommissum institutum a qu. D. Hieronimo Pansa seniore subsistere declaravit; respectu vero bonorum, quæ pervenerant a conjugibus *Palumbo*, & Casoria, partes melius informare decrevit; salva provisione facienda super alimentis petitis per fratres de Pansa.

Rebus sic stantibus, & non adhuc per S.C. explicata provisione prædicta, quum D. Rosa Pansa dictorum conjugum D. Thomæ, & D. Ursulæ Palumbo filia Monasterium ingredi vellet, ejus fratres petierunt in S. C. ex fructibus Patrimonii ipsis liberandos esse duc. 120. pro expensis ingressus, juxta exhibitam notulam confectam per Rev. Abbatissam Monasterii sub invocatione S. Mariæ de Grada Terræ Conchæ, & annuatim per idem Patrimonium solvendos esse duc. 25. in beneficium ejusdem Monasterii pro alimentis dictæ eorum sororis: quæ quidem instantia termino pariter subjecta fuit, quumque pendente termini compilatione minime obtineri poterat petita liberatio duc. 120.; ideo D. Xaverius Pansa natu major ex fratribus D. Rosæ se obligavit penes acta Patrimonii de illis restituendis post mortem patris, casu quo S.C. illorum liberationem compilato termino denegasset, & ita illam obtinuit.

At termino jam super deductis compilato instantibus ipsis fratribus de Pansa, saltem pro alimentis præstandis uni D. Andreæ natu minori, ad hoc ut humanioribus literis,

teris, ac altioribus disciplinis in hac urbe vacare posset.

Referente Reg. Consil. D. Jo: Baptista Starace.

S. R. C. sequentem protulit sententiam, qua explicando provisionem reservatam in sententia superius enunciata diei 18. Septembris 1772. declaravit: *Deberi D. Andreæ Pansa duc. septem quolibet mense pro alimentis super bonis sequestratis fideicommissis qu. D. Horatii Palumbo, & D. Hieronymi Pansa subjectis; necnon deberi annuos duc. 25. quolibet anno pro alimentis D. Rosæ Pansa ingressæ Monasterium in Terra Conchæ, & duc. 120. erogatos pro expensis dictæ ingressionis; pro quo effectu deleatur obligatio facta a D. Xaverio Pansa ejus fratre; necnon visa instantia Curatoris, fiat sequestrum bonorum penes tutum tertium.*

Duxit enim S. C. jure meritoque præstandos fore annuos duc. 25. pro alimentis D. Rosæ Pansa, & duc. 120. pro expensis ingressus in Monasterium prædictum, cum tam ex clara voluntate fideicommittentium, quam ex dispositione legis, & præsertim notissimæ *Auth. Res quæ, C. commun. de legat. & fideicom.*, *& de in rem missione toll.* desumptæ ex *Nov.* 39., ex bonis dictis fideicommissis subjectis dos ipsi statui deberet, itaut bona ipsis obnoxia ex hac causa jure possint alienari, quod pariter per idem S. C. factum fuit pro alia ejus sorore D. Catharina, cui dos adsignata fuit in summa duc. circiter 1000.; ideoque ex fructibus dictæ dotis illam alendam declaravit.

Quo vero ad alimenta adsignata in beneficium D. Andreæ Pansa, S. C. in comperto habuit casum *Auth. Res quæ* favorem dotis respicientem fore, & esse extendendum etiam ad alimenta futurorum vocatorum ad fideicommissum, ut ex Interpretibus dictarum *Nov.*, & *Auth. Rittbersusio*, *Matthia Stefano*, *Bartolo*, ceterisque ad materiam scribentibus sat clare eruitur; quodque eo vel magis confirmatur ex dispositione *Nov.* 108., ex qua desumpta est *Auth. contra eum rogatus C. ad Sen. Conf. Trebell.*, in qua *Justinianus* loquitur de fideicommissis mandantibus

 resti-

restitutionem ejus, quod supererit in hereditate, cum gravatus moritur, ibique ad tollendas veterum ambages, qui certam metam gravatis non imposuerunt, ad evitandas eorum dissolutas alienationes, nisi quod veteres ipsi arbitrium boni viri huic fideicommisso taeite inesse existimabant, ut ex *Papiniano* colligitur in *L.54. ff. ad S.C.Trebell.*, ubi sententiam hac de re *Divi Marci Imperatoris* profert, & adprobat sapientissimus laudatus Imperator arbitrium boni viri incertum esse existimans, ideo ad præcidendas litium ansas, veterum incertitudinem ad certum modum, sive quantitatem redigere voluit, statuitque posse heredem sic gravatum alienare, vel consumere ex qualibet causa usque ad dodrantem, itaut solus quadrans salvus & integer ad fideicommissarium pertineret: Deinde laudatus Imperator ex hoc ipso quadrante heredi deducere permisit, quod opus fuerit ad dotem, sive donationem propter nuptias, ad redimendos ex captivitate liberos, & quantum denique ad alimenta requireretur. Ex quo sat clare colligitur favore alimentorum bona ipsa fideicommissis obnoxia posse alienari, ac proinde multo magis exigua pars fructuum ad substentationem futurorum vocatorum actu existentium poterit adsignari.

Et quamvis in casu præsenti opponi posset, bona, ex quibus alimenta D. Andreæ per S. C. statuta sunt, sequestro supposita reperiri ad instantiam Creditorum ejus patris, & patruorum; ideoque nequeat pars fructuum a sequestro separari, quippe qui tantum pro satisfactione Creditorum sunt erogandi: tamen argumento ducto ex *L.7. & ult. C. de ordine cognit.* infertur etiam ex bonis sequestro obnoxiis posse ipsum debitorem alimenta sibi vindicare; imo *Constantinus Imperator* sapientissimus dictæ legis auctor non ambiguis verbis statuit, prudenti Judicis arbitrio tantum subministrari, quantum pro alimonia, & litis impensis necesse foret: idcirco non immerito S. C. alimenta debitoris filio præstanda duxit, eo vel maxime quod

quod vigore fideicommissorum, quibus bona sequestrata subjecta reperiuntur ipse ad illorum fruitionem post patris mortem, una cum ceteris fructibus expresse vocatur, ideoque jus quæsitum ad illa habet. His itaque omnibus mature perpensis, S. C. ad enunciatam sententiam devenit.

U.J.D. Franciscus d'Amora Act.Mag. -- Joannes Giordano Scriba.

In causa magn. D. Lucretiæ Munizza, cum heredibus qu. D. Bonifacii Maruca. Die 18. Augusti 1783.

Referente Regio Consil. D. Philippo Villani.

Per S.R.C. fuit provisum: *Donationem reciprocam initam inter sponsos D. Lucretiam Munizza, & qu. D. Bonifacium Maruca in capitulis matrimonialibus stipulatam per Notarium Dominicum Matarazzi Civitatis Neocastri, cum prævisione etiam casu mortis ante matrimonium alterutrius promittentis, & stipulantis, fuisse & esse validam, usque ad mortem dicti D.Bonifacii ante matrimonium resolutum; proinde implente herede D. Bonifacii promissionem ratæ usufructus bonorum hereditariorum ejusdem D. Bonifacii prædicto instrumento donati præfatæ D. Lucretiæ, vita ejus durante, usufructus bonorum D. Lucretiæ post obitum ejusdem consolidari debere cum proprietate vicissim donata eidem D.Bonifacio, & ejus heredibus supracitato instrumento; quapropter dicta D. Lucretia caveat de utendo, & fruendo tam rata bonorum hereditariorum D. Bonifacii, quam suis propriis bonis vicissim donatis, salva proprietate in beneficium heredum ipsius D. Bonifacii boni viri arbitratu, & tamquam diligens paterfamilias, salva etiam eidem facultate sibi reservata disponendi de summa duc. 50. ad ejus libitum. Nil in expensis.*

Licet inter sponsos ante contractas nuptias bona vicissim promitti, & stipulari.

Nil enim prohibet inter sponsos ante contractas nuptias bona eorundem vicissim promitti, & stipulari, *L. si ante matrimonium* 8. *C. de donat. ante nupt. Afflict. dec.* 61. *num.* 3. *in fin. Merlin. dec.* 664., quare quum D. Lucretia pro-

proprietatem omnium suorum bonorum D. Bonifacio Maruca futuro ejus sponso, ejusque heredibus & successoribus donasset, etiamsi ipse D. Bonifacius præmoreretur, vel sine culpa ipsius non confecto adhuc matrimonio, ab hac vita migrasset, & vicissim si ipsa superstes esset uti & frui deberet bonis D. Bonifacii tam paternis, quam maternis, quæ ille possidebat in oppido Serræ Strictæ, cum herede, vel heredibus ipsius D. Bonifacii, salva eisdem semper proprietate, cum usufructu consolidanda post obitum ipsius D. Lucretiæ; nulla lex vetat prædefuncto jam D. Bonifacio ante nuptias, ejus heredibus proprietatem bonorum D. Lucretiæ quæri potuisse, quum hoc pactum neque contra bonos mores, nec aliter a jure improbetur, *L. conventionem §. pacta servanda ff. de pactis*. Seductio vero, qua causatam fuisse dictam donationem prætenditur, nullibi probata videtur. Magisque hoc confirmatur, quod post obitum dicti D. Bonifacii multas præstationes a D. Thoma Maruca ejus herede accepisset sine ulla protestatione, & si deinde recusavit, cum per ipsum non stetisset, ut ipsa rata ususfructus frueretur, non potest ullo modo illa causari: proinde licebit D. Lucretiæ uti frui non solum omnibus suis bonis, salva proprietate in beneficium dicti D. Thomæ, sed etiam rata ususfructus bonorum D. Bonifacii. His positis, S. C. censuit, proprietatem bonorum D. Lucretiæ ad heredem D. Bonifacii pertinere.

U.J.D. Jo: Maria Graziano A.C.Mag. -- Paschalis Grandolino Scriba.

In causa D. Paschalis Palmieri, cum ejus Creditoribus dissentientibus. Die 12. Septembris 1783.

Referente Reg. Consil. D. Jo: Baptista Starace.

Major pars pro modo debiti, non pro numero personarum, reputanda est.

Per S. R. C. decretum est: *quod concedatur dilatio quinquennalis magn. D. Paschali Palmieri etiam attento consensu Creditorum majoris summæ.*

Ratio enim judicandi oritur ex *text. in L. 8. §. hodie*

die tamen ult., *& L. 9. ff. de pact.* Priori legi *Ulpianus* respondet: *quod si creditores convenerint in unum, & communi consensu declaraverint quota parte debiti contenti sint, pactio hujusmodi creditoribus obest. Si vero dissenserint, tunc Prætoris partes necessariæ sunt, qui decreto suo sequitur majoris partis voluntatem*. Et *Papinianus* in *dict. L. 9.* subjungit: *majorem partem pro modo debiti, non pro numero personarum reputandam &c.*

U.J.D. Basilius Basile Act. Mag. — Januarius Praitanus Scriba.

In causa Universitatis, & Civium Terræ Vinclatorii, cum D. Andrea, aliisque fratribus de Pecci emphyteutis Abbatiæ S. Mariæ Montis viridis. Die 15. Septembris 1783.

Referente Regio Consil. Marchione D. Carolo Cito.

S. R. C. decrevit: *Competere Universitati, & Civibus Terræ Vinclatorii in toto territorio Abbatiæ Montis viridis jus pascendi, aquandi, & pernoctandi toto tempore anni, excepto tempore recollectionis spicæ, & glandium, in quo eisdem competit jus pascendi animalia domita tantum; necnon jus lignandi ligna sicca, & viridia infructifera, cum onere tamen annuorum duc. 15. pro censu perpetuo, solvendorum magn. fratribus de Pecci emphyteutis dictæ Abbatiæ; & eis Civibus competere jus seminandi, in quo comprehenditur jus colendi, & excolendi, & segetes gubernandi in dicto territorio Abbatiæ, cum onere tantum decimæ victualium recolligendorum a satis in eo, præstandæ pariter eisdem fratribus de Pecci; necnon tuguria, & fabricas faciendi in territoriis per Cives dictæ Universitatis pro cultura possessis; & cetera faciendi juxta solitum, & juxta immemorabilem consuetudinem. Verum jura prædicta non impediant exercitium jurium competentium Universitatibus, & Civibus Terræ Mirabelli, & S. Juliani, servata formâ antiquarum conventionum initarum inter dictas Universitates, & præteritos Abbates dictæ Abba-*

Temporis antiquitas multum diutina justi tituli vim obtinet.

Judex ubi dignoscit minorem non fuisse læsum, adprobat illius contractum.

Abbatiæ Montis viridis. Salvo tamen eisdem fratribus de Pecci jure exigendi præstationem, vulgo nuncupatam la Rifondirura, *pro iis territoriis, quæ ab ipsis uti Civibus Terræ Vinclatorii, & colonis, non vero uti emphyteutis possidebantur, & possidentur, & quoad cetera deducta per Universitatem, & Cives dictæ Terræ partes plenius informent. Necnon quoad prætensam nullitatem instrumenti conventionis anni 1522. inter dictam Universitatem, & tunc temporis Abbatem dictæ Abbatiæ. Universitas, & Cives dictæ Terræ absolvantur ab impetitis per dictos fratres de Pecci. Neutram partem in expensis.*

Quum enim Universitas, & Cives Terræ Vinclatorii ab antiquissimo tempore supra hominum memoriam extitissent in non interrupta possessione supra enunciatorum jurium in territorio Abbatiæ Montis viridis, cum onere annui canonis perpetui duc. 15., & decimæ satorum in dicto territorio, anno 1771. petiere in S. R. C. manuteneri in dicta immemorabili possessione jurium prædictorum adversus fratres de Pecci emphyteutas dictæ Abbatiæ. Confectis hinc quamplurimis actis, datisque ordinibus in possessorio, tandem pro dictis juribus, pro revindicatione territorii per dictos fratres de Pecci usurpati, & pro usu, vel abusu aquarum defluentium in eodem territorio deductis per Universitatem, ac pro nullitate instrumenti conventionis initæ anno 1522. inter tunc temporis Rev. Abbatem D. Fabritium de Capua, & Universitatem, allegata per fratres de Pecci, fuit lis ad terminum probatorium dilata: quo per ambas partes expleto scripturis, & testium dictis, constitit, Universitatem, & Cives Terræ Vinclatorii ex antiqua consuetudine ante dictum annum 1522. jactasse in toto territorio Abbatiæ possessionem pascendi, aquandi, pernoctandi, & lignandi, necnon extitisse in possessione seminandi, & segetes gubernandi in dictis territoriis, cum onere decimæ partis victualium recolligendorum a satis in eis; & in dicto anno 1522. ad

ad evitanda jurgia, & lites, conventione inita cum Rev. Abbate per publicum instrumentum fuisse Universitatem, & Cives confirmatos in possessione, & exercitio jurium in perpetuum super toto territorio Abbatiæ, cum onere tantum annuorum duc. 15. pro censu perpetuo, & decimæ victualium præstandæ RR. Abbatibus pro tempore, sed cum aliquibus reservationibus respectu juris pascendi.

Constitit pariter, dictam Universitatem, & Cives ab eo tempore stetisse in non interrupta, nec contradicta possessione dictorum jurium, & sub jure seminandi, & segetes gubernandi fuisse comprehensum jus excolendi: Cives enim dictæ Universitatis absque ulla concessione, vel onere ad eorum libitum territorium Abbatiæ libere excoluere.

Constitit insuper, Universitatem, & Cives non tantum a dicto anno 1522., sed ab immemorabili quasi possedisse jura prædicta. Quod colligitur ex actis confectis anno 1602. instante Rev. Cardinale Sylvio Antoniani tunc temporis Abbate, ex actis, & sententia S. R. C. prolata anno 1707. favore dictæ Universitatis, & Civium adversus Rev. Cardinalem Cantelmum Abbatem, ex processu, & decreto M. C. de anno 1710. inter Rev. Cardinalem Grimaldi Abbatem, & Ascanium Pagano conductorem Abbatiæ, ac tandem ex probationibus, & ex testium dictis in præsenti judicio receptis super articulis Universitatis Vinclatorii, & Civium.

Similiter probatum extitit, sub jure seminandi, & segetes gubernandi, fuisse comprehensum jus excolendi territoria non adhuc culta, nam Cives ab immemorabili, absque ulla Abbatum concessione, contradictione, & restrictione vel minima, absque ullo onere, ad eorum liberum arbitrium, & prout necessitas expostulavit, territoria non adhuc culta Abbatiæ excoluerunt: quæ constans observantia, & immemorabilis consuetudo jus seminandi explicaverunt, *minime enim sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt*, ex *Paulo* in *L. minime*

22. *ff. de legib.*, & ficuti *optima est legum interpres Consuetudo*, ex eodem in *L. si de interpretatione* 37. *ff. eod.*, ita similiter est & pactorum, & conventionum; quod eo magis locum sibi vindicat, si contradictio adfuit, & consuetudo firma remansit, ex *Ulpiano* in *L. cum de consuetudine* 33. *ff. eod.*, & ubi fuit per longissimum temporis spatium memoria hominum excedens firmata, intelligitur fluxisse a titulo præcedenti, & ab illo durationem continuatam habuisse; quinimo validissimum firmat titulum; itaut neque tituli, neque bonæ fidei probationem ullam requirat: nam præter quod ex solo lapsu longi temporis & titulus, & bona fides facile præsumuntur; ipsa etiam temporis antiquitas tam diutina justi tituli vim obtinet; docuit enim *Pomponius* in *L. hoc jure* 3. *§. 2. ff. de aqua quotid. & æst. Ductus aquæ, cujus origo memoriam excesserit, jure constituti loco habetur*; & *Ulpianus* in *L. 1. §. ult. de aqua pluv. arcend.* ait: *Si agri lex non inveniatur, vetustatem vicem legis tenere*.

His sedulo perpensis, S. R. C. quoad jura prætensa per Cives Vinclatorii, & quoad exactionem præstationis nuncupatæ *la Rifonditura*, prætensam per fratres de Pecci, in supra enunciatam ivit sententiam, reservando Universitatibus, & Civibus Mirabelli, & S. Juliani exercitium jurium ipsis competentium super eodem territorio Abbatiæ, juxta antiquas conventiones initas inter prædictas Universitates, & præteritos Abbates, dilata sententia pro ceteris petitis ab Universitate, & Civibus, partibus plenius auditis.

Respectu denique nullitatis instrumenti conventionis de anno 1522. deductæ per fratres de Pecci, S. R. C. censuit, absolvendam esse Universitatem, & Cives Vinclatorii. Defectus enim assensuum Apostolici nempe, & Regii, instrumentum prædictum non infirmat: nam quum non fuisset cum dicto instrumento facta alienatio rerum Ecclesiasticarum, sed actum fuit de lucro captando Ec-
clesiæ

clesiæ, pro quo nullimode requiritur assensus Apostolicus; ex *Clement. exivi de Paradiso*, & ex *Extravag. ambitiosæ de reb. Eccl. alien. vel non*, defectus prædicti assensus Apostolici minime valet ad nullitatem instrumenti inducendam: Neque pariter objici potest defectus assensus Regii; fratres enim de Pecci, uti emphyteutæ, nequeunt uti beneficio competente Universitati, & Civibus Vinclatorii, quum beneficium prædictum sit minoribus concessum, & non extendatur ad personas cum eis contrahentes, ex *Juliano* in *L. si Judex* 42. *ff. de minorib.* Præterea Judex ubi causa cognita dignoscit, non fuisse deceptum, læsumque minorem, adprobat contractum, mandatque illum esse observandum, *nam non omnia quæ minores gerunt irrita sunt, sed ea tantum, quæ causa cognita ejusmodi deprehensa sunt, & ab aliis circumventi, vel sua facilitate decepti, aut quod habuerunt amiserint, aut quod acquirere emolumentum potuerunt omiserint, aut se oneri, quod non suscipere licuit, obligaverint*, ex *Ulpiano* in *L. non omnia* 44. *ff. eod.*, & ex *Alexandro* in *L.* 1. *C. qui, & adversus quos in integr. restit. non possunt.*

U.J.D. Vincentius Basile Act. Mag. — *Bartholomæus Cecozza Scriba.*

In causa Ven. Monasterii Crucis Luccæ cum Michaele Angelo Visone. Die 20. *Decembris* 1783.

Referente Regio Consil. Ill. Marchione D. Carolo Cito,

S. R. C. pronunciavit: *Bene fuisse provisum per Dominum causæ Commissarium decretis dierum* 30. *Junii, &* 5. *Decembris hujus anni, oppositis a Michaele Angelo Visone non obstantibus. Necnon non esse locum Regalibus ordinibus; ac proinde Ven. Monasterium Crucis Luccæ absolvatur ab impetitis per eumdem Visone respectu petitæ prælationis; verum stante consensu præstito per idem Ven. Monasterium in sua supplicatione, Michael Angelus Visone præferatur, si voluerit, in conductione fundi, per triennium*

Quæ ad uberiores fructus recolligendos, & pro bona fundi cultura colonus impendit, meliorationum nomine repetere nequit; neque hujusmodi impensæ jus ei tribuunt prælationis in ejusdem fundi conductione.

nium duratura, inchoata nempe die 15. Augusti hujus anni, & finienda die 15. Augusti 1786. pro eadem mercede, & sub eisdem pactis contentis in albarano inito inter dictum Ven. Monasterium, & Andream, & Raphaelem Manna; ideoque dictus Michael Angelus Visone intra dies sex conficiat cautelam conductionis, servata forma dicti albarani, alias Ven. Monasterium utatur jure suo.

Quamvis enim Michael Angelus Visone per dicta testium conatus sit probare, qu. Josephum Visone ejus patrem, aliosque de Visone meliorasse fundum; attamen S. R. C. meliorationes prædictas non esse compensandas agnovit, utpote necessarias pro bona fundi cultura ad uberiores fructus recolligendos; conductor enim tenetur colere, & propagare, ut bonus paterfamilias, ex *glossa in L. si uno 17. §. cum quidam ff. locati, verb. remissio*, & tenetur facere, quæ secundum locorum consuetudinem in fundo requiruntur, ex *Cajo* in *L. si merces 28. §. conductor ff. eod.*; & quæcumque impensæ quærendorum fructuum causa factæ erunt, quanquam eædem colendi causa fiant, ideoque non solum ad percipiendos fructus, sed etiam ad conservandam ipsam rem, speciemque ejus necessariæ sunt, eas colonus, ut vir in re dotali, ex suo facit, nec ullam habet eo nomine actionem, ex *Neratio* in *L. & ante omnia fin. ff. de impen. in rem dot. factis*; itaut, ubi hæc tantummodo conductor adimpleverit, nec ipsum refici de expensis, nec præferendum esse in conductione, nec ipsis deberi sumptus assertarum meliorationum jure merito S. C. censuit, & hoc eo vel magis, quia renovatis per tot vices ad triennium cum ipsis de Visone locationibus, nusquam iidem de expensis meliorationum verbum fecere; qui potius expensas pro plantandis arboribus in confiniis fundi per speciale pactum Ven. Monasterio remisere.

Attamen quum per Ven. Monasterium fuerit præstitus consensus in dicta ejus supplicatione, ut præferatur, si volue-

voluerit, dictus Michael Angelus in locatione per triennium, jam conventa cum fratribus de Manna; ideo S. C. præferendum ipsum sub mercede, & pactis jam conventis cum novis conductoribus, decrevit.

Quaranta Act. Mag. -- Perez Scriba.

In causa Rev. D. Dominici, & D. Horatii Palmentiero cum Januario, & Francisco Imparato. Die 19. Januarii 1784.

Referente Regio Consiliario D. Petro Patritio.

Per S.R.C. fuit decretum: *Rev. D. Dominicum, & D. Horatium Palmentiero esse condemnandos ad restituendum, sive solvendum in beneficium Januarii, & Francisci Imparato ducatos 367. & asses 40. una cum interusurio ad rationem duc. quatuor pro quolibet centenario, calculando per Scribam causæ a die petitionis, nempe a die 15. Aprilis anni 1777., in bonis tamen hereditariis qu. Augustini Palmentiero. Neutram partem in expensis.*

Licet uxor se obliget cum marito, & fateatur pecuniam insimul recepisse, præsumitur tamen ad solum maritum pervenisse.

Mulieris herede petente dotis restitutionem objecere vir primum, deinde viri heredes, ex dote deduci oportere tum dimidium æris alieni, quod utriusque, viri nempe, & uxoris, eorumque obligatione in solidum fuerat contractum; tum sumptus extremæ ægrotationis, & funeris causa factos; tum denique legata, quæ mulierem reliquisse fertur. S. C. judicavit, viri heredes ad dotis restitutionem esse adigendos, deductis tantum sumptibus in exequiis erogatis.

Profecto nulla ratio subest, cur ex dote satisfieri permittatur creditori, qui utrique conjugi pecuniam dedit. Namque licet uxor cum marito se obliget, & fateatur, pecuniam ambo recepisse, & in communem utilitatem cessisse, præsumitur tamen ad solum maritum eam pervenisse, ut rectissime colligitur ex *Auth. si qua mulier C. ad S.C. Vellej.* illis verbis: *ni manifeste probetur, quod pecunia in propriam ipsius mulieris utilitatem expensa sit.* Quare

re

re etsi Regio assensu accedente, creditori mulier exceptionem Sen. Cons. objicere forte nequiret, si justa obligationis causa fuerit probata, nulla tamen exceptione juvare se potest viri heres in dotis restitutione ex bonis ejusdem viri facienda. Minime præterea viro, ejusque heredi concedendum, ut quod in ægram uxorem expendit, ex dote restituenda retineat. Sed tantum eis permittenda est deductio sumptuum funeris causa factorum, ex Antonini Rescripto: *Quod in uxorem tuam ægram erogasti, non a socero repetere, sed affectioni tuæ debes expendere. In funus sane ejus si quid eo nomine quasi recepturus erogasti, patrem, ad quem dos rediit, jure convenis. L. 13. C. de neg. gest.* Vide *L. & si quis 14. §. 7. ff. de relig. & sumpt. funer.* Ad legatum quod attinet, cum neque testamentum, neque codicilli exhibiti sint, ea perperam peti notius est, quam ut demonstratione egeat.

Joannes Maria Graziano Act. Mag. — Sebastianus Ricca Scriba.

In causa D. Petri Martullo cum D. Francisco Martullo. Die 4. Junii 1784.

Referente Regio Consil. Consultore Regni Siciliæ D. Antonino Ardizzone.

Si cessat repetitio ubi stipulationis causa naturaliter turpis est, multo magis deneganda est ubi naturali jure pactio est valida.

Ut simoniaca labe afficiatur conventio, debet liquere de Ecclesiasticitate Beneficii.

Per S. R. C. fuit decretum: *Bene fuisse appellatum pro parte D. Petri Martullo in ejus supplicatione, & male fuisse judicatum per M.C.V. in ejus decreto diei 26. Septembris 1778.; ac proinde condemnandum esse D. Franciscum Martullo ad solvendum prædicto D. Petro Martullo omnes reliquas quantitates debitas vigore instrumenti diei 24. Augusti 1774. Neutram partem in expensis.*

Causæ turpitudinem, labem scilicet simoniacam, in, qua de agitur, stipulatione, credidit versari M.C.V., proindeque & soluti repetitionem, & nondum soluti condictionem decrevit: utrumque tamen recte parum; nec profecto decretam repetitionem patiuntur jura, nec inspectis canonum institutis turpitudo, quæ profertur, erui potest. *Turpitudo*, inquit JCtus in *L. 1. de cond. ob turp. caus.*, *aut dan-*

dantis est tantum, non vero accipientis, aut accipientis dumtaxat, non etiam dantis, aut utriusque; utriusque, si qua fuit, in casu vel ipsa M. C. profitetur; quandoquidem sua in sententia & dantem, & accipientem ab omni jure super Canonia excidisse declaravit; utriusque autem cum versetur turpitudo, cessare soluti repetitionem exploratissimum est in *L* 3. *ejusd. tit.*; in pari enim utriusque contrahentis improbitate meliorem Rei conditionem suadent Juris regulæ, *L.* 2. *C eod.* Quamquam porro inanis sit ex turpi causa stipulatio, nec inde actio oriatur *L. generaliter cum seq. de verb. oblig.*, non ideo tamen si quid dederit, solveritque, repetit promissor, *L. mercalem* 5. *C. eod.* Id siquidem discriminis tradidere JCti inter datum solutumque ob turpitudinem, & promissum nondum solutum; Agit ad promissum is, cui promissum est: agit vero ad dati, solutique repetitionem is qui promisit, explevitque promissionem: Cum agit is, cui promissum est, ex turpi stipulatione agit, proindeque condictione summovetur propter turpitudinem, quæ inanem reddidit inde ortam actionem; Si tamen promissionem expleverit promissor, solutione extincta est stipulatio, eaque sublata, causa tantum extinctæ stipulationis superest, turpitudo videlicet, cujus cum auctor, & certe particeps sit promissor, sua ipse turpitudine a repetitione arceetur.

Ita quidem rem luculenter explicat S.C. in *L.* 8. *si ob turpem C. ob turp. caus.*; cujus sententiam nostri latius prosequuti sunt, brevius tamen Græci, qui dixere ibidem: *Si cum ex utraque parte turpitudo versatur, turpique ex causa promisero, si a me petatur, habeo quidem exceptionem; sed si solvero, non habeo repetitionem*; atque hic animadvertit S C. de naturali turpitudine agere leges, cum nempe promissionis causa vel ipso naturæ jure improbatur, ut puta homicidium, adulterium, lenocinium, Judicis corruptio, & his similia, quæ turpem omnino reddunt stipulationem, & adeo ut nullius momenti sit, nullamque pariat

riat actionem, juxta *L. si flagitii* 123. *de verb. obl.* Quod porro de simonia dici nequit, in simplicibus præsertim, ut vocant, Beneficiis: Quidquid enim sit de quæstione Canonistas inter, & Scholasticos nimium exagitata, nec in Tridentino definita, an humano tantum jure, scilicet canonum, prohibeatur, an divino simul; & humano, vel ipsi Scholastici, qui pro hac parte pugnarunt, fatentur, de jure naturæ validam esse pactionem; quin & disputant, an secundum Canones jure ipso irritetur. Videri poterit ad rem post *Suantium Piringh.* in *lib.5.Decr. tit.3. sect.6.* §. 4. Si ergo cessat repetitio ubi stipulationis causa naturaliter turpis est, multo fortius deneganda est ubi naturali jure valida est pactio, quamobrem de simoniaco scitissime inquit Divus Thomas in 2.2. *q.* 100. *art.6. vers. ad primum: Nec posse repetere pecuniam, quam turpiter dedit, licet alius injuste detineat:* quod notandum maxime. Hactenus supposita labe; sed an ea intercesserit in casu, discutiatur oportet: intercessisse putavit M. C., quia Ecclesiasticum credidit Beneficium, super quo inita fuit conventio; re tamen penitius inspecta, non ita visum est S.R.C., nedum quippe non liquet de Beneficii Ecclesiasticitate, prout liquere debet, ut simoniaca labe afficiatur conventio; sed & exploratissima testatoris voluntas contrarium suadet, evincitque, quandoquidem Franciscus Martullo de bonis suis illud instituit. Omnem ab eo arcuit Episcopi potestatem, vel ipsam Pontificis Maximi, enixe professus laicale non minus Beneficium, quam juspatronatus, utrumque ad suos, quos vocavit, consanguineos deferendum: Ecclesiasticum vero ut sit Beneficium, de rebus Ecclesiæ constitui oportet, aut de bonis auctoritate Episcopi Ecclesiæ consecratis. Id vel ipsa Beneficiorum origo demonstrat, patetque ex Beneficii definitione, quam celebriores Canonistæ posuere: *Ni res Ecclesiastica sit, in qua Beneficium consistit, nec Ecclesiæ, Episcopo auctore dicata, Ecclesiasticum non erit Beneficium, etsi spirituale onus*

onus adjiciatur, *precum puta*, *aut sacrificii*. *Utrumque porro requiritur*, *ut Ecclesiasticum sit Beneficium*, *bonorum qualitas*, *& Sacrum Ministerium*, ut optime animadvertit *Duarenus de S. E. M. lib.* 2. *cap.* 4. Episcopi auctoritatem vetuit Franciscus Martullo. Testatoris autem hujusmodi voluntatem servandam modis omnibus edixit Pontifex *Can.* 4. 13. 2.; & adeout ne quidem adsentiente Patrono quidquam immutare queat Episcopus, ex Tridentini decreto *sess.* 25. *de reform.*

Accedit his, quæ dicta sunt, quem præscripsit testator successionis ordo nedum in patronatus jure, sed in ipsomet Beneficio; quippe familiæ suæ prospexit, suis primo ex maribus descendentibus, his non existentibus ex feminis, utrisque deficientibus gentilium reliquis, proximitate sanguinis in omnibus observata, quæ profecto Beneficiorum Ecclesiasticorum indoli, naturæque repugnant, patrimonialeque Beneficium in utilitatem sanguinis potius, quam Ecclesiæ constituunt inter laicales Cappellanias cum onere precum, & sacrificii adnumerandum, ni expressa obstiterit fundatoris voluntas in ipsamet fundatione non sine legitima causa ab Episcopo approbata: præsefert namque ea vocatio successionis speciem, quam & nova, & vetus Ecclesiæ disciplina respuit improbatque. *Garzia de benefic.* *Van-Espen p.* 2. *tit.* 19. *cap.* 4. *n.* 20.

Duo his e facto petita objici possunt: Testatorem nempe Episcopo institutionem nominati ab heredibus reservasse, & Præbendam, quam legavit, in Canoniam erigi voluisse: An neutrum obstat, quo minus præposita subsistant:. Porro non institutio, quam nominato a Patronis impartitur Episcopus, Ecclesiasticum efficit Beneficium, sed qualitas rei, quæ scilicet sit in fundatione auctore Episcopo dicata Ecclesiæ, ut commonstratum est nuper, unde concludunt passim Canonistæ, non ideo censeri Ecclesiasticum Beneficium, quod voluerit testator nominatum a Patronis, quos statuit, ab Episcopo instituendum, ut

videre est apud *Pirrum Corradum Prax. Apost. Disp. lib.4. cap. 2. n. 17.*, *& in Prax. Benef. lib. 1. cap. 2. Van-Espen par. 2. Jur. Can. tit. 18. cap. 1. n. 22.*, sique potiori jure cum in ipsamet reservatione testator laicum declaraverit velle Beneficium constituere, prout enixe declaravit Franciscus Martullo; erigendam quidem voluit Canoniam, sed laicalem, nec aliter fuit erecta ab Episcopo, admissaque a Capitulo, quia & adjectæ conditiones titulo tenus non re Canonicum effecere; en quæ inter ceteras adjectæ fuerunt, ut hujuscemodi Canonicus constituto a testatore legato, sive Beneficio contentus nusquam particeps sit fructuum, juriumque ad Capituli massam spectantium: ut distributiones consequi nequeat quotidianas, quoties ipse non intervenerit, infirmitate quamvis, aut alia legitima causa detentus: ut in ejusdem Capituli negotiis non habeat suffragium: ut ei stallum tunc permittatur in choro, cum duo alia propriis sumptibus construxerit, quin ut etiam admissus expelli possit, si onus hocce non adimpleverit. Ventosum porro Canonici nomen & inane præstat ita constituta Canonia, non Ecclesiasticam dignitatem, multoque minus Ecclesiasticum Beneficium, ut apposite tradidere *Rebuff.* in *Concord. rubr. de reserv.*, & in *Pragm. Sanct. de coll.*, *Raviot. ad Arrest. Parl. disc. 343. n. 3.*, & alii plures; atque hinc datur intelligi cur ipsamet Episcopalis Curia, non obstante Clementis Papæ V. Constitutione, decretoque Tridentini, Bernardum Martullo annorum viginti vix initiatum Clericum ad hujusmodi Canoniam admiserit, feratque hactenus non Presbyterum: cur nominatum nonnisi vi cessionis, sive conventionis, de qua agitur, non rejecerit, quamquam vel in ipso nominationis instrumento quantitatum promissio, & solutio patefactæ fuerint adamussim: cur denique elapso quatrimestre, & insuper annis a vacationis die, devolutum non declaraverit pro illa saltem vice juspatronatus: Cognovit nempe Episcopus, suaque Curia laicalem esse Cappellaniam, laicale

cale jus nominandi, simplicem honoris titulum Canoniam, nil denique spiritualitatis inesse, unde simoniacæ pravitatis sumi possit materies. His igitur omnibus, quæ ex juris utriusque fontibus educta sunt, sedulo perpensis, nec solutum repeti, nec hactenus non solutum condici posse censuit S. C., proindeque merito edixit male ab ea fuisse judicatum, bene tamen appellasse creditorem.

Cajetanus de Martino Act.Mag. — Cajetanus Fedele Scriba.

In causa D. Nicolai de Tintis cum Rev. Capitulo Terræ Nucum. Die 11. Septembris 1784.

Ad relationem Regii Consil. Marchionis D. Josephi Mauri.

S. R. C. statuit: *Bene fuisse reclamatum a magn. D. Nicolao de Tintis ejus supplici libello loco reclamationis porrecto in S.R.C., & male judicatum in sententia per idem S. C. lata die 8. Aprilis elapsi anni 1783.; ac proinde omnia bona remansa in hereditate qu. D. Fulviæ Putignano; & Rev. Capitulo Terræ Nucum delata ex tabulis testamenti ejusdem Fulviæ, restituantur magn. D. Nicolao de Tintis legitimo successori qu. Rev. D. Fabii Putignano; fratris præfatæ testatricis; quæ restitutio bonorum fiat una cum fructibus, liquidandis a die litis contestatæ, videlicet die 15. Decembris 1770., qua fuit terminus ordinarius impartitus super judicio principali; pro qua liquidatione fructuum in biduo audiantur partes. Neutram partem in expensis.* Unius testis in quacumq. causa responsio non auditur, etsi præclaro Curiæ honore præfulgeat.

Testamentum enim, de quo lis erat, Fulviæ Putignano nomine scriptum, cujus vi illius hereditas ad Rev. Clerum, & Capitulum Terræ Nucum delata fuit, Fulviæ quidem nomen clare præfert, obscure voluntatem. Voluntas etenim non ore mulieris fuit palam edita, tabulæ secretæ, ac mysticæ; atque ideo, ut moris in ipsis est, nomen heredis non nuncupatum testibus; nec tabulas testatrix manu sua exaravit, vel saltem subscripsit; nec,

quæ literarum penitus erat expers, tabularum sententiam potuit noscere, aut characteres inspectare, & perpendere. Testamentum enim fuit holographum Rev. cujusdam D. Francisci Bruno, ipsius nempe charactere integre scriptum, & subscriptum, ut ex ipsis tabulis in comperto est. Testes septem quidem, præter Bruno, sed exteriorum solemnium, non voluntatis conscii. Unius ergo fides hominis, unius testationis custodia defunctæ mulierculæ excipit voluntatem. *Unius* autem *testis in quacumque causa responsio*, ex Constantino, *non auditur*, *etiamsi præclaro Curiæ honore præfulgeat*, L.9.§.1. C. de testib.; *præsertim in testamentis, quorum observatio multis vigiliis excogitata, atque inventa est*, L.35. in princ. C. de inoff. testam.; *ac majorum sapientia tot oculis spectata, tot insinuata sensibus, tot insuper in tuto locata manibus, ea sola ex causa, ne locus quidem ullus relinquatur insidiis*. L.8. C. qui testam. facere poss. Quæ omnia inutilia, ac inania essent, si unius fiducia defendi, unius fraude, ac cupiditate voluntates defunctorum mutari, deseri, ac perfringi possent.

Præterea Rev. D. Franciscus Bruno, quo tempore id testamentum scripsit, unus erat Presbyterorum Clerum oppidi Nucum constituentium, unus scilicet Collegii, cui hereditas Fulviæ ex iis tabulis adscripta est: Heres enim in ipsis legitur non solum Capitulum Cleri, ut ex adverso præsumi videbatur, sed Clerus Terræ universus, & eo simul Capitulum. Adscripsit ergo palam Presbyter Bruno hereditatem sibi, & Clero suo: quod perquam iniquum, ac turpe est, & ignominiosum, præsertim Clericorum disciplinæ, ac puritati, qui leges servandas consulere, bona sanguini deferenda indicere debent, non sibi morientium captare hereditates. Liboniano autem Senatusconsulto cautum fuit: *Ut si quis cum alterius testamentum, vel codicillos scriberet, legatum sibi sua manu scripsit* (quod tota hereditate adscripta minus flagitium est) *proinde teneatur, ac si commisisset in L. Corneliam, & ne vel*

vel iis venia detur, qui se ignorasse Edicti severitatem prætendant, L. 6. ff. ad L. Cornel. de falf., *legatum vero inutile prorsus esse, & legati nomen uti falsum ex tabulis delendum*. L. 15. & aliis ff. ad L. Corn. de falf.

Addendum his, testamenti sententiam eam esse, ut si a Fulvia scriptum insimuletur, vesanam ipsam, ac vehementi excruciatam iracundia, quæ brevis furor est, clarissime aperiat. Indixit namque testamento Clero heredi, ut judicio semper contenderet in Fabium Putignano germanum fratrem, ut nulla ei pacis spes, nulla concordia ex quavis causa tribueretur: quod ut probrosum, & contra bonos mores est, ita in muliere diem suum obeunte, obnubilatum animum calore iracundiæ, ac infirmum ostendit. *Quidquid vero*, Paulus ait, *calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non ratum est*. L. quidquid ff. de test. fur. Et de homine hereditatem suam Ecclesiæ deferente in agnationis suæ contumeliam, summus ille Ecclesiæ Pater respondit: *Quærat alterum, qui suscipiat hereditatem, non Augustinum; imo Deo propitio nullum inveniet*; prout habetur in *Can. quicumque* 43. *cauf.* 17. *qu.* 4.

Denique id ratum testamentum nequit esse, quo manus mortua heres instituta est, Regni id legibus vetantibus, & cui possessionis tempore, & ante possessionem contradictum est nedum in Curia Diœcesana, verum etiam Romæ in mero possessorio judicio, ut ambigi non potest. Quævis enim contradictio, quæ anterior est, vel contemporanea, etsi labans & insipiens sit, & Regiis Sanctionibus editis post annum 1769. possessionis initium impedit, ac vitiat, comitante lege, ac favente.

Frustra autem Capitulum rem judicatam objiciebat: possessorium enim judicium, non petitorium, quod nunc versatur, respexit, ut ex verbis ipsis sententiæ, ac mandati executionis ab ipso Capitulo apud acta exhibiti palam est. Et hoc ita firmum est, ut idem S. C. in prima adversa sententia, & in sua relatione ad S.R.M. agnoverit,

ac

ac declaraverit puram Motulæ, ac Romæ possessionis fuisse controversiam, nullo admixto petitorio judicio. Præterea Romæ res illa in jurgio hereditatis ab laica muliere delatæ, apud scilicet non idoneum Judicem prolata fuit. *Heres namque*, ex Ulpiano, *ibi defendendus est, ubi defunctus obiit, & conveniendus, si ibi inveniatur, nulloque suo proprio privilegio excusatur. L. 19. ff. de judic., & ubi quis agere, vel conven. debeat.*

Frustra quoque Capitulum præscriptionem objiciebat: Res enim ulla præscribi nequit, cui prolatus titulus, vel quia injustus, vel falsus, vel secus vitiosus labitur, ac deficit. Nec ulla præscriptio est sine bona fide, qua Capitulum caruisse in tam longa, ac incensa legitimorum heredum Fulviæ contradictione, in comperto est. Nec tempora largiuntur, ut de præscriptione cognosci nunc possit: in ingressu enim judicii in S.R.C. præscriptio, quæ litem perimit, ac ejus ingressum impedit, opponenda erat; quod agere Rev. Capitulum non arbitratum est: quin imo ita assensit petitorio judicio, ut propitiam sententiam consequutum sit; ac ea sententia firmum jus sibi acquirere in Fulviæ hereditate gratum habuerit.

Tres demum supererant actiones ab eodem de Tintis editæ, quæ pertinentiam ex quibusdam donationibus, & reversionem dotis respiciebant. Sed eas perpendere S. C. inutile censuit: partem enim eæ persequuntur hereditatis ejusdem, quæ tota hac sententia actori defertur.

F I N I S.

INDEX

INDEX ARGUMENTORUM.

ACTIO.

Ante institutionem hypothecariæ actionis, valent alienationes a domino fundi factæ. *Decis. an.* 1777. *pag.* 60.
Hypothecaria actione conventus, etsi ultro creditori pecuniam offerat, non expectata evictionis sententia; recte tamen agit pro indemnitate contra venditorem. *Decis. an.* 1777. *pag.* 67.
Cessio actionum, quæ probabile dubium excludunt, nec modico, nec vili pretio facta, interdicto legis obnoxia non est. *Decis. an.* 1778. *pag.* 87.
Actio redhibitoria intra sex menses utiles competit; ac vendito animalium jugo, pro jugo datur, etsi ex venditis animalibus alter tantum vitiosus deprehendatur. *Dec. an.* 1778. *pag.* 123.
Legatario in bona testatoris actio competit, sed expectandum prius, ut ad liquidum perducatur, quænam & quanta sint bona libera testatoris, ex quibus ei satisfaciendum sit. *Decis. an.* 1781. *p.* 300.
Qui valens agere, ab agendo cessavit, nonnisi a die renovati per insufflationem spiritus judicii fructus repetere potest. *Dec. an.* 1781. *p.* 335.
Qui fundi dominium emptori tradit, sibi speciali pacto hypotheca super eo reservata, fidem habendo de pretio; probata remanet favore ipsius venditoris hypothecaria actio contra emptorem. *Dec. an.* 1782. *p.* 384.

ALIENATIO.

Feudi excadentia recte alienantur, etiam absque Principis assensu. *Decis. an.* 1776. *p.* 15.
Alienandi prohibitio, ut bona in familia serventur, nisi fideicommisso jam instituto inhæreat, vel ad fideicommissum, tamquam ad finem, dirigetur, fideicommissum non inducit. *Decis. an.* 1778. *p.* 74.
Alienato usufructu, nulla datur proprietario fundi prælatio. *Decis. an.* 1780. *p.* 174.
Res litigiosa lite pendente, vel contestata, alienata a manu cujusvis possessoris evincitur. *Dec. an.* 1781. *pag.* 297.
Alienatio rerum minoris, nonnisi cum æs alienum urgeat, Prætori permissa est. *Decis. an.* 1782. *p.* 389.
Favore alimentorum bona ipsa fideicommisso subjecta possunt alienari. *Decis. an.* 1783. *p.* 393.

ALIMENTA.

Subjectis bonis omnibus majoratui, relictisque alimentis filiis secundogenitis, alimenta itidem descendentibus ex secundogenitis debentur. *Decis. an.* 1780. *p.* 215.
Favore alimentorum bona ipsa fideicommisso subjecta possunt alienari. *Decis. an.* 1783. *p.* 393.

AMBIGUITAS.

In characteris comparatione judicium incertum est, & ambiguum. *Decis. an.* 1777. *p.* 48.
Cum nulla ambiguitas in verbis est, non debet admitti voluntatis quæstio. *Decis. an.* 1781. *p.* 300.

ANTEFATUM.

Debetur antefatum, etsi non constitutum. *Decis. an.* 1776. *p.* 14.

ASSENSUS.

Etsi pecunia data pro exsolvendis creditoribus Universitatis, qui Assensum Regium præseferrent, soluta fue-

fuerit aliis creditoribus Assensu Regio destitutis; valida tamen censetur Universitatis obligatio in ea accipienda pecunia contracta. *Decis. an.* 1777. *p.* 55.

Assensus Regius, quippe qui strictissime semper accipitur, neque de persona ad personam, neque de re ad rem, neque de contractu ad contractum, etiam fortiori congruente ratione, extendi potest. *Decis. an.* 1778. *p.* 104.

Cum absque assensu pecunia Universitati credita sit; nec constet in ejus utilitatem versam fuisse, frustra agitur pro crediti consecutione. *Decis. an.* 1778. *p.* 128.

AUTHENTICA *Res quæ*.

Beneficium Auth. *Res quæ*, personale mulieris censendum est. *Decis. an.* 1778. *p.* 83.

BENEFICIUM ECCLESIASTICUM. Vide in v. *Simonia*.

CAPPELLANIA LAICALIS.

Cappellania, quæ mere laicalis est, Seculari Sacerdoti, Regulari exclusо, concedenda. *Dec. an.* 1779. *p.* 167.

Licet desit fundatio laicalis Cappellaniæ, fundationis tamen defectum pro descendentibus ex familia supplet immemorabilis pacifica possessio. *Decis. an.* 1781. *p.* 337.

CENSUS.

In dubio redimibilis potius, quam irredimibilis reputandus est census. *Decis. an.* 1779. *p.* 172.

Jura favent domino directo, quando fatalitate, non culpa deterioratio prædiis censitis acciderit. *Decis. an.* 1782. *p.* 341.

COMMUNIO BONORUM.

Ex præscripta inter heredes bonorum communione nulla elicitur fideicommissi conjectura; neque conjectura majoratus a prohibitis secundogenitorum nuptiis erui potest. *Decis. an.* 1778. *p.* 141.

CONDITIO.

Conditio, quæ acquisitioni Majoratus adjecta est, non semper repetita intelligitur in progressu. *Dec. an.* 1779. *pag.* 148.

Conditio, quæ perpetuam in designato loco residentiam præscribit, pro non scripta habetur. *Ibid.*

Quæ conditiones in testamento pro non scriptis habentur. *Decis. an.* 1781. *pag.* 303.

Fortuita, vel casuali conditione pendente, qualis est, si viro uxor superstes erit, nulla mulieri competit actio vivente viro ad antephatum petendum. *Decis. an.* 1781. *p.* 330.

Conditio legato adposita, bonis moribus adversa, rejicienda est. *Decis. an.* 1780. *p.* 334.

Conditionis mixtæ ea est natura, ut si eadem casu deficiat, legati defectum inferat, satisque est, ut ille, in cujus personam conditio impleri debet, in causa non fuerit, quominus ea adimpleretur. *Dec. an.* 1782. *pag.* 373.

CONDICTIO.

Locus est condictioni pecuniæ causa datæ, causa non secuta. *Decis. an.* 1782. *p.* 352.

CONDOMINUS.

Qui in re communi dolose se gesserunt, ut soli lucrarentur, nullam communicando partem condomino; soli etiam sentiant necesse est interitus rei damnum, etsi fortuito casu successerit. *Decis. an.* 1776. *p.* 10.

CONDUCTIO. Vide in v. *Locatio*.

CON.

CONSENSUS.

Contrario Partium consensu non dissolvitur contractus, si una earum administratoria vicem gerat. Possessorium optime potest a petitorio judicio absorberi. *Dec. an.* 1780. *p.* 234.

Error præjudicium non affert, imo nec consensum præstat. *Dec. an.* 1781. *p.* 325.

Qui alii consensit, jus suum remittere videtur. *Decis. an.* 1783. *p.* 392.

CONTRADICTIO.

Contradictio voce facta possessionis tempore, quam paullo post judicialis sequuta est, possessioni contemporanea censetur, & talis, qualem *amartizationis* leges requirunt; præsertim cum præmatura possessio compareat. *Decis. an.* 1777. *p.* 43.

CREDITOR, & CREDITUM.

Creditum, cujus solutio Neapoli promissa est, licet debitor alterius sit civitatis, inter bona districtua, Consuetudinique obnoxia numeratur. *Decis. an.* 1780. *p.* 199.

CURATOR.

Curator testamento a patre datus, ab eo, qui præest confirmari debet. *Decis. an.* 1777. *p.* 48.

DATIO IN SOLUTUM.

In solutum rei datio, quæ fit pro pecunia debita facienda fatis, venditionis vicem gerit, iisdemque juris regulis consistit. *Dec. an* 1782. *p.* 361.

DEBITUM. Vide in v. *Major pars.*

DEPOSITUM.

Qui ad solutionem compellitur, non liberatur summæ debitæ deposito; præcipue cum depositum creditor ignoret. *Decis. an.* 1780. *p.* 227.

DONATIO.

Donatio, quæ inconsulto facta ostenditur, revocari potest; præsertim cum onerosa fuerit, in absentem collata, & acceptatione destituta. *Decis. an.* 1776. *p.* 5.

Donatio contemplatione matrimonii facta in tabulis nuptialibus, semper inter vivos & irrevocabilis censetur, ac cum ipso dotali contractu confunditur. *Decis. an.* 1777. *p.* 61.

In donationibus sufficit acceptatio Notarii pro donatario; sicut constituti, & precarii clausula valet, ut jure possessio intelligatur. *Dec. an.* 1778 *p.* 112.

Cum nulla mortis cogitatio ad donandum impulerit, sed executio tantum donationis ad mortem donantis dilata fuerit, inter vivos facta donatio censetur: quare sola voluntatis mutatione revocari nequit. *Decis. an.* 1779. *p.* 160.

Actio donationis revocandæ ex ingrati animi vitio, donanti datur, non item ejus heredi. *Decis. an.* 1779. *pag.* 161.

Donatio inter vivos, ab *caussam*, & *remuneratoria*, in fraudem Consuetudinis facta non censetur; etsi usumfructum donator sibi reservaverit. *Decis. an.* 1780. *p.* 178.

Qui donat senio jam confectus, & procreandæ soboli impar, in fraudem Consuetudinis donare videtur. *Decis. an.* 1780. *p.* 185.

Donatio extraneo facta in liberorum fraudem, recte revocatur. *Decis. an.* 1779. *p.* 203.

Donationes, quæ secundo conjugi fieri prohibentur, prohibitæ quoque videntur, cum secundi conjugis commodo cedant, etiamsi in alias personas fiant. *Decis. an.* 1780. *p.* 220.

Qui livellum indeminutum fratri suo præstat, item qui fratri suo testamento legat, nulla facta mentione generum eidem præstitorum; donasse præsumitur. *Dec. an.* 1781. *p* 250.

Donatio causa mortis, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est, quam

quam mortis causa donatio, & ideo perinde haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio. *Decis. an.* 1781. *p.* 304.
Donatio perfecta non potest revocari, nec conditiones capit. *Dec. an.* 1782. *pag.* 369.

DOS.

In dotis constitutione a judicio patris temere recedendum non est. *Dec. an.* 1778. *p.* 114.
Filia si a patre dotem acceperit legitima portione minorem, non potest contra fratrem ad supplementum agere. *Decis. an.* 1781. *p.* 315.
Dos, uti res privilegiata, deminutionem ex facto alieno pati non potest. *Decis. an.* 1781. *p.* 325.
Restitutio dotium, ceteris creditoribus posthabitis, debetur dotantibus, qoia hypothecæ beneficio gaudent. *Decis. an.* 1782. *p.* 383.

ECCLESIA.

Proprietate ab Ecclesia acquisita ante promulgationem legis, quæ *amortizationis* dicitur, licet usufructua postea consolidetur, dispositionis caducitati locus esse nequit. *Decis. an.* 1780. *p.* 179.

EMPHYTEUSIS.

Cum & prædia, & census, ac jura unitim in emphyteusim concedantur, prælationi ex Constit. *Sancimus* non est locus. *Decis. an.* 1776. *p.* 12.
In emphyteusi ex pacto, & providentia, non ambigitur, primum adquirentem disponere posse, etiam in præjudicium filiorum, præsertim cum in beneficium unius ex filiis disponat. *Decis. an.* 1778. *p.* 81.
Non est necessaria scriptura ad jus emphyteuseos constituendum. *Decis. an.* 1782. *p.* 370.

EVICTIO.

Ex permutatis prædiis uno evicto, potest qui evictionem passus fuit, prædii, quod dedit, restitutionem petere. *Decis. an.* 1781. *p.* 291.

EXCEPTIO.

Exceptio litigiosi nonnisi inter collitigantes vicissim potest opponi, non vero cuicumque tertio de jure est licita. *Decis. an.* 1781. *p.* 319.

EXPENSÆ.

Funerum expensæ recte a marito petuntur; quæ vero ultimam infirmitatem respiciunt, juxta facti circumstantias reficiendæ sunt. *Decis. an.* 1779. *p.* 155.

FACTUM PROPRIUM.

Factum proprium impognare non licet ad sui commodum ex persona alterius. *Decis. an.* 1776. *p.* 8.
Cum pater iteratis actibus filium agnoverit, ejus factum momentosum est, atqoe valide resistit contrariis præsumptionibus. *Decis. an.* 1777. *p.* 41.

FAMILIA.

Familiæ nomine parentes, liberi, omnesque propinqui intelliguntur. *Decis. an.* 1782. *p.* 342.
Ordinata conservatio bonorum in familia inducit fideicommissum, sed tantummodo intra terminos expressos a testatore constitutos. *Decis. an.* 1782. *p.* 344.

FEUDUM.

Nequit majoratui subjici corpus feudi ita, ut auferatur a fœmina, quæ illud acquisiverit. *Dec. an.* 1777. *p.* 34.
Cum de feudo agatur, cui qualitas hereditaria adnectitur, licet Possessori super pretio heredem gravare. *Decis.*

cif. an. 1778. *p.* 145.

Vi feudalis contractus omnes descendentes ex corpore Adquirentis intra gradus successionis permissæ in infinitum succedunt; ac feudo repudiato, agnati succedunt: quadere repudiatio jus domino non tribuit noviter concedendi. *Decif. an.* 1780. *pag.* 224.

Libri censuales Curiæ Feudi plenam tituli probationem inducunt. *Decif. an.* 1781. *p.* 317.

FIDEICOMMISSUM.

Ad tacita fideicommissa inducenda enixæ, & vehementes conjecturæ concurrant, oportet. *Dec. an.* 1778. *p.* 72.

Cum de voluntate dubitari queat, censendum non est, voluisse testatorem perpetuo fideicommissi vinculo descendentes gravare; ac standum potius conventioni de hac re inter Partes initæ, diuque observatæ. *Decif. an.* 1778. *p.* 95.

Conditio adjecta fideicommisso repetita intelligitur in sequenti substitutione, cujus idem est objectum. *Decif. an* 1778. *p.* 102.

Cum in fideicommisso a collaterali instituto, extinctis masculis, fœminæ vocentur, earumque descendentes; masculi ex fœminis præferendi non sunt. *Decif. an.* 1780. *p.* 216.

Res, quæ substitutioni, aut fideicommissis sunt suppositæ, nunquam alienare, pignorare, aut hypothecæ dare licet. *Decif. an.* 1780. *p.* 308.

Defuncti voluntas circa fideicommissa, & legata semper est exequenda, licet omnibus juris solemnibus non sit munita, cum illam heres agnoverit, acceptaveritque. *Ibid.*

Fideicommissarius, qui male in fideicommissi administratione versatur, cogitur hereditatem restituere. *Decif. an.* 1781. *p.* 340.

Fideicommissum agnatitium masculinum familiare intelligitur, in quo vocantur primogeniti ex primogenitis masculis, fœminis, licet agnatis, & proximioribus, semper exclusis. *Decif. an.* 1782. *p.* 390.

HEREDITAS, & HERES.

Ex novissimis legibus, quæ *amortizationem* respiciunt, irrita facta dispositione in beneficium Loci Pii, ad hereditatem vocantur proximiores testatoris ab intestato; qui tamen adimplere tenentur onera in testamento injuncta. *Decif. an.* 1776. *p.* 4.

Quidquid pater donat filio propter nuptias, vel filiabus in dotem, conferendum est in divisione hereditatis paternæ. *Decif. an.* 1782. *p.* 360.

HYPOTHECA.

Non admittitur tacita hypotheca, nisi fuerit a jure expressim concessa. Jure autem tacita hypotheca non datur pro recuperatione fructuum bonorum fideicommissi. *Dec. an.* 1777. *pag.* 63.

Qui mercem vendidit, conventa in ejus beneficium illios hypotheca, donec pretium persolutum fuerit, ceteris creditoribus emptoris super eadem merce præfertur. *Dec. an.* 1780. *pag.* 176.

INTERESSE.

Nequit interesse in sortem converti. *Decif. an.* 1776. *p.* 8.

IMPENSÆ.

Quæ ad uberiores fructus recolligendos, & pro bona fundi cultura colonus impendit, meliorationum nomine repetere nequit: neque hujusmodi impensæ jus ei tribuunt prælationis in ejusdem fondi conductione. *Decif. an.* 1783. *p.* 403.

IN INTEGRUM RESTITUTIO.

Cum minor certas nuptias, sub quarum conditione fideicommissum relictum

lictum est, recusaverit, mutato inde personarum statu, adversus renunciationem in integrum restitui non potest. *Decis. an.* 1776. *p.* 17.

INDEBITUM.

Qui sciens prudens indebitum persolvit, repetere prohibetur. *Decis. an.* 1776. *p* 8.

JUDICIUM.

In directum judicium differenda sunt quæ altiorem quæstionem habent. *Decis. an.* 1780. *p.* 194.

JUS PROTHOMISEOS.

Jus prothomiseos Universitati non datur; præsertim cum nulla subsit publicæ utilitatis ratio. *Dec. an.* 1776. *pag.* 12.

JUSPATRONATUS.

Juspatronatus, quod sibi, suisque heredibus & successoribus Fundator reservavit in Cappellaniæ institutione, adjecta lege constructionis Sacelli in horto suæ domus, & sepulturæ; hereditarium mixtum reputandum est. *Decis. an.* 1778. *p.* 69.

Juspatronatus recte probatur indiciis, ex quibus fundatio, vel dotatio Ecclesiæ argui potest. *Dec. an.* 1778 *p.* 91.

Quod de jurepatronatus activo in codicillis cautum est contra dispositionem testamenti, non abrogat patronatus passivi legem in eodem testamento scriptam; præcipue cum hæc diutina observantia adjuvetur. *Decis. an.* 1778. *p.* 117.

Qualitas jurispatronatus, cum fundationis scriptura desit, ex longæva observantia determinatur. *Decis. an.* 1778. *p.* 140.

Jurispatronatus proprietas præscribitur cum quadraginta annorum spatio tres peractæ sint præsentationes. *Decis. an.* 1779. *p.* 170.

Legem in jurispatronatus fundatione adscriptam Fundator ipse mutare nequit; etiamsi a loci Ordinario licentiam obtinuerit. *Decis. an.* 1781. *pag.* 244.

Juspatronatus, quod hereditarium videtur, mixtum ex argumentis voluntatis censeri debet; mixtum vero deficiente linea, in simplex hereditarium converti potest. *Decis. an.* 1781. *p.* 276.

Fundatio, & dotatio patronatum ipso jure tribuunt; ita ut sine spolii crimine a Fundatore, vel Dotante, eorumque successoribus patronatus non auferatur. *Decis. an.* 1781. *p.* 277.

Ad patronatum vocatis, qui de linea propinquiori sunt, cum inter ejusdem lineæ descendentes lis oriatur, præferendus semper qui gradu proximior est. *Decis. an.* 1781. *p.* 286.

Juspatronatus acquiritur fundatione, dotatione, atque constructione. *Decis. an.* 1781. *p.* 301.

Reciproca in jurispatronatibus intelligitur discretive in singulis lineis, non autem de linea ad lineam. *Decis. an.* 1781. *p.* 329.

Masculus posterius natus præfertur fœminæ anterius natæ, cum Fundator juspatronatus filio primogenito adscribit. *Decis. an.* 1782. *p.* 355.

JUS PROHIBENDI.

Jus prohibendi exercere nequeunt Barones, nisi peculiari privilegio, vel legitima præscriptione acquisiverint; etiamsi Universitatis confessio iis faveat. *Decis. an.* 1778. *p.* 132.

LEGATUM, & LEGATARIUS.

In dubio naturalis potius, quam sacrilegus existimandus est filius; nec ei deneganda sunt legata, quæ alimentorum loco habentur. *Dec an.* 1778. *pag.* 100.

Legatis fundi fructibus, sive illorum parte legata, fundus idem hypothecæ subjectus favore legatarii intelligi-

ligitur; ideoque redimibile non est legatum. *Decis. an.* 1780 *p.* 183.

LEGITIMA.

Quod loco legitimæ portionis debetur, nunquam remissum intelligitur, nisi & ipsi legitimæ, ejusque supplemento renunciatum expresse fuerit. *Decis. an.* 1781. *p.* 250.

Filiabus, fratre existente nullum est parentibus succedendi jus, ne pro legitima quidem portione. *Decis. an.* 1781. *p.* 315.

Ne filio quidem licet Inofficiosam arguere dotem, quæ virilem portionem æquet, vel, salva filii legitima, etiam excedat. *Ibid.*

Legitima quandoque usque ad virilem, quandoque etiam minus legitima portione constitui per Regni Consuetudines moris fuit. *Decis. an.* 1781. *p.* 332.

LINEA.

Cum extincta linea unius ex filiis, descendentes ex altero testator vocaverit, fœminæ unius lineæ a masculis alterius non excluduntur. *Decis. an.* 1779. *p.* 184.

LOCATIO, & CONDUCTIO.

Locatio quantivis temporis non est modus transferendi dominii, quod semper apud locatorem remanet, & conductor tantum rem detinere, ac in ejus possessione esse dicitur. *Decis. an.* 1780. *p.* 305.

LONGISSIMI TEMPORIS SPATIUM.

Longissimi temporis spatio transacto, omnia solemniter acta censentur; præsertim quæ cum Loco Pio gesta sunt. *Decis. an.* 1775. *p.* 1.

MANDATUM.

Ad ea, quæ a mandato aliena gerit Procurator, nulla actione mandans tenetur. *Decis. an.* 1776. *p.* 10.

MANUS MORTUÆ.

Regale Diploma anni 1767. de amortizatione aptatur Locis piis, & manibus mortuis, nunquam vero Sacerdoti sæculari. *Dec. an.* 1781. *p.* 320.

MAJOR PARS.

Major pars pro modo debiti, non pro numero personarum, reputanda est. *Decis. an.* 1783. *p.* 398.

MATRIMONIUM.

Qui more Procerum, & Magnatum Regni matrimonium contrahunt, secundum jus commune contraxisse in omnibus videntur, iis exceptis, de quibus conceptis verbis aliter pacti fuerunt. *Decis. an.* 1781. *p.* 250.

MEDICUS.

Non denegandum medicis salarium eo quod ægrotus mortem obierit. *Decis. an.* 1781. *p.* 328.

MINOR.

Judex ubi dignoscit minorem non fuisse læsum, adprobat illius contractum. *Decis. an.* 1783. *p.* 399.

NUPTIÆ.

Fœmina unius lineæ eo tantum casu ad fideicommissum vocata, si scilicet masculo alterius lineæ nuberet: quum per eam non steterit, quominus nuptiæ contraherentur, fideicommissum merito consequitur; neque, ea defuncta, fideicommissi bonis privantur filii. *Dec. an.* 1776. *p.* 17.

PACTUM.

Contra bonos mores existimatur pactum

ctum reversionis dotis, cum mulier sine liberis decedat, vel ante pubertatem filii moriantur. *Dec. an.* 1777. *p.* 38.
Jus, quod alteri jam quæsitum est, non potest pacto mutari. *Ibid.*
Pacta instrumento dotali apposita circa dotium restitutionem sunt omnino servanda. *Decis. an.* 1779. *p.* 156.

PARAGIUM.

Paragium, quousque ratio suadet, virilem portionem æquare potest, nullo discrimine inter nuptam, & nubendam facto. *Decis. an.* 1777. *p.* 36.
Paragii definitio a prudenti Judicis arbitrio pendet, inspectis patris substantiis, liberorum numero, viri, ac mulieris qualitate, atque regionis more. *Decis. an.* 1778. *p.* 135.
Secundum paragium censetur dotata, quæ pari nupsit; etsi legitima portione minores dotes compareant. *Decis. an.* 1781. *p.* 273.

PECUNIA.

Ut potior sit pecunia, quæ ad rem reficiendam datur, inter cetera necesse est, Judicem adiri, antequam opus inchoetur. *Dec. an.* 1777. *p.* 126.

POSSESSIO.

Qui sibi, non qui alteri possidet, temporis beneficio juvari potest. *Decis. an.* 1780. *p.* 186.
Quod juri non adversatur, & immemorabili possessione tuetur, Baronibus conceditur. *Dec. an.* 1780. *p.* 229.
Possessor interpellatus non intelligitur possessor. *Decis. an.* 1781. *p.* 338.

PRÆSENTATIO.

Cum concurrant plures uno eodemque tempore in æquali gradu, præfertur qui in *præsentando*, & *præsentari* dignior est. Verum dignitas in *præsentando*, & *præsentari* non attenditur, sed proximitas lineæ, etiam si naturalis tantum, quæ indistincte a fundatore cum linea legitima & naturali fuerit vocata; cum non concurrant plures in æquali gradu sistentes uno eodemque tempore. *Decis. an.* 1781. *p.* 292.

PRÆSCRIPTIO.

Præscriptio etiam millenaria, dum de temporario titulo constet, cadit. *Decis. an.* 1780. *p.* 305.
Juris regula, *præscriptionem in feudis non admitti*, locum tantum habet pro Fisco. *Decis. an.* 1782. *p.* 386.

PŒNA EXTRAORDINARIA.

Fuga, delinquendi consuetudo, aliaque hujusmodi, indicia criminis sunt; quibus inspectis, extraordinaria pœna plectendus est reus. *Dec. an.* 1775. *p.* 2.

RENUNCIATIO.

Cum minor certas nuptias, sub quarum conditione fideicommissum relictum est, recusaverit; mutato inde personarum statu, adversus renunciationem in integrum restitui non potest. *Decis. an.* 1776. *p.* 17.
In collateralium successione renunciatio, quam mater fecit, liberis nocet. *Decis. an.* 1780. *p.* 206.
Renunciationes mulierum licet abhorreant a Juris Romani principiis, substinentur tamen receptis ubique moribus. *Decis. an.* 1782. *p.* 382.

REPETITIO.

Si cessat repetitio ubi stipulationis causa naturaliter turpis est, multo magis deneganda est ubi naturali jure pactio est valida. *Dec. an.* 1784. *p.* 406.

RESTITUTIO.

Qui restitutionis onere gravatus, necessario institutus intelligitur. *Decis. an.* 1776. *p.* 28.

RE-

RETRACTUS JURE CONGRUI.
Vide in v. *Jus Protbomiseor*.

SATISFACTIO.

Cum eadem scriptura declaretur debitum, & satisfactio, scindi declaratio nequit; itaut illud probari, in probari hanc liceat. *Decis. an.* 1777. *p.* 47.

SEPULCRUM.

In qualibet Ecclesia sepulcrum acquiri potest. *Decis. an.* 1781. *p.* 275.

SIMONIA.

Simonia committitur, cum res temporalis traditur tamquam pretium rei spiritualis, non vero cum promittitur sponte titulo liberalitatis. *Decis. an.* 1781. *p.* 320.
Ut simoniaca labe afficiatur conventio, debet liquere de Ecclesiasticitate Beneficii. *Decis. an.* 1784. *p.* 406.

SOCIETAS.
Vide in v. *Bonorum communio*.

SPONSALIA.

Sponsalia contracta publico instrumento recte stant, licet neque Parochi, neque testium fide sint roborata. *Decis. an.* 1782. *p.* 381.

STIPULATIO.

Debitore non solvente statuto temporis spatio, stipulatio committitur. *Decis. an.* 1781. *p.* 318.
Licet inter sponsos ante contractas nuptias bona vicissim promitti, & stipulari. *Decis. an.* 1783. *p.* 397.
Si cessat repetitio ubi stipulationis causa naturaliter turpis est, multo magis deneganda est ubi naturali jure pactio est valida. *Decis. an.* 1784. *pag.* 406.

SUBSTITUTIO.

Qui fideicommissariæ substitutioni bona sua subjicit, subjicere non videtur officium, quod ad suam, atque ad vitam alterius, ab se nominandi, concessum fuit; etsi nominandi facultatem ad heredes transtulerit. *Decis. an.* 1777. *p.* 57.
Substitutio per fideicommissum filio sine filiis decedenti facta, evanescit filiis susceptis. *Decis. an.* 1778. *p.* 145.
Nomine collectivo vocati, vocati censentur ordine successivo, & per vulgarem substitutionem. *Dec. an.* 1779. *pag.* 171.

TESTAMENTUM.

Octavo teste non adhibito, cum testatoris subscriptio intelligi nequeat; nec testibus præsentibus prolata a testatore scriptura clausa, ab ipsis signanda, ac subscribenda; item apostillis diversi characteris in testamenti scriptura appositis, nulla declaratione adhibita, eas, jubente testatore, superadditas esse; nullum ex defectu solemnium testamentum erit. *Decis. an.* 1778. *p.* 108.
Insurgere adversus testamentum non licet heredi, qui ex testamento hereditatem agnovit. *Decis. an.* 1781. *pag.* 299.
Substantia testamenti nuncupativi corruit, si testator e vita discesserit, antequam charta ab eo scripta, sed nondum subscripta, in formam publici instrumenti redacta sit. *Decis. an.* 1780. *p.* 314.
Nuncupare palam non est in publicum, sed ut exaudiri possit: Exaudiri autem non ab omnibus, sed a testibus. *Decis. an.* 1781. *p.* 331.

TESTES.

Testium examinandæ est conditio, vita, atque testimonii verisimilitudo. *Decis. an.* 1777. *p.* 47.
Scriptura trino teste signata quasi publice

blice confecta habetur. *Decif. an.* 1781. *p.* 333.

Scriptura quinque teftium fubfcriptionibus munita, codicillorum nomine, & jure optimo valet. *Decif. an.* 1782. *p.* 358.

Unius teftis in quacumque caufa refponfio non auditur, etfi præclaro Curiæ honore præfulgeat. *Decif. an.* 1784. *p.* 411.

TITULUS.

Temporis antiquitas multum diutina jufti tituli vim obtinet. *Decif. an.* 1783. *p.* 399.

TRANSACTIO.

Tranfactio, quæ neque dolo, neque ulla circumventionis caufa refcindi poteft, cum fuper alimentis verfetur, aliquo æquitatis temperamento lenienda eft. *Decif. an.* 1776. *p.* 13.

Tranfactio nec ob immodicam læfionem refcindi poteft. *Dec. an.* 1780. *pag.* 206.

De re certa tranfigi nequit; & tranfactio rite perfecta, quæ ob læfionem non refcinditur, refcindi tamen poteft reftitutionis in integrum remedio. *Decif. an.* 1780. *p.* 227.

TUTELA.

Neceffitatem reddendæ rationis tutelæ poteft in teftamento remitti. *Decif. an.* 1777. *p.* 48.

VENDITIO.

Non indiget Judicis decreto venditio a teftatore præfcripta, cui fruftra opponitur minor ætas heredis; nec juvat exceptio enormis læfionis, nifi fit ultra dimidium jufti pretii, quæ etiam præfcribitur ob lapfum triginta annorum. *Decif. an.* 1781. *p.* 327.

USURÆ.

Cum de infructuofæ rei reftitutione agatur, mora ex perfona, non ex re committitur; unde abfque interpellatione non incipiunt ufuræ, aut fructus deberi. *Decif. an.* 1779. *p.* 156.


Ufuræ in bonæ fidei contractibus ex mora debentur. *Dec. an.* 1782 *p.* 386.

USUSFRUCTUS.

Quarta ufusfructus æque debetur indotatæ uxori ex viri hereditate, ac ei, qui dotem adeo exiguam habuit, ut illius fructus ne parca quidem alimenta præbeant. Ex facti autem circumftantiis poteft quarta illa imminui. *Decif. an.* 1779. *p.* 159.

UXOR.

Licet uxor fe obliget cum marito, & fateatur pecuniam infimul recepiffe, præfumitur tamen ad folum maritum perveniffe. *Decif. an.* 1784. *pag.* 405.






Legatoria GIUDICE CONCETTA
NAPOLI
Via Fuori Porta S. Gennaro, 7

